ORI
lat 081
Iab/OPV
118643
00048643

BOMBAY BRANCH

OF THE

Royal Asiatic Society.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 January, 2016



١٢١١٥٤١٣

P. E. IABLONSKII

OPVSCVLA.

TOMVS III.

f 36

Miscellaneous

Latin

PAVLI ERNESTI IABLONSKII

OPVSCVLA,

QVIBVS

LINGVA ET ANTIQVITAS AEGYPTIORVM,
DIFFICILIA LIBRORVM SACRORVM LOCA
ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE CAPITA
ILLVSTRANTVR;

48643

MAGNAM PARTEM NVNC PRIMVM IN LVCEM
PROTRACTA, VEL AB IPSO AVCTORE
EMENDATA AC LOCVPLETATA.

TOMVS TERTIVS

EDIDIT ATQVE ANIMADVERSIONES ADIECIT

IOANNA GVILIELMVS TE WATER.

LVGDVNI BATAVORVM
APVD A. ET I. HONKOOP.
MDCCLXI

ORL -
48643

48643

00048643

ERVDITIS LECTORIBVS

S. P. D.

IONA GVILIELMVS TE WATER.

Praeter ſpem et exſpectationem, immo contra fidem in fine praefationis tomi ſecundi datam, nunc primum pars tertia Opuſculorum *Iablonskianorum* in lucem exit. Erant, qui mirarentur, erant etiam, qui aegre ferrent, non citius me meis ſtetiſſe promiſſis. Quod certe nemo omnium mihi vitio vertet, haud immemor horribilis illius et dirae cladis, quae die XII Ianuarii a. MDCCCVII accidit, et huic urbi tam fuit exitioſa. Haec autem calamitas, ut plurium aliorum, ita et res meas domeſticas graviter afflixit, rationemque ſtudiorum non parum conturbavit. Per tempus enim ſat longum, aut mihi aetate ſenili defuit alacer animus ad labores interruptos revertendi, aut librorum plerorumque uſus, tunc valde diſperſorum, aut etiam locus commodus in aedibus, magnam partem dirutis ac vaſtatis. Hinc unusquisque continuo intelliget, unde factum ſit, ut non diu ante in repetendis hisce Opusculis perrexerim, et adeo fidem liberaverim.

Per mihi gratum acceptumque fuit, non diffiteor, *Heynio* et *Wyttenbachio*, elegantiſſimae viris doctrinae, aliis item librorum novorum cenſoribus eruditis anonymis, ſive Batavis, ſive Gallicis, ſive Germanicis, ſigillatim quoque ſcriptori Annalium Scientiarum

„ Filius habuerit in oculis, quae in Caini familia „ gloriam nominis fecit. Prima illa urbs in Sacris „ commemorata. Obſcuritas quondam urbis, anti„ quitatem non tollit, ſed iuvat. Nec diluvio dirutae urbes, ſed homines exſtincti. A diluvio cum „ annis priores urbes revocatae, reſuſcitatae, redintegratae, auctae. Tota Caini domus in Aſia Mi„ nore. אֶרֶץ נוֹד ſtylo Moſis, Terra Homonadenſium. „ Ibi Iconium. Sed ex itinere in viam, in Lycaoniam Tuus eruditus nos duxit Filius. Pergat etc." Huic epiſtolae *Hardtianae* parti ſequentem ſubnexuit *Iablonskius* animadverſionem: „ Cum hic ſuſpicetur „ Clariſſimus *van der Hardt*, Lycaoniam fuiſſe ſedem „ domus Caini, et in urbe Iconion veſtigia Chanochi filii Caini ſupereſſe, potuiſſet ſententiam ſuam „ firmare ex *Stephano Byzantio*, qui illic terrarum „ fuiſſe quemdam Ἄνναχον primis temporibus commemorat. Vide eum in Ἰκόνιον. Sed dubium merito eſſe poteſt, an Iconium ante diluvium fuerit „ condita; an, ſi fuiſſet ante diluvium condita, poſt „ diluvium ſuperfuiſſet; an etiam Caini et poſterorum „ eius praeſertim ad Gentiles derivata fuerit memoria. S. Scriptura teſtatur, omnes praeter Noachum „ eiusque familiam homines, aquis obrutos, periiſſe. „ Et cum diluvio perierunt ſine dubio priſtinae urbes, „ earumque incolae, et incolarum memoria". Quid in utriusque obſervatione aut veri inſit, aut falſi, opus non eſt, ut hic diſquiratur. Ex diverſo autem literarum ductu coniectura aſſequor, *Iablonskium* adhuc iuvenem verba *Hardtii* deſcripſiſſe, ſed aetate provectiori ſuum de iis adieciſſe iudicium.

Diſſertationem *de cognatione Iudaeorum et Lacedaemoniorum*, cuius mentio facta eſt a ſcriptore libri primi Maccabaeorum atque a *Fl. Ioſepho*, cur hic recudendam cen-

cenſuerim, pag. 261 ſignificavi. Nefas ſit ſilentio praetermittere praeclaram *Wyttenbachii* noſtri animadverſionem, qui, perlecta meo rogatu iſta diſſertatione, typis iam deſcripta, haec mihi perhumaniter ſcripſit: „Comicum, ſiquidem ἀποτεθράκεν ſcripſit, *Thraces* ſignificaſſe, res ipſa loquitur; et ſic ſtatuunt *Berglerus* et *Brunckius* ad h. l., hanc vulgatam lectionem alteri, a *Suida* oblatae et *Kuſtera* probatae ἀποτεθρίακεν, praeferentes. *Iablonskius* p. 270 pro ἀποθράζειν debebat ſcribere ἀποθράττειν. Hoc enim Thraces notat: ſed decepit eum hodiernae pronunciationis ſonus. In *Stephano Byz.* an quis alius ex Σπάρτωνος tentaverit facere Σπάρτων ἑνός neſcio, nec quid ad *Stephani* mei marginem annotatum reperio. Caeterum parum proficitur iſta mutatione: ſiquidem Σπάρτων pro patronymico nominis Σπαρτὸς accipi poteſt. De *Ariſtophanis* lectione ſentio cum *Berglero* et *Brunckio*, quorum hic etiam exitum verſus meliorem praebet, pro ἂν ponens τίς; *Iablonskii* ſententia paucioribus paginis poterat comprehendi: is vero ſuo more verboſus eſt. Diſputatio quamvis haud adeo exquiſitae doctrinae, tamen ſcitula, et idonea confutando veteri errori".

Ad diſſertationem primam *de rebus a Paulo Apoſtolo geſtis, ſed a Luca* in Actis Apoſt. *non commemoratis*, p. 316 fidem dedi, de argumento illius me in hac praefatione pauca dicturum. Vulgatior nempe virorum eruditorum ſententia, de Paulo Romae altera vice in carcerem coniecto, item de quibusdam epiſtolis ab eo ſcriptis, factisque itineribus ad propagandam doctrinam Chriſtianam, medio tempore priora inter et poſteriora vincula; haec igitur ſententia *Iablonskio* valde arriſit, lumen ipſi praeferentibus *Scaligero*, *Vſſerio*, *Petavio*, *Pearſono*, *Millio*, *Alphenio*, aliis, Chro-

nologiae et omnis Hiſtoriae uſu quam maxime excellentibus. Quo fundamento cum tota disputatio nitatur, praecipuum illius argumentum non magni aeſtimandum erit, ſi ſemel tantum in Vrbe captivus habitus fuerit Paulus, nec ante mortem violentam ſub Neronе vinculis ſolutus. Ita vero viſum eſt *Hubero*, *Wagenario*, *Klinkenbergio*, *Heinrichſio*, paucis eruditis aliis, quibus aſſentitur Rev. *Haſelaar* in diſſertatione de nonnullis Actuum Apoſtol. et Epiſtolarum Paulinarum ad hiſtoriam Pauli pertinentibus locis (Lugd. Bat. a. 1806) p. 163—172. Hinc illincque argumentis exquiſitis ſubtiliter diſceptatum eſt, nec controverſia ſic ad liquidum perducta videtur, quin dicere audeam, priorem ſententiam hucusque mihi magis probari. Credibile fit, de repetita Pauli captivitate Romana, in diſſertatione altera, ſi prodiiſſet, *Iablonskium* plenius fuiſſe acturum.

Monui in praefatione tom. I p. XXVI, binas *de origine Feſti natalium Chriſti* diſſertationes multis ante annis Batave verſas editasque eſſe, ſed, quis earum fuerit interpres, me neſcire. Haec ſcribenti, non mihi in memoriam revocabam, teſtari Clar. *Gerdeſium*, is enim latet ſub literis D. G., verſionem deberi *Theodoro Lubbers*, Theologo deinde Groningano, atque ductas eas eſſe a Diario Francofurtano, Germanice edito. Legitur interpretatio Batava in libro inſcripto: *Bundel van Godgeleerde, Oudheid- Geſchied- en Letterkundige Oeffeningen*, vol. XI p. 107—126. Neſcius fuit *Gerdeſius*, Schediasma illud, Novis Literariis Francofurtenſibus primum Germanice additum, poſtea Latine verſum eſſe, et a *Iablonskio*, ut ipſe ſignificat tom. III Opuſcul. p. 362 (*h*), multis acceſſionibus locupletatum. Si quis interpretationem Batavam comparare velit cum dua-

duabus dissertationibus, quae nunc primum e codice autographo Latine in lucem promuntur, mox apparebit, quantum sit utriusque exempli discrimen, quanta huius editionis praestantia.

Etiamsi equidem ego valde dubitem, quod iam dictum p. 316 et 503, an reliquae *Iablonskii* dissertationes, seu *de rebus a Paulo gestis post ea tempora, in quibus Actus Apostolorum, a Luca narrati, desinunt*, seu *de Cerintho eiusque opinione de regno Christi millenario*, umquam literis consignatae et editae sint; unumquemque tamen humanissime rogatum velim, ut, si istius generis disputationes, vel typis expressas, vel ineditas, in scriniis habeat, ad me perferri curet, ut quartae horum Opusculorum parti queant adiungi.

Fuit unus item et alter, qui Latinitatem *Iablonskianam* emendatam cuperet. Quod si fortasse, aliqua saltem ratione, fieri a me quidem potuisset, non tamen id integrum editori alieni operis esse mecum ipse reputavi. Quas *Iablonskius* ad marginem complurium libellorum appoſuerat istiusmodi emendationes, lubens eas in textum recepi: in ceteris, non quid scribi oportuerit, sed quid scripserit, spectandum esse existimavi, et hoc retinui. Errores autem in citandis scriptoribus antiquis, per festinationem vel aliis de causis non raro commissos, passim emaculavi; sed et, quoties necesse videbatur, ipsa veterum verba in recentioribus ac praestantioribus editionibus diligenter contuli, vel indidem sumta, uncis tamen inclusa, in contextum recipere non dubitavi.

Denique, non unius generis huic etiam parti subnexui indices; sed in quibus, inter plura et graviora

ne-

negotia confectis, facile fieri potuit, quaedam ut negligerentur. Ea vero Lectores huius operis, ex solis librorum indicibus, quorum tamen usus multiplex est, sapere non contenti, sine magno labore ipsi supplebunt.

Ita vos valete, et mihi, quod feciſtis, in posterum favete.

Scripsi Leidae Kalend. Octobr. a. MDCCCIX.

TER-

TERTIA HAC PARTE CONTINENTVR

Disquiſitio de Lingua Lycaonica, *ad locum* Actor. XIV. 11. pag. 3 — 142.

Theſes Theologicae circulares, quibus genuinus ſenſus capitis IX Epiſtolae *Pauli* ad Romanos *modeſte expenditur.* pag. 143 — 153.

Disquiſitio de futura Iudaeorum converſione illuſtri, *ex* Epiſt. ad Rom. c. XI. pag. 154 — 184.

Diſſertatio de cognitione Chriſti ſecundum carnem, 2 Cor. v. 16. pag. 185 — 201.

Diſſertatio periodica, exhibens ſpicilegium breve obſervationum de epiſtola ſcripta Laodiceâ, *ad* Coloſſ. IV. 16. pag. 202 — 242.

Diſſertatio de Iezabele, Thyatirenorum Pſeudo-Prophetiſſa, *ad* Apoc. II. 20. pag. 225 — 260.

Cogitationes de Lacedaemoniorum cum Iudaeis cognatione, *ad locum* I Maccab. XII. 7, 21. pag. 261 — 286.

Diſſertatio I *de* ultimis *Pauli* Apoſtoli laboribus a B. *Luca* praetermiſſis. pag. 289 — 316.

Dissertatio prima de Origine Festi Nativitatis Christi, *in Ecclesia Christiana quotannis stato die celebrari soliti.* pag. 317 — 345.

Dissertatio secunda de eodem argumento. pag. 346 — 376.

Dissertatio de Origine imaginum Christi Domini in Ecclesia Christiana. pag. 377 — 406.

Dissertatio, qua continentur de Sanctis quibusdam incognitis, *quorum memoriae cultuique anniversario,* in *fastis Ecclesiae Romanae, dicatus est dies* XIX *Ianuarii, coniectanea.* pag. 407 — 440.

Dissertatio prima de Regno Millenario Cerinthi. pag. 441 — 470.

Dissertatio secunda de eodem argumento. pag 471 — 503.

DISPVTATIONES,

QVIBVS SACRI CODICIS LOCI DIFFICILIORES ILLVSTRANTVR;

AB AVCTORE PLERAEQVE EMENDATAE ET LOCVPLETATAE.

DISQVISITIO [*]

DE LINGVA LYCAONICA, AD LOCVM ACTOR. XIV. 11,

Ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν Λυκαονιστὶ λέγοντες.

Perillustri atque Excellentissimo Baroni, Domino MARQVARDO LVDOVICO DE PRINTZEN,

Potentissimi Regis Borussiae Consiliario Status intimo, Marescballo supremo, arcis praefecto, rerum Ecclesiasticarum omnium ac Feudalium Directori, aedis Dominicae Magdeburgensis Canonico, Comitatus Ruppinensis agrique Bellinensis Praesidi, Domino suo benignissimo.

Perillustris atque Excellentissime Baro, Domine benignissime

Etsi Dissertatio haec, quam Tibi offero, Perillustris Domine, cum per se levis sit, tum vero maxime arduis Tuis negotiis atque occupationibus non bene convenire videatur, veniam tamen Te pro incredibili Tua humanitate audaciae meae daturum esse confido, ubi primum intellexeris, quid me impulerit ad fronti huic Tuum perillustre nomen inscribendum. Est vero illud tam iustum tamque pium, ut, si id, quod

[*] Vide Praefationem, tom. I pag. VIII, X, XXV, et quae monui in Praefatione ante tertiam hanc Opusculorum partem.

quod nunc facio, aut intermiſiſſem, aut neglexiſſem, in reprehenſionem bonorum merito incurrerem. Etenim cum Muſarum Pruſſicarum praeſidium Tibi propitio Numine iam dudum commiſſum ſit, ego vero Tuis hiſce auſpiciis complures annos, partim in Gymnaſio Regio, partim in alma Viadrina, Muſis impenderim, officium meum a me id efflagitat, ut ſtudiorum meorum rationem Tibi reddam. Quodſi vero ego, qui Sanctiori Divinoque ſtudio totum vitae meae tempus addixi, parum aptam materiam ſelegiſſe videar, fateor equidem, me hactenus literas, quas vocant humaniores, pro ingenii modulo didiciſſe et excoluiſſe, ſed ita tamen, ut ipſius Theologiae, tamquam principis ſtudiorum meorum partis, non obliviſcerer. Perſuaſus enim ſemper fui, idque hortatu etiam S. Baſilii, literis humanioribus Sacras non modo mirifice exornari, verum etiam optimo more ſuperſtrui, atque illis, ceu fundamento cuidam bene recteque poſito, ſecure inniti. Accipe igitur ſerena fronte hoc quicquid eſt, etſi leve eſt, mei tamen animi, perilluſtri Tuo nomini unice dicati, ſymbolum atque teſſeram, et ſtudia mea, etſi in iis nihil praeter conatum literas addiſcendi deprehendes, vel tamen propter hoc ipſum Tuo favore Tuaque benevolentia excita inque maius provehe. Te vero, Perilluſtris Domine, ſummum Numen diu ſuperſtitem et incolumem conſervet, ut, quod hactenus feciſti, Rempublicam pariter et Eccleſiam conſilio ac re prudenter porro gubernare poſſis.

Perilluſtris atque Excellentiſſime Domine,
Tuae Excellentiae devotiſſimus cliens

Berolini die 5 Iunii MDCCXIV. *Paulus Erneſtus Iablonski.*

Pro-

* * * * *

Prooemium, in quo ratio ſcribendi redditur.

Non eram neſcius, cum huic rei pertractandae me accingerem, opus me ſuſcepiſſe, tum propter multorum hominum opiniones inglorium et inane, tum propter difficultates paene inſuperabiles arduum atque laborioſum. Neque enim dubitare poteram, fore non paucos, qui hanc materiam tamquam vilem indignamque, cui operam navarem, reprehenſuri eſſent, cum non modo nulla linguae *Lycaonicae* nunc exſtent veſtigia, ſed nec in vetuſtis quidem monumentis, praeter unam forte aut alteram vocem, illius mentio inveniatur. Illis equidem prolixe ſatis reſpondere poſſem, atque ſummorum virorum, qui in hac palaeſtra deſudarunt, exemplis oſtendere, et literas elegantiores et ipſam S. Scripturam nonnihil lucis ex hac diſputatione accipere. Cum autem inſtituti mei ratio id minus permittat, unice hoc peto, ut faciles et benigni lectores aetatis meae iuvenilis, ſeverioribus diſciplinis necdum aptae, rationem habere velint. Venit aliud ob mentem, magis mihi metuendum. Etenim cum viae inſiſtam, magnam partem inviae et deſolatae, non potuit evenire, ut in rebus omnibus veritatem aſſequerer, aut ſaltem indubitatam efficerem. Terrebant me initio magna virorum illuſtrium nomina, quos mihi adverſari intelligebam; atque profecto opus, cum ei ferendo par non eſſem, plane abieciſſem, niſi vidiſſem, viros etiam doctiſſimos in eadem mecum eſſe ſententia, eosque inter, quem honoris cauſa nomino, praeſtantiſſimum virum *Richardum Bentleium*, quo in his rebus peritior hodie vivit nemo. Eorum ſuffragio confirmatus, ſpartam paene deſertam reſumſi, penſaturus olim Dei O. M. ope, ſi quid, vel immaturi

iudicii culpa, vel defectu lectionis, quae tantae rei ſufficiat, nunc deliquero.

§ 1. *Status controverſiae proponitur.*

Anſam huic diſputationi, quam prae manibus habemus, praebuit locus S. Scripturae Act. XIV. 11, ubi Lucas ſcribit: *Cum vero multitudo videret id, quod Paulus fecerat, ſuſtulerunt vocem ſuam, dicentes lingua Lycaonica,* Λυκαονιϛὶ λέγοντες, *Dii hominibus aſſimilati ad nos deſcenderunt.* Quaeritur enim hic, quaenam ſit illa lingua *Lycaonica*, ſitne lingua quaedam peculiaris et ab aliis diſtincta, an vero ſecus? In diverſa abeunt, qui hunc locum, quamvis ſint pauci numero, interpretari hactenus aggreſſi ſunt. Etenim quidam exiſtimant, non eſſe hanc linguam diſtinctam a Graeca, niſi ratione peculiaris dialecti, propter quam vocetur *Lycaonica*, quales fuerunt, praeter celebres iſtas tres vel quatuor, Boeotica, Laconica, Arcadica, aliae, et quae longius abibant, Cretica, Rhodia et ſimiles aliae. Quibus iſta ſententia diſplicet, ii affirmant, fuiſſe linguam *Lycaonicam* plane a Graeca alienam, quales fuerunt lingua Scythica, Perſica, Aegyptiaca et aliae. His ut plurimum venerandi Patres aſſentiuntur; atque ſic etiam, ut quidam eorum, dum ſcopulum vitant, in contrarium incurrant. Cuius rei exemplo eſſe poteſt facundus ille *Chryſoſtomus*, qui [tom. IX p. 235, 236 ed. Montfauconii] hunc locum enarrans ait: Ἀλλ' οὐκ ἦν τοῦτο οὐδέπω δῆλον, τῇ γὰρ οἰκείᾳ φωνῇ ἐφθέγγοντο· διὰ τοῦτο οὐδὲν αὐτοῖς ἔλεγον· ἐπειδὴ δὲ εἶδον τὰ ϛέμματα, τότε ἐξελθόντες, διέῤῥηξαν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, *hoc autem neutiquam intelligebant* (Apoſtoli), *nam* (Lycaones) *domeſtica ſua utebantur lingua; idcirco nihil illis reſpondebant. Ut vero viderunt coronas* (quibus gentiles in ſacris utebantur), *tum egreſſi veſtes ſuas* (Apoſtoli) *dilacerarunt.*

Quam

Quam ſententiam, ut quae indigna tanto Apoſtolo, quantus fuit Paulus, contineret, merito damnat doctiſſimus *Bentleius*, de ſtultitia Atheismi p. 279, qui tamen in eo conſentit, fuiſſe a Graeca lingua hanc *Lycaonicam* haud parum diverſam. Longius progreditur *Hugo Grotius*, vir incomparabilis, qui in commentario ſuper hunc locum ait, *Lycaonicam* linguam fuiſſe Cappadocicam. De qua viri illuſtriſſimi ſententia in ſequentibus plura dicemus.

§ 2. *Singulorum argumentis expenſis, concluditur, linguam Lycaonicam non eſſe Graecam.*

Vidimus hactenus, quae principes virorum eruditorum de iſta lingua ſint opiniones. Aequum eſt, ut ante, quam certi aliquid in his definiamus, ſingulorum argumenta diligenter penſitemus.

Qui dialectum Graecam fuiſſe contendunt, hoc potiſſimum ii nituntur, quod omnes dialecti Aſiae minoris, veluti Phrygia, Lydia, Carica aliaeque, fuerint Graecae. Omitto iam quaerere, fuerintne illae dialecti Graecae, an minus, de quo commodius poſtea diſputabitur. Verum age, concedam, Phryges, Lydos, eosque populos, qui oram hanc Aſiae maritimam habitarunt, uſos fuiſſe dialecto Graeca, non tamen inde continuo ſequitur, regiones mediterraneas, Graecis ante Alexandri Magni tempora fere impervias, qualis fuit *Lycaonia*, etiam linguam Graecam adſciviſſe. Si quis vero aſſeverare velit, debellationem Aſiae per Alexandrum M. linguam huius gentis effeciſſe Graecam, is multo manifeſtius errare dicendus erit. Namque in textu Lucae ſacro Graecus ſermo, quo Apoſtoli uſi erant, diſerte τῇ τῶν Λυκαόνων φωνῇ opponitur. De illa igitur antiqua *Lycaonum* lingua diſputatio inſtituta eſt, ſitne haec dialectus Graeca, paulo longius fortaſſe abiens ac deflectens, an vero a Graeca lingua plane aliena.

Qui contrariam amplectuntur sententiam, adeoque linguam *Lycaonicam* a Graeca prorsus diversam iudicant, satis etiam instructi in hoc certamen literarium descendunt. Duo validissima argumenta nobis subministrat illustris *Bentleius*, de stultitia Atheismi p. 279; atque primo monet, *Ephorum*, et ex eo *Strabonem* Lib. XIV [p. 977, 978], universos fere Asiae minoris populos Barbaris accensere; deinde locum adducit *Stephani Byzantii*, qui in v. Δέρβη scribit, ἄρκευθον *iuniperum* sermone *Lycaoniorum*, ἐν τῇ τῶν Λυκαόνων φωνῇ, dictam fuisse Δέλβειαν. Conferatur *Drusii* in voces N. T. Commentarius prior v. *Derbe* p. 53. Illic *Lycaonum* linguam tamquam peculiarem aliquam nobis sistit; et ipsa quoque vox, quam affert, nec Graeca est, nec Graecae originis esse videtur. Dolendum vero est, virum doctissimum hanc rem, utpote ab instituto suo alienam, fusius non potuisse eo in loco docere. A voce Δέλβεια *Lycaonica* non multum differt Aegyptiaca ⲧⲉⲗⲥⲃⲥⲟⲩⲙ significans *iuniperum*, pro qua, sine nota foeminini generis, Λιβιούμ, apud auctorem appendicis ad *Dioscoridem* Lib. I cap. 103, ut in Collectione vocum Aegyptiacarum [t. I Opuscul. p. 126] observavi. Videntur autem Agyptiaca herbarum nomina per totum Orientem dissipata fuisse, cum Aegyptii prae reliquis omnibus fuerint rei herbariae studiosi. Vt hoc addam, Δέρβη, cuius mentio facta fuit, forte etiam est nomen Aegyptiacum. Ista enim lingua ⲧⲉⲣⲃⲥ dicebatur ἔπαυλις. Vid. Exod. VIII. 13, Psalm. LXIX. 25. (*a*). Vt

(*a*) Sic Carthago apud *Plautum* [*] dicitur *Chadre Anac*, id

[*] In Poenulo A. V. Sc. 2. v. 35 Sed est varietas, cum lectionis, tum interpretationis

Vt in viam revertamur; iam ante *Bentleium* in eamdem ſententiam de lingua *Lycaonica* conceſſerat alius Anglus, eruditione maxima conſpicuus, *Lightfootus*, Opp. Tom. II p. 731, motus hac ratione, quod *Strabo* Lib. VIII [p. 568] Cares vocet Βαρβαροφώνους ex *Homero* Il. B v. 867. Rem ipſam ſatis perſpexit vir eruditus, quamvis illa ratio, quam addit, rem noſtram non plane conficere queat. Etenim ſi, quod res eſt, dicere volumus, maximum inter Βαρβαροφώνους et Βαρβάρους diſcrimen poſitum eſſe invenimus. De Barbaris differendi paulo poſt melior ſe offeret occaſio. Nunc obſervabimus, Βαρβαροφώνους apud veteres duplicis praecipue (*b*) generis exſtitiſſe, qui utrique fuerint velut ſemibarbari. Alterum eorum genus ſic dicebatur a ſono quodam craſſo et obſcuro, quo voces proferre ſolebant, quaſi barbarum ſonantes. Generatim Βαρβαρόφωνος eſt, qui inſueto ſono utitur. Nam ſonus in linguis plane attendendus eſt; quam in rem elegans locus eſt apud *Quin-*

id eſt, exponente *Bocharto* in Geographia [lib. II c. 6] p. m. 363, דרך ענק, ἔπαυλις τοῦ Ἀνάκ. Vide et *Hornium* Orig. Americ. L. II p. 78. In Phrygia urbs commemoratur Μανδράπολις, apud *Stephanum Byz.* in h. v. Iconium prius dictam fuiſſe Ἀμανδραν, quaſi dicas, תרס, teſtis eſt auctor Chronici Alexandrini p. 92 ed. Raderi. In Aegypto erant *Scenae Mandrae*, non procul a Babylonia, ut patet ex Itinerario Antonini Aug. p. 169. Scribit *Plutarchus* in Marco Catone p. 616 ed. Steph. ἦν δὲ πλήσιον αὐτοῦ τῶν ἀγρῶν ἡ γενομένη Μανίου Κουρίου — ἔπαυλις.

(*b*) De variis *Barbarismorum* generibus vide *Quinctilianum* Lib. I Inſt. Orat. c. 5, *Strabonem* Lib. XIV p. 455, 456 [976—978], *Aulum Gellium* Lib. XIII c. 6, *Suidam* in v. Θερίῳ [t. II p. 187], *Scaligerum* Prolegom. in *Manilium* p. 2, 3. Conferantur, quae infra dicentur § 5.

Quinctilianum Lib. I c. I (*c*). Putabant igitur veteres, eos, quos vocabant Barbaros, alio quoque ſono voces proferre. Notatu digniſſimus locus eſt *Porphyrii* de Abſtinentia Lib. III [§. 3] p. 244, 245 ed. Lugd. Hinc ejusmodi hominum ſermonem cum ſono (*d*) animalium comparabant. Lingua Medorum aſſimilatur latratui canum, apud *Plutarchum* in Cimone p. 490. Diogenes ait in *Luciani* Βίων πράσει p. 366 [t. I p. 550], Βάρβαρος δὲ ἡ φωνὴ ἔσται, καὶ ἀπηχὲς τὸ φθέγμα, καὶ ἀτεχνῶς ὅμοιον κυνί. Varias hominum φωνὰς cum φωναῖς animalium variorum componit *Aelianus* Lib. V. de Nat. Anim. c. 51. Iungatur *Heſychius*, in v. Χελιδόσι obſervans, τοὺς Βαρβάρους χελιδόσι ἀπεικάζουσι διὰ τὴν ἀσύνθετον λαλιάν [ubi notavit *Verweyus*]. Iſtud autem Βαρβαροφωνίας vitium *Strabo* Lib. XIV p. 662 [977] etiam appellat Βαρβαροσμίαν, quam vocem optime in-

(*c*) De φωνῇ Barbarorum hoc ſenſu vide *Sextum Emp.* Lib. I Hypot. p. 16, edit. Genev. Pari ratione diſtinguuntur φωνὴ et διάλεκτος, apud *Plutarchum*, vel quisquis auctor, de Fluminibus p. 375, φωνὴ et λέξις apud *Diogenem Laërtium* Lib. VII [ſegm. 57] p. m. 471, qui ſcribit, διαφέρει δὲ φωνὴ καὶ λέξις· ὅτι φωνὴ μὲν καὶ ὁ ψόφος ἐστί, λέξις δὲ τὸ ἔναρθρον μόνον. Pertinet huc, quod ſcribit *Tertullianus* de Teſtim. Animae cap. ult. *Omnium gentium una anima, varia vox, unus ſpiritus, varius ſonus.*

(*d*) Sermonem Barbarum cum ſtridore aquae bullientis confert *Eubulus* apud *Athenaeum* Lib. VI p. 229 [380]

προσγελῶσά τε
Λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι.

Vid. *D. Heinſius* de Sat. Lib. I p. 40, 41. — De Troglodytis legatur *Euſtathius* ad *Dionyſii* Perieg. [v. 184 ſqq.] p. 34. — Addatur Pauli locus I Cor. XIV. 11.

interpretatur magnus *Salmaſius* in Funere [Oſſilegio] Linguae Helleniſt. p. 303. Nomine hoc Βαρβαροφώνων apud veteres inſignes erant Cares. *Homerus* canit Il. B. v. 867 ſive Catal. v. 374

Νάςης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων.

ad quem locum Scholiaſtes monet, Βαρβαροφώνων, ἀγριοφώνων (*e*), καὶ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἠχρηστηκότων, ὅτι τὰ μὲν ἀῤῥενικὰ θηλυκῶς ἔλεγον, τὰ δὲ θηλυκὰ ἀῤῥενικῶς. *Homeri* locum repetiit Strabo Lib. XIV p. 661 [976], ſed pro Νάςης dedit Μάσθλης. De iisdem Caribus *Tullius* teſtatur in Oratore ad M. Brutum cap. 8: *Itaque et Caria et Phrygia et Myſia, quod minime politae minimeque elegantes ſunt, adſciverunt aptum ſuis auribus opimum quoddam et tanquam adipatae dictionis genus, quod eorum vicini Rhodii nunquam probaverunt, Graeci multo minus, Athenienſes vero funditus repudiaverunt.* Idem cap. 15: *Eſt autem in dicendo etiam cantus obſcurior, non hic e Phrygia et Caria* etc. Fuiſſe hunc ſonum velut ululántis, ex eodem *Cicerone* diſcimus cap. 8: *Cum vero inclinata ululantique voce, more Aſiatico* (*f*), *canere coepiſſet.* Quod de his populis narrat etiam *Euſtathius* in *Dionyſium* Perieg. [ad v. 787 ſqq.] p. 118 ed. Rob. Steph., et apud eumdem *Aeſchylus.* Conferatur omnino *Strabo* l. c. [Lib. XIV p. 977 et 978]. Itaque hi populi, quamvis etiam Grae-

(*e*) Ἀγριοφώνων nomine appellantur antiqui Lemni incolae ab *Homero* Odyſſ. Θ. 294.

(*f*) *Petronius* p. 41 et 42: *In foro ſic illius vox excreſcebat, tanquam tuba, nec ſudavit unquam, nec exſpuit. Puto eum neſcio quid Aſiatici habuiſſe.* Comparentur *Strabo* Lib. XIII p. 422 [930], *Suetonius* in Octav. c. 86, *Cicero* de claris Oratoribus c. 13 et 95.

Graeca lingua uterentur, erant tamen Βαρβαρόφωνοι. Quin imo ipſius Graeciae quidam populi ſub hunc cenſum veniebant. *Heſychius* ait, Βαρβαρόφωνοι οἱ Ἠλεῖοι καὶ οἱ Κάρες, ὡς τραχύφωνοι καὶ ἀσαφῆ τὴν φωνὴν ἔχοντες, *Barbarilingues dicti ſunt Elei et Cares, ut qui duro et obſcuro oris ſonitu laborent.* Loquitur de Eleis, non vero de Ilienſibus, ut vult *Voſſius* in Etymologico v. *Barbarus*, ſecutus *Scaligerum*, qui Ἠλεῖοι mutabat in Ἰλιεῖς (*g*). Minus recte ſic iudicaſſe viros ſummos, nos docet *Euſtathius*, cuius verba in notis citabo.

Eſt et alterum Βαρβαροφώνων genus, qui nec barbara lingua utebantur, neque obſcuram illam dictionem

(*g*) Videtur illa Eleorum Βαρβαροφωνία in nimio uſu literae $\overline{\rho}$ conſtitiſſe. Coniecturae huic primam occaſionem mihi praebuit *Strabo* Lib. x p. 308 [687, 688], ubi de Eretrienſibus, Eleorum ἐποίκοις, et a quibus didicerant frequentiorem literae $\overline{\rho}$ uſum. Conf. notae *Caſauboni*. Meminit, praeter *Platonem* et *Athenaeum*, τοῦ Ἐρετρικοῦ ῥῶ *Phrynichus* de dictionibus Atticis p. 18 edit. 1601. Conſulatur quoque *Leopardus* Lib. VIII Emendationum c. 15, ubi tamen memineris *Euſtathium* corrigere ex *Varino*, non contra, ut volebat. *Euſtathii* locus, quem reſpicit *Leopardus*, exſtat in Il. A p. 114. alius vero eiusdem *Euſtathii* locus, qui haec omnia egregie illuſtrat et meam coniecturam confirmat, exſtat in Il. B. p. 279, Ἐκωμῳδοῦντο οἱ Ἐρετριεῖς ὡς πολλῷ τῷ $\overline{\rho}$ ἐν ταῖς ὁμιλίαις χρώμενοι· διὸ καὶ αὐτοὶ, καθὰ καὶ Ἠλεῖοι, Βαρβαρόφωνοι ἐκαλοῦντο, ὡς ἐν Ῥητορικῷ εὕρηται Λεξικῷ, διὰ τὸν πλεονασμὸν τοῦ $\overline{\rho}$, οἱ μέντοι Κάρες ἄλλως Βαρβαρόφωνοι. Ex quibus verbis etiam patet, utrumque et *Phavorini* et *Euſtathii* locum apud *Leopardum* ſollicitandum non eſſe, utpote recte ſe habentem. Nam Elei atque Aetoli eiusdem vitii ibi redarguuntur. Vide praeterea eumdem *Euſtathium* in Il. B. p. 304, Il. Δ. p. 440, 484, 492. Vitium iſtud veteres appellabant ῥώζειν, monente *Sopingio* ad *Heſychium* v. Ῥιζῶν.

nem ſive elocutionis rationem ſequebantur, ſed vocibus barbaris et ſuis promiſcue utebantur. In hanc ſententiam *Diodorus Siculus* Lib. 1. p. 5 [p. 11 edit. Weſſelingii, in qua e textu eiectum ὑπαρχούσης] meminit τῆς φωνῆς ἀσήμου καὶ συγκεχυμένης ὑπαρχούσης; et ἠχή τις ἄκριτος καὶ συμμιγὴς occurrit apud *Plutarchum* in Timol. p. 249. A. Quod *Heſychius* pariter docet his verbis, Ἀκριτόφωνοι, Βαρβαρόφωνοι· συγκέχυται γὰρ ἡ Βαρβάρων φωνή, *Qui promiſcue loquuntur, dicuntur Barbarilingues; Barbarorum enim lingua confuſa eſt.* Videtur reſpici ad verba *Homeri* Il. Δ. v. 437, 438, ad quem locum omnino videndus *Euſtathius* p. 494. Ex quibus intelligitur, quod dixi, non eosdem eſſe Βαρβαροφώνους et Βαρβάρους. Quamvis ergo doctiſſimus *Lightfootus* rem ipſam acu tetigiſſet, non ſane hoc argumento impetus adverſariorum frangere potuit.

Grotius vero ſententiae ſuae, quam affert, plane nullam rationem reddit, eamque nobis examinandam relinquit, quod paucis deinde tentabimus.

Quidquid ſit, illae rationes, quas excellentiſſimus *Bentleius* protulit, rem faciunt planam et perſpicuam, nihilque reſtat, quam ut eam ab aliorum aſſultibus tutam et ſecuram praeſtemus.

§ 3. *Ad obiectiones quasdam generaliores reſpondetur.*

Antequam in hoc curriculo pergam, unum impedimentum, quod nonnihil negotii faceſſere videtur, e medio tollendum eſſe duco. Etenim multi ſcriptores Graeci, ne *Strabone* quidem excepto, plurima nomina regionum, urbium, fluviorum ac ſimilia, in his locis ex Graeca lingua derivare nituntur. Etymologici auctor in v. Ἰκόνιον et *Euſtathius* in *Dionyſium Perieg.* p. 127 putant, hanc civitatem dictam fuis-

fuisse a muliere facinorosa, quae cum multos viros occidisset, tamdem a Perseo ope capitis Gorgonei in saxum conversa fuerit (*); additque Etymologus, τὴν εἰκόνα ἐπὶ πολὺν χρόνον διαμεῖναι λιθίνην, effigiem (iconem) istius mulieris per longum tempus lapideam (*h*) permansisse. Hinc loco nomen. Quam de hac muliere narrat historiam Etymologici auctor, eam de Semiramide Assyria *Diodorus Sic.* Lib. II [c. 13] p. 101, et de Omphale Lydia *Athenaeus* Lib. XII p. 516 [416, 417] refert. Neutra tamen in Persei aetatem congruit. Aliam similem huius nominis *Iconium* reperimus originem in eodem Etymologico et apud *Stephanum Byzantium* in v. Ἰκόνιον. Quae tamen a viris eruditis tamquam absurda risu excipiuntur. Eodem loco habendum est, quod *Halyn* fluvium sic appellatum ab *errando* scribit auctor Etymologici in Ἅλυς, vel a *Salibus*, ut volunt *Strabo*

(*h*) Non forte de nihilo haec de lapide fama nata fuit. Multa sermonis Aegyptiaci vestigia in *Lycaonia* deprehendi, mihi quidem fit verosimile, et infra plenius dicam. In Ἰκόνιον manifeste apparet ⲱⲛⲓ *lapis* Aegyptiace, unde forsitan ipsa *Lycaonia* nomen traxit, ut deinde monebo. An igitur dictum *Iconium* ab ϩⲁ ⲱⲛⲓ *daemone lapideo*; vel ϩⲓⲕ ⲱⲛⲓ *mago lapideo*, cuius nimirum statua et memoria illic conservata fuerit?

(*) Comparetur *Suidas* v. Μέδουσα, t. II p. 518. c. n. *Kusteri*. Dicitur illic Amandra urbs postea vocata *Iconium* διὰ τὸ ἀπεικόνισμα τῆς Γοργόνης. Rem eamdem iisdem fere verbis narrat auctor Chronici Alexandrini sive Paschalis. p 39. *Eustathius* ad *Dionysii* v. 804 tantum scribit, *Iconium* dictam esse ἀπὸ εἰκόνος, sed reliqua adiungit ad v. 854. et sqq. Conf. *Berkelius* et *Holstenius* ad *Steph. Byz.* v. Ἰκόνιον.

bò Lib. XII p. 377 [822] et Scholiaſtes ad *Apollonii Rhodii* Lib. II v. 966. Sui oblitus erat *Strabo*, cum iſta ſcriberet, nam alia eiuſdem ſcriptoris loca, quorum et ego quaedam allaturus ſum, docent, eum hanc rem melius ſciviſſe. Notatu inprimis digna haec ſunt ipſius verba Lib. XIII p. 417 [904, ad q. l. conſulatur *Caſaubonus*], quibus, poſt traditam urbis Scepſeos etymologiam, prudenter utitur, εἰ δεῖ τὰ παρὰ τοῖς βαρβάροις ἐν τῷ τότε, nempe ante Alexandri Magni tempora; ὀνόματα ταῖς Ἑλληνικαῖς ἐτυμολογεῖσθαι φωναῖς. Sic etiam *Plutarchus* iunior in libro de Fluminibus narrat, Maeandrum prius dictum fuiſſe ἀναβαίνοντα, *retrogredientem*, quod nempe ſinuoſus erat; unde *Ovidius* VIII Metamorph. 162 ſeqq.

Non ſecus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
Ludit, et ambiguo lapſu refluitque fluitque,
Occurrensque ſibi venturas adſpicit undas.

et Heroid. Epiſt. IX, v. 55, 56,

Maeandros, toties qui terris errat in isdem,
Qui lapſas in ſe ſaepe retorquet aquas.

Quaſi vero illic Graeci fuerint, qui flumini hoc nomen indere potuiſſent. Legerat forſitan auctor ille libri de Fluminibus apud poëtam quemdam, Maeandrum eſſe ἀναβαίνοντα, ob rationem nempe, quam dedimus, ſed hinc ipſe male colligebat, id olim fuiſſe flumini nomen. Cuiusmodi errores nonnumquam obtinuiſſe, ignotum non eſt. *Pindarus* Pythonem vocarat *petroſam* Olymp. VI p. 51 edit. Steph. [v. 80, 81]

Βασιλεὺς
δ' ἐπεὶ πετραέσσας ἐλαύνων ἵκετ' ἐκ
Πυθῶνος,

Rex

Rex autem poſtquam petroſa equitans rediit ex Pythone.

ubi Scholiaſtes exponit πετραέσσας τραχείας, *petroſae* (Pythonae) i. e. *aſperae.* Atque alii forte etiam poëtae hoc epitheto uſi fuerunt [*]. Idem tamen vetus interpres alioquin non indoctus in Pyth. Od. 1 p. 187 ait fuiſſe hoc Pythoni prius nomen, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Νάπη, εἶτα Πετρηέσσα, εἶτα Κρίσσα, εἶτα Πυθώ, vocabatur (Pytho) primum Nape, deinde Petreſſa (Petroſa), poſt Criſſa, tamdem Pytho [**]. Poſſem alia quoque exempla afferre, niſi brevitati ſtuderem. Similia enim idem ille *Plutarchus* tradit de flumine Sagari et aliis. Certe multa hic ſunt fabuloſa, multa ad Graecorum ſermonem detorta, quae Graeca minime ſunt; quod aliquando etiam illorum temporum ſcriptores agnoverunt. Luculentum nobis exemplum praebet *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII p. 286 edit. Gronov., ita ſcribens: *Intra hunc circuitum* Adiabena *eſt*, Aſſyria *priſcis temporibus vocitata, longaque aſſuetudine ad hoc tranſlata vocabulum ea re, quod inter Onam et Tigridem ſita, navigeros fluvios, adiri vado nunquam potuit.* Tranſire *enim* διαβαίνειν *dicimus Graeci; et veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem didicimus* [alii, *id dicimus*], *quod in his terris amnes ſunt duo perpetui, quos et tranſivimus*, Diabas *et* Adiabas, *iuncti navalibus pontibus; ideoque intelligi* Adiabenam *cognominatam, ut a fluminibus maximis Aegyptus.*

Graeci non raro nomina locorum peregrina ſic ad ſo-

[*] Uſus eſt *Homerus* Il. I. 405, Πυθοῖ ἔνι πετρήσσῃ, et Il. B v. 519 ſive in catalogo navium v. 26 Πυθῶνά [τε πετρήσσαν, ubi epitheton hoc explicat Euſtathius p. 273.

[**] Legantur *Holſtenii* notae ad *Stephanum Byzant.* p. 266.

ſonum linguae ſuae detorquebant, ut vix ac ne vix quidem vera eorum ratio inveniri poſſit. Recte igitur *Salmaſius* Praefat. Libri de Annis Climactericis p. XVI: *Falluntur itaque, qui ſe putant ex appellationibus, quibus Graeci gentes et provincias civitatesque appellant, poſſe ad veram eorum originationem pervenire, cum nihil ſit illis corruptius. Omnia enim ad ſonum ſibi familiarem et proprias flexiones vocabulorum detorquent: ut quos vocant* Γαλάτας, *non ſunt, nec fuerunt unquam iſto nomine a ſuis nuncupati. Ita de aliis.*

Tum etiam hoc minime praetereundum eſt, urbes et regiones ſaepe alio nomine appellari ab incolis, alio a Graecis, horumque imitatione a Romanis. Videntur Graeci nomina barbara repudiaſſe, ſuasque Graecas denominationes urbibus barbaris indidiſſe, quia nomina peregrina pronuntiatu admodum difficilia Graecis erant. *Plinius* ſcribit in Praefat. Lib. VI *Populorum eius oppidorumque nomina vel maxime ineffabilia, niſi ipſorum linguis. Aelianus* quoque ait Lib. XII de Nat. Animal. c. 11, τὸ ὄνομα τοῦ χώρου, ἔνθα τρέφεται (Ὄνουφις), Αἰγύπτιοι λεγέτωσαν ἡμῖν λόγοι· τραχὺ γάρ, et ſignificat, quam ſit Graecis difficilis pronuntiatio nominis loci, in quo Onuphis nutritur, relinquenda igitur potius ipſis Aegyptiis. Cum autem nomina Graeca, inprimis poſt tempora Alexandri Magni, urbibus ac fluviis indita eſſent, non tamen amittebantur nomina antiqua Barbara. Conf. *Ammianus Marcellinus* Lib. XIV p. 32; et *Euſtathius* ad *Dionyſium Perieg.* p. 14 ac 19 (*i*). Exemplis paucis rem illuſtrabo. *Plutarchus*, doctiſſimus au-

(*i*) Idem obtinuit in nominibus animalium et herbarum. Memorabile exemplum habes in *Pauſaniae* Arcadicis p. 253 [c. 22 p. 641].

auctor, memoriae prodidit in vita Luculli p. 514, urbem eam, quam Barbari *Niſibin* (*k*) appellarunt, Graecos nominare *Antiochiam Mygdoniam*, quod idem etiam *Strabo* docet Lib. XVI p. 514 [1083] (*l*). *Ptimyrin* Aegyptii, quam Graeci communi conſenſu *Delta*, appellabant. Vide *Stephanum Byzant.* in v. Δέλτα. *Cotes* promontorium Mauritaniae a Barbaris, a Graecis *Ampeluſia* dicebatur, ut in *Melam* Lib. I c. 5. obſervavit *Iſ. Voſſius.* Sic *Hierapolis* a Barbaris *Bambyx*, et *Polas* a Colchis dicta, aliter a Graecis, ut patet e *Callimachi* epigrammate, inter eius epigrammata edito et apud *Strabonem* [*]. Vide prae-

(*k*) In Graeco textu male legitur Σίβιν. In Synodico apud *Labbeum* Tom. II col. 96 Ἰτζίβιος vel Ἰτζιβιον nuncupatur. Legendum omnino Νιτζίβιον. Barbari certe, uti ex lingua Armenica perſpicitur, *Nietzbi* pronuntiabant, ut linguae Armenicae vir peritiſſimus *M. V. la Croze* mihi indicavit. Νάσιβις vocatur apud *Stephanum Byzant.* v. Ἀντιόχεια, ut ex veſtigiis ſcripturae veteris recte corrigunt viri docti, *Berkelius* et *Holſtenius*, quorum notas conſule. Vide et eosdem ad *Stephanum* v. Νίσιβις. Obſervat illic etiam *Berkelius*, a Syris dictam fuiſſe נציבין *Netzibin*, a cumulo lapidum, uti *Uranius* apud *Stephanum* nomen hoc interpretatur. Comparentur de eadem *Golius* in *Alfragan.* p. 236 fqq., et *Aſſemani* Diſſertatio de Monophyſitis, praemiſſa Tomo II Bibliothecae Orientalis, pag. CII, CIII.

(*l*) Iungantur *Fl. Joſephus* Antiq. Lib. XX [c. 4] p. 687, *Theodoretus* Lib. II Hiſt. Eccl. c. 30. Hinc fluvius, ad quem ſita eſt Niſibis, a *Juliano* Oratione I [p. 27

[*] Lib. I p. 78, 79 epigramma integrum legitur, pars autem eiusdem lib. V p. 330. Ex *Strabone* repetiit et illuſtravit *Bentleius* in Fragmentis *Callimachi*, t. I p. 476, 477 edit. Erneſtinae.

praeterea de Graecis aliarum urbium nominibus *Fl. Ioſephum* Lib. I. Antiq. c. 6. Verum eiusmodi rebus, ut opinor, ſatis notis, non diutius immorabor.

Redeo, unde digreſſus eram, ad Graecorum fabulas, quo etiam pertinent, quae de Graecorum in has regiones migrationibus (*m*) aut narrant, aut fingunt. Praetereo Deucalionis in Syriam adventum, ubi diluvium paſſus eſt, et templum exſtruxit, auctore *Luciano* [*], ſi modo is auctor fuit, iuvene admodum et adhuc religioſo. Etenim tota illa deſcriptio quam optime cum hiſtoria diluvii Noachici conſpirat. Praeterea, *Lucianus* Deucalionem, non Graecum, ſed Scytham ait fuiſſe, contra quam alii faciunt. Neque me

27 et Orat. II p. 62] vocatur *Mygdonius*. Nec aliter legendum apud *Menandrum* in Eclogis Legationum Hoeſchelianis p. 147, Eumdem vero fluvium ab aliis dictum fuiſſe *Maſtiris*, docet *Aſſemanus* l. c.

(*m*) De migrationibus veterum id in genere obſervandum, eas eſſe ſubobſcuras, et diverſimode a variis enarrari. Quod ex illis exemplis, quae huc attuli, iam abunde liquet. Deinde, iſtae migrationes non ſemper totam gentis linguam immutarunt, niſi gens ipſa ſedibus expulſa aut plane ſubiugata fuerit. Etenim v. gr. ſi verum eſt, Medeam cum marito ſuo et filio in Mediam veniſſe, non tamen ibi linguam ſuam introduxit. Athenienſes ipſi, ſi *Theopompo* apud *Proclum* Lib. I in Timaeum p. 30 credimus, Aegyptiorum fuerunt ἔποικοι [**], atque certum eſt, Graecos maximam

[*] De Dea Syria, t. II p. 457 ſqq. edit. Hemſterh.

[**] Eximiam mecum hanc animadverſionem communicavit Celeb. *Wyttenbachius*: „*Jablonskius* non animadvertiſſe videtur vim nominis ἔποικοι. Hi ſunt, qui aliunde veniunt habitatum apud veteres cives ac poſſeſſores alicuius regionis vel urbis, *accolae*, *incolae*, *inquilini*. Ita *Theopompus* tradidit Athenienſes fuiſſe Saïtarum ἐποίκους. Vim nominis ſaepe ignoratam explicui in Animadverſ. ad *Plutarchi* Mor. P. 244, E. Sed haec pars Commentarii nondum edita eſt."

me movent, quae de Perſei in Armeniam et Perſidem itineribus ſcripſerunt, cum ea omnia fabulis mirum in modum ſint involuta. Neque huc Telephus Herculis filius quidquam facere poteſt, nam puer admodum in Myſiam devenit, atque ſic moribus et linguae illius gentis facile potuit aſſueſcere. Quae de Iaſone commemorant *Strabo* Lib. XI p. 347, 362, et *Juſtinus* Lib. XLII c. 2, eum has regiones Orientales una cum Medea coniuge repetiiſſe, et ubique adventus ſui monumenta reliquiſſe, haec inquam obſcura ſunt, et a paucis probantur. Solam Medeam in patriam rediiſſe, quod *Tzetzes* narrat in *Lycophronem* [v. 175] p. 36 edit. Opor., et *Diodorus Sicul.* confirmat Lib. IV [c. 55] p. 248, veritati magis videtur congruere. Nihil vero tam ad rem noſtram facit, quam id, quod *Euſtathius* in *Dionyſium* [v. 857] p. 127 commemorat, Lycaonem Arcada in *Lycaoniam* veniſſe, et regioni nomen dediſſe. Quia nimirum Lycaonis nomen cum *Lycaonia* conſpirat, hinc Graeci quidam exiſtimarunt, fieri vix aliter poſſe, quin *Lycaonia* a Lycaone nomen traxerit, cum alioquin Lycaonis in Arcadia et reliqua Graecia apud vetuſtos ſcriptores ampliſſima hinc inde memoretur proles (*n*). Videtur autem errori anſam dediſſe, quod ipſa Arcadia a Lycaone primitus *Lycaonia* dicta fuiſſe perhibeatur (*o*). Ceterum iſtiusmodi etymologias quotidie a Grae-

mam et antiquiſſimam cultus ſui divini partem ab Aegyptiis accepiſſe. Immenſum tamen lingua Athenienſium ab ea Aegyptiorum veterum abeſt. Si vero contra Saïs eſt Athenienſium colonia, ut alii apud *Proclum* l. c. monuerunt, idem illud dicendum.

(*n*) De alio Lycaone vid. *Homerus* Il. Δ, 89 cum comm. *Euſtathii* p. 448.

(*o*) *Dion. Hal.* L. I p. 10, L. II p. 77. *Euſtath.* in Il. B. p. 300.

Graecis fictas fuisse, illi maxime sciunt, qui Poëtarum Graecorum Latinorumque vetustos interpretes consuluerunt. Alii *Lycaoniam* a Lyco amne dictam fuisse, sibi persuadent; quod tamen etiam *Cellario* veteris Geographiae peritissimo, displicuit, Tom. II Geogr. Antiq. p. 120. Nomen *Lycaoniae* non video rectius tutiusque, quam ex lingua Aegyptiaca, posse derivari. *Caoni* enim, lingua Aegyptiorum, *solum* et *tellus lapidosum* significat, a ⲕⲁⲍⲓ, *solum*, *tellus*, et ϣⲛⲓ, *lapis*. Eodem modo quo *Canobus* ab ipsis Aegyptiorum Sacerdotibus, teste *Aristide* in Aegyptiaco [t. II. p. 359], *aurea tellus* exponitur, a ⲕⲁⲍⲓ, *terra*, *tellus*, et ⲛⲟⲩⲃ, *aurum*. Conferatur *M. V. la Croze* in eximia Dissertatione, quae est adiecta Collectioni Orat. Dominic. Chamberlaynianae [*]. Hinc etiam Lycaoniae urbs Ἰκόνιον nomen habere videtur, ut supra in nota ad §. 3 observavi. Nomen autem tel-

[*] Conf. tom. I. Opusc. Iablonsk. p. 106, 107. — Quamvis vehementer dubitem, an notatio nominis *Lycaonia* cuique placere queat, nolui tamen eam, ab auctore exemplo suo adscriptam, negligere, et id eo minus, quia sententia de vestigiis linguae Aegyptiacae in Lycaonica *Iablonskio* ita arrisit, ut ad calcem exempli sui adderet: „ Non dubito, fore plerosque, qui hanc coniecturam meam ineptam et ab omni veri specie remotam esse existimaturi sint, quibusque iste conatus cum conatu *Goropii Becani*, qui omnia ad linguam Belgicam detorquere nitebatur, comparandus esse videbitur. Neque ego argumenta tanti ponderis esse iudico, ut opinionem, aut hariolationem potius, ab omnibus obiectionibus tutam sint praestitura. Volui tamen, quid ea de re aliquando mihi visum fuerit, memoriae mandare, iudicium cuique liberum permissurus perquam lubenti animo". Repetit deinde, quae supra dixerat de origine nominum propriorum *Derbe*, *Lycaonia*, et *Iconium*, quae ex lingua Aegyptia explicanda opinatur. Tamdem concludit: „ Itaque ulterius pergendum esse duxi, inque rem cura mea non indignam porro inquirendum, praesertim cum de coloniis Aegyptiorum in Asia constet, uti pag. 13 [§ 6 huius Disquisitionis] pluribus adstruxi".

telluris lapidosi bene convenit naturae regionis Lycaonicae. Dubium tamen remanet de syllaba priori *Ly* in *Lycaonia*. Forsitan illud nomen fuit Ducis coloniae, aut vetusti cuiusdam Principis, cuius nominis vestigia etiam in Lyco amne fortassis cernuntur. Dubito, an huc pertineat observatio Scholiastis ad *Apollonium Rhodium* Lib. II v. 374, Ἀμερίας δὲ ἐν γλώσσαις Λισσὸν τὸ ὑψηλὸν ἀποδίδωσιν. Conf. idem Scholiastes ad v. 733, et *Hesychius*, vocem Λισσὸν exponens ἄναντες, ἀπότομον, ὑψηλόν. Potest et Λυ vel Λα ex more Chaldaeorum esse adiectum; quod in quibusdam eius tractus civitatibus aliis *Bachartus* observavit, Geogr. P. I Lib. IV c. 23, et inter alia monuit, Λάρισσαν eamdem urbem esse, quae in S. Scriptura *Resen* appellatur. Similiter nomina alia locorum aut fluminum peregrina ab initio hac illave ratione augentur. Sic רֹאשׁ Gen. II. 14, a scriptoribus exoticis *Euphrates* vocatur, de qua additione disputat Clar. *Millius* in Dissert. selectis p. 30 [200 ed. novae] §. XXI, cuius tamen coniectura mihi non probatur.

§. 4. *De linguis gentium Asiae minoris generaliter probatur, eas Graeco sermone usas non fuisse, quia Barbarae vocantur.*

Sed omissis tamdem aliquando his Graecorum aliorumque nugis, quas adferre oportebat, ne quid praetermisisse viderer, propius ad linguam, de qua sermo est, *Lycaonicam* accedo. Cuius ipsius linguae cum pauciſſima reperiantur vestigia, ut iam monui, finitimas in consilium adhibeamus necesse est, ut sic quodammodo iudicium ferre possimus. Quod sane impeditum est atque arduum negotium, cum in Asia minori, quot regiones, tot quoque fuerint Dialecti, quae quales fuerint, nondum inter eruditos constat.

Fuisse

Fuiſſe diverſas, patet vel ex Sacra Scriptura, Act. Ap. II: 8, 9, *Et quomodo unusquisque noſtrum audimus eos loquentes ſermone eius regionis, in qua nati ſumus, Parthi, Medi, Elamitae, et inhabitantes Meſopotamiam, Judaeam, et* Cappadociam, *et Aſiam* (ſcil. Proconſularem, ſive *Lydiam*), *et* Phrygiam *Pamphiliam*que, *Aegyptum*, &c. Quam diverſitatem confirmat narratio de Mithridate apud *Aulum Gellium* Lib. XVII c. 17; eamdemque regnante Nerone adhuc obtinuiſſe, teſtimonio hominis barbari non illepido comprobat *Lucianus* de Saltat. p. 940 [t. II p. 303]; quod ad rem noſtram non parum facit, et magis etiam perſpicuum fiet, ubi de ſingulis quaedam delibabimus. Solebant Graeci, quaſi Autochthones, non modo diverſam ſuam a Barbaris venditare originem (*p*), atque de ſua ſola lingua magnifice ſentire (*q*), ſed et communi nomine hos omnes Aſiae minoris populos vocare *Barbaros*, exceptis Ionibus, Doribus et Aeolibus, qui Graeci origine erant, et Graecam linguam uſurpabant. Hinc *Pindarus* Iſthm. VI [v. 35] p. 470,

οὐδ' ἔϛιν οὕτω
Βάρβαρος οὔτε παλίγγλωσσος πόλις.

Confer. *Thucydidem* Lib. II p. 50 edit. Herv. Qui vero *Barbari* dicebantur, illis Graeca lingua patria ſive vernacula non erat. Solebant enim Graeci univerſum terrarum orbem ita dividere, ut ipſi alteram eius partem conſtituerent, reliqui vero, qui Graeci ori-

(*p*) Vide tamen *Porphyrium* de Abſtinentia Lib. III. p. 322 [§ 25].

(*q*) *Diodorus Sic.* Lib. I [c. 9]. *Euſebius* Lib. I Praepar. Euang. p. 14.

LIBRARY OF THE

origine non eſſent, communi Barbarorum nomine dicerentur. Quam in rem eſt elegans *Platonis* in Politico locus p. 118 edit. Baſil. Gr., Οἷον εἴ τις τἀνθρώπινον ἐπιχειρήσας δίχα διελέσθαι γένος διαιροῖ, καθάπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἐνθάδε διανέμουσι, τὸ μὲν Ἑλληνικὸν ὡς ἓν ἀπὸ πάντων ἀφαιροῦντες χωρὶς, σύμπασι δὲ τοῖς ἄλλοις γένεσιν, ἀπείροις οὖσι καὶ ἀμίκτοις καὶ ἀσυμφώνοις πρὸς ἄλληλα, Βάρβαρον μιᾷ κλήσει προσείποντες αὐτὸ, διὰ ταύτην τὴν μίαν κλῆσιν καὶ γένος ἓν αὐτὸ εἶναι προσδοκῶσιν, *Quemadmodum ſi quis univerſum genus humanum bifariam diviſurus ita partiatur, ut multi facere hic ſolent, qui Graecos velut unam quamdam gentem ab omnibus aliis ſegregant, reliquas vero gentes omnes atque ſingulas, quamvis numero ſint infinitae, et nullam aut regionis aut linguae communionem habeant, uno nomine Barbaros dicunt, et propterea quoque unam gentem eſſe affirmant.* Comparari poſſunt *Strabo* Lib. I p. 45 [66] et *Clemens Alex.* p. 338, 339 [Strom. lib. I p. 364]. Ex *Philone* idem docet *Salmaſius* in oſſilegio Linguae Helleniſticae p. 354. Atque hoc ſenſu ne Romanos quidem, gentem cultiſſimam, Graeci excipiebant: quod vel ex *Plauto* apparet, in Aſinariae Prologo v. 10:

Dicam; huic nomen *Graece* eſt Onagos fabulae,
Demophilus ſcripſit, Marcus vortit *Barbare.*

Barbare, id eſt, *Latine* [*]. Pyrrhus quoque Romanos appellavit Barbaros. Vide *Plutarchum* in Fla-

[*] Laudat hunc *Plauti* locum *Feſtus* de V. S. p. 48, ut oſtendat, *Barbaros* dictos eſſe *antiquitus omnes gentes exceptis Graecis.* Alia cumulavit Weiſtenius ad verba Pauli Apoſtoli Rom. I. 14.

Flamin. p. 371 et in vita Pyrrhi p. 398. A. Pariter *Ariſtoteles* Romanos pro Barbaris habuiſſe videtur in libro, quem citat *Varro* Lib. VI de L. L. p. 78. Non alio ſenſu Romani vocantur Βαρβαρόφωνοι in Oraculis Sibyllinis, Lib. I prope finem p. 191 ed. Paris. [187 ed. Gallaei]. Heraclides tamen Ponticus, apud *Plutarchum* in vita Camilli p. 254 edit. Steph., Romanos agnoſcit pro Graecis, a quo diſſentire alios vidimus. Conf. *Strabo* l. c. Atque hinc factum eſt, ut alias gentes Graeci vocare ſolerent *elingues*, ſine uſu linguae viventes, quia nempe Graeco ſermone non utebantur. *Heſychius* ait, "Αγλωσσοι· Βάρβαροι καὶ σιωπηροί, *Elingues, ſive lingua carentes, dicuntur tum Barbari, tum taciturni.* Eapropter "Αγλωσσος et Ἕλλὰς opponuntur a *Sophocle* in Trachin. v. 1077, ubi vox prior a Scholiaſte exponitur κακόγλωσσος, βάρβαρος, ἢ ἀλλόγλωσσος. Quem Poëtae locum citans *Cicero* Lib. II Quaeſtion. Tuſculan. c. 1 [8] vocem ἄγλωσσος Latine interpretatur *barbaram immanitatem.* Attamen Graecos aliquid diſcriminis poſuiſſe inter Barbaros nec eodem loco habuiſſe, patet ex *Demoſthenis* Oratione in Philippum tertia p. 107 [vol. I p. 119 ed. Reiskii]. Unde quosdam vocarunt nomine τῶν τελέως Βαρβάρων, ut docet *Strabo* Lib. XI p. 358 [790], et *Varro*, agens de vocabulis Punicis, Gallicis et Aegyptiacis. Idcirco Eurydice Illyrica apud *Plutarchum* de Educat. Liberor. p. 74 edit. Steph. vocatur τρίβαρβαρος. Barbaros autem dividebant Graeci in Europaeos et Aſianos. Scribit *Aelianus* V. H. Lib. VIII cap. 6, Ἐνόμιζον αἴσχιστον εἶναι πάντες οἱ τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντες Βάρβαροι, χρῆσθαι γράμμασιν· οἱ δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὡς λόγος, ἐχρῶντο αὐτοῖς μᾶλλον. *Turpiſſimum et ſummum dedecus putarunt Barbari in Europa habitantes, literis uti, Aſiani vero, ut fama eſt, magis iis uſi ſunt.* Inter Europaeos Barbaros non tantum Thraces et Scy-

thas praecipue ponebant, ſed etiam Gallos ſive Celtas, quo nomine Germani quoque ſaepe veniunt. *Lucianus* in Pſeudol. p. 591 edit. Salmur. [t. III p. 171]; Νὴ Δί, *οὐ γὰρ ἦν τῶν Ἑλλήνων ἴδιον, ἀλλὰ πόθεν ἐπεισκωμάσαν αὐτοῖς ἀπὸ τῆς πρὸς Κελτοὺς, ἢ Θρᾷκας, ἢ Σκύθας, ἐπιμιξίας, Non enim*, Per Iovem, *Graecorum propria erat vox, ſed aliunde ex Celtorum, aut Thracum, aut Scytharum commixtione inſolenter ſe inſinuavit.* Idem in Iove Tragoedo p. 197 [t. II p. 650], Οὐχ *ἅπαντες τὴν Ἑλλήνων συνιᾶσιν· ἐγὼ δὲ οὐ πολύγλωσσός εἰμι, ὥστε καὶ Σκύθαις καὶ Πέρσαις καὶ Θρᾳξὶ καὶ Κελτοῖς συνετὰ κηρύττειν, Non omnes Graecorum linguam intelligunt; ego vero varias linguas non calleo, ut et Scythis et Perſis et Thracibus et Celtis ea, quae intelligant, poſſim praedicare.* Eosdem ita coniungit *Ariſtoteles* Lib. VII Politic. cap. 3, et alii. Barbaros vero Aſianos nuncupabant omnes Aſiae populos praeter Graecos, qui illic degebant, ut patet e *Curtio* Lib. VI c. 3 § 3, omnium vero maxime et ſaepiſſime gentes Aſiae minoris et Perſas, quod ex frequenti cum illis commercio cum mores tum linguam eorum optime noſſent. Quod quidem demonſtrare facile poſſem, niſi res eſſet tritiſſima et nemini ignota.

§ 5. *Idem aliis argumentis confirmatur.*

Haec tam ſunt aperta, ut inter eruditos nemo inventus ſit, qui ea in dubium vocaret. Aliam vero rationem invenerunt viri eruditi, qua probarent, linguas illas, quamvis ab omnibus ſcriptoribus Barbarae dicantur, tamen eſſe Graecas. Sunt enim, qui nobis perſuadere velint, poſtremis praecipue temporibus eos quoque Barbaros dictos, qui, quamvis Graece loquerentur, non tamen puram et illibatam ſermonis Graeci caſtitatem ſervarent; ſed eam barbaris vocibus

bus et locutionibus conſpurcarent. Nolo iam diſputare de peculiari quodam huius vocis eiusdemque generis vocabulorum uſu (*r*). Certum vero eſt, apud plurimos ſcriptores et in communi uſu, praeſertim, cum de tota gente ſermo eſt, hanc vocem ita accipi, quemadmodum eam § 4 explicui. Qui Barbari vocantur, illi ab uſu linguae Graecae plane alieni ſunt (*s*). Non

(*r*) Supra dictis pauca adiungam. Grammatici Graeci βαρβαρίζειν et βαρβαρισμοὺς dicunt perverſum, incommodum regulisque repugnantem uſum linguae Graecae. Vide *Sextum Empiricum* p. 260, 261, ibi notas *Fabricii*, *Diogenem Laërtium* Lib. VII § 59 et ad eum locum obſervationes *Menagii*. Non bene Graece loquentes dicuntur βαρβαρίζειν apud *Lucianum* in Somnio p. 6 [t. I p. 12]. Uſus peregrinorum vocabulorum eſt βαρβαρισμὸς *Ariſtoteli* de Poëtica cap. 23, ubi conſule *Dacerium*. Cyprios Barbaris accenſet *Lucianus* in Reviviſc. p. 398 [t. I p. 589], et tamen *Himerius* Sophiſta apud *Photium* ait p. 606 [*], ἡ Κύπρος πόλις μεγάλη· δῆμοι τὴν γλῶτταν ἀκριβῶς Ἕλληνες, atque ſignificat, incolas ſive cives Cypri inſulae, ſic enim πόλις hic et paſſim capi debet, accurate exacteque Graece locutos eſſe.

(*s*) Hinc apud *Pauſaniam* in Eliacis p. 176 [cap. 27 p. 449] ἐπῴδει· Βάρβαρα καὶ οὐδαμῶς συνετὰ Ἕλλησιν, et apud *Sextum Empiricum*, διὰ τὸ μὴ πάντας πάντων ἀκούοντας συνιέναι· οἷον Ἕλληνας Βαρβάρων καὶ Βαρβάρους Ἑλλήνων, Lib. III Hypotyp. c. 30. Conf. idem adverſus Gram-

[*] In edit. a. 1611, p. 1131. In Graeco textu nihil mutandum. Veram loci mentem aſſecutus eſt *Iablonskius*. Nec diſſentit *Wernsdorfius* in nova recenſione Eclogarum et Declamationum *Himerii* p. 260, 261. Cyprii ſi Barbaris, habita ratione linguae, a *Luciano* aliisve annumerantur, factum id videtur ob uſum quorumdam vocabulorum peregrinorum, quae ex *Heſychio*, Etymologici auctore et aliunde diligenter collegit *Meurſius* in Cypro, lib. II c. 25, t. III Opp. p. 666—668 et alibi. Conf. notae ad *Heſychium* v. Ἀβάθ.

Non enim videmus, eos, qui multum a communi Graecorum sermone discedebant, etiamsi essent ἀγνωστότατοι γλῶσσαν, quod de Eurytanibus, Aetoliae populo, affirmat *Thucydides* Lib. III [c. 94] p. 83 edit. Hervag., umquam appellari Barbaros, ex. gr. Rhodios aut Cretas, isto nomine non dictos, quamvis vel ex solo *Hesychio* pateat, longius eos abiisse a puritate linguae Graecae, atque *Cicero* ipse eosdem a Graecis discernat loco supra § 2 citato. Alia ratio Macedonum visa multis fuit, et de illis disputatum, sintne pro Graecis, an vero pro Barbaris a prima inde ipsorum origine habendi. Quae res cum in controversiam veniret, ita iudicatum est, pertinere eos ad Graecos, qui origine Argivi fuerint. Refertur huc locus *Herodoti* Lib. V cap. 22, qui narrat, Alexandrum, Amyntae filium, adiisse ad agonem Olympicum, sed aemulos in cursu Graecos eum arcere voluisse, negantes id esse certamen Barbarorum, sed Graecorum; cum autem se probasset Argivum, Alexandrum tunc Graecum esse iudicatum. Qui tamen *Herodoti* locus quomodo sit accipiendus, didici a Viro quodam doctissimo (*t*). Is enim mihi ostendit, non agi hic de ipsis Macedonibus, sed de regia Macedonum stirpe, cuius auctores, Caranus et Perdiccas, longa serie ex Argivorum Principibus suum genus ducebant. Non igitur de lingua hic agitur, sed de progenie Regum Macedoniae; quod sane totus ille *Herodoti* locus

Grammaticos cap. 7 p. 30, 32, et adversus Mathematicos p. 339. Iunge *Platonem* in Theaeteto p. 77 edit. Basileënsis.

(*t*) Erat is *Alphonsus des Vignoles*, cuius Chronologia Historiae Sacrae et Historicorum aliorum, edita Berolini anno 1738, aut omnem ferct aetatem, aut liber recentior nullus.

rodoti locus declarat, et aliunde poteſt illuſtrari (*u*). Male igitur Alexander ille primum annumerabatur Barbaris. Similiter Philippus rex Macedonicus habetur pro Barbaro a *Demoſthene* Orat. III Olynth. p. m. 24 edit. Gr. Baſ., Orat. I in Philipp. p. 32 et III in eumdem p. 69, ſed minus recte. *Iſocrates* autem in Oratione ad Philippum et epiſtolis ad eum ſcriptis, laudat Philippum ut unum Heraclidarum, magnis majoribus prognatum et nobilitate generis praeſtantem, atque aperte eum appellat Argivum, ſed Macedones vocat Barbaros [*]. Ip-

(*u*) Videatur ipſe *Herodotus* Lib. VIII cap. 137 et 139. Apud *Thucydidem* Lib. II p. 59, 60 [cap. 99] dicuntur Alexander Perdiccae pater et Temenidae eius maiores τὸ ἀρχαῖον ὄντες ἐξ Ἄργους, antiquitus ex urbe Argis oriundi. Macedonum reges ex ea civitate, Argos, ſe oriundos referunt, teſte *Livio* Lib. XXVII c. 30, Lib. XXXII c. 22. Scribit *Curtius* Lib. IV c. 2, Macedonum reges credere, ab illo deo, Hercule, ipſos genus ducere. Dicitur hinc Caranus, vir generis regii, ſextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniae occupaviſſe, apud *Velleium Paterculum* Lib. I c. 6 § 5. Quidquid exiſtimetur de verbis *ſextus decimus*, mihi iam perinde eſt. De nomine *Argis* controverſia nulla eſt. Dubito autem, an recte cenſuerint *Lipſius* et *Gruterus*, verba *vir generis regii*, cum paulo ante de Lycurgo eadem dicta eſſent, hic inepte inſita adeoque delenda eſſe; iſtiusmodi enim repetitiones in *Velleio* ſunt frequentiores [**].

[*] Ἄργος μὲν γάρ ἐστί σοι πατρίς, ἧς δίκαιον τοσαύτην σε ποιεῖσθαι πρόνοιαν, ὅσηπερ τῶν γονέων τῶν σαυτοῦ, ſcribit Iſocrates vol. I p. 244 edit. Battie. Macedones autem ab ipſo dictos eſſe Barbaros, vix audeo affirmare, cum ſigillatim commemoret Graecos, Macedones et Barbaros, in eadem oratione p. 307.

[**] De Argiva Regum Macedoniae origine legantur docti homines in notis ad *Herodoti* ac reliquorum ll. cc. In *Velleio* verba *vir generis regii* tuetur *Burmannus*; ſed e praecedentibus temere hic intruſa eſſe cenſet Cl. *Ruhnkenius*.

Ipſos vero Macedones antiquiſſimos, quantum ad linguam, Barbaros fuiſſe, vel hinc mihi probabat idem vir eruditus, quod apud *Curtium* Alexander glorietur, ſe effeciſſe, ut Macedones, cum Barbari habiti fuiſſent, nunc tamidem pro Graecis agnoſcerentur, Lib. VI [*]. Etiam poſt Alexandri M. aetatem Graeci habuerunt Macedones pro Barbaris; unde, *Plutarchus*, de Arato loquens, in eius vita p. 1910 edit. Stephani, καὶ μὴ Πελοπόννησον ἐκβαρβαρῶσαι φρουραῖς Μακεδόνων. De lingua Macedonum ut aut nihil addam, aut pauca, faciunt inſtituti mei limites anguſti, neque etiam tantopere ad rem noſtram facit illa lingua, ut commode adeo haec diſputatio omitti poſſet. Lubet tamen in notis meam de lingua Macedonum ſive Barbara fuerit, ſive Graeca, expromere ſententiam, eamque eruditis iudicandam relinquere (γ). Quidquid de lingua ſtatuatur, Macedoniam

(γ) Diu multumque doctiſſimi viri diſputarunt de lingua

[*] Haec ipſa verba apud *Curtium* fruſtra quaeſivi. Narrat autem l. VI c. 9 extremo, Alexandrum dixiſſe Philotae: *Macedones de te iudicaturi ſunt, quaero an* patrio ſermone *ſis apud eos uſurus*; hunc reſpondiſſe: *Praeter Macedonas plerique adſunt, quod facilius, quae dicam, percepturos arbitror, ſi* eadem lingua *fuero uſus*, qua tu *egiſti, non ob aliud, credo, quam ut* oratio tua intelligi *poſſet a pluribus*; tum regeſſiſſe Regem: *ecquid videtis, adeo etiam* ſermonis patrii *Philotam taedere? ſolus quippe faſtidit eum dicere.* In oratione apologetica, c. 10 §. 22, 23 ait Philotas: *Mihi quidem obiicitur, quod ſocietatem* patrii ſermonis *aſperner.* — *Iam pridem* nativus ille ſermo *commercio aliarum gentium* exolevit; *tam victoribus, quam victis* peregrina lingua *diſcenda eſt.* Philotan, *Macedonem natum, non erubuiſſe, homines linguae ſuae per interpretem audire*, ſive adire, adeoque Macedones ſermone patrio noluiſſe compellare, aiebat Belon quidam, ibid. c. 11 § 4. Quo conſilio haec *Curtii* verba adſcripſerim, ſequentes *Iablonskii* animadverſiones declarabunt.

niam ipſam pro regione Barbara habitam fuiſſe, hinc etiam argui poteſt, quod *Scylax* p. 61 ed. Gron. πόλεις

gua aut dialecto quadam Macedonica. Alii enim, inprimis moti auctoritate *Salmaſii* in libro de Lingua Helleniſtica p. 110 ſqq., 119, 442, 443, linguam Macedonicam et Graecam exiſtimant unam eamdemque fuiſſe; aliis autem ſententia plane contraria placuit. Meo quidem iudicio, diſtingui debet antiquiſſimorum Macedonum lingua patria, propria, peculiaris et nativa, atque ea, qua deinceps uti cœperunt. Eo ſpectant ſequentes obſervationes. Macedoniam ab initio tenuerunt Thraces, atque Midas, qui cum Brigibus e Thracia in Phrygiam conceſſiſſe dicitur, Macedoniam quoque in dltione hâbuit, eiectus poſtea a Carano, quem *Herodotus* appellat Gavanem Lib. VIII c. 138. Vide et *Iuſtinum* Lib. VII c. 1. Poſtquam inde pulſus eſſet, forte in Aſiam ſeceſſit, ut adeo illi Briges fuerint Macedones pariter et Thraces. Conf. *Stephanus Byz.* in v. Βρύξ, et *Thucydides* Lib. II p. 59, 60 [cap. 99]. Antiqua Macedonum lingua non multum diverſa fuit a veteri Theſſalorum lingua, qui etiam Pelasgi appellantur. Conferantur *Strabo* Lib. VIII p. 256, *Athenaeus* Lib. III p. 114, Lib. XIV p. 662, 663, 664, *Euſtathius* ad *Homeri* Il. p. 1399, et ad *Dionyſii* Periëg. p. 97 [v. 427 ſqq.], Scholiaſtes *Theocriti* p. 159, 161, 200 edit. Oxon. 1699 [ad Idyl. XII ἐπιγραφὴν, v. 12, 13, Id. XVI. 35], Scholia ad *Apollonium Rhodium* pag. 45. [ad v. 580]. Videtur quoque *Strabo* convenientiam quamdam Theſſalicae linguae cum Thracica innuere, Lib. XI p. 366. Hoc tamen accuratius erit penſitandum. Utut vero id eſt, antiquae Macedonum linguae haud exiguam mutationem inſuliſſe videntur Argivi, Caranus cum poſteris ſuis. Quod cum res ipſa docet, tum multa vocabula Graeca, a Macedonibus deinde uſurpata, abunde confirmant. Fortaſſe Macedonibus contigit, quod Anglis contigiſſe novimus, ut, mutato dominio, novam quoque linguam adſciſcerent, priſtina tamen non prorſus reiecta. Rem hanc accurate perpendenti, manifeſtum cuique erit. Vulgus quidem vetuſtam et patriam linguam conſervavit, nihilo tamen minus multa vocabula ex Graecia adſumſit ſermonique ſuo addidit; quale quid

apud

λεις Ἑλληνίδας recenſeat, quo ipſo eas ab aliis diſtinguit, quae non Ἑλληνίδες fuerint, neceſſe eſt; quem eum-

apud Aegyptios et populos alios. poſt imperium Graecorum, locum habuit. Alios Graece quoque et intellexiſſe et locutos fuiſſe, dubio prorſus carere debet. Erat haec lingua Aulica et hominum cultiorum. Eo ſenſu *Salmaſius* l. c. in praefatione p. 49 linguam Macedonicam non dubitat vocare dialectum Graecam. Obſervatu dignus locus eſt *Tertulliani* in Apologet. p. 10 ed. Priorii [cap. 9 p. 104, ubi *Havercampus* dedit ἤλαυνε τὴν μητέρα]: Sed et Macedones ſuſpecti, quia cum primum Oedipum tragoediam audiiſſent, ridentes incesti dolorem ἔλαυνε dicebant εἰς τὴν μητέρα. Sic *Rigaltius* legit. Forſitan legendum πλύνέ σου τὴν μητέρα, vel πλύνεις τὴν μητέρα. Πλύνειν ambiguum habet ſenſum: aliquando ſignificat λοιδορεῖν, vide *Artemidorum* L. II c. 4 c. 11. *Rigaltii*, *Heſychium* v. Πλύνεται [ibi Alberti], et *Photium* p. 10, 35; alibi ſumitur notione obſcoena, apud Ariſtophanem in Pluto p, 85 [v. 1062, ubi Πλύνόν με ποιῶν, ſed v. 166 et 514 Πλύνειν aliud ſignificat]. Audiverant Macedones prima vice tragoediam Graecam, eaque audita reſponderunt Graece. Quae niſi fuiſſent ipſa Macedonum verba, quid opus fuerit *Tertulliano*, rem hanc Graeco, et non potius Latino ſuo ſermone, hic narrare? Sed voluit ipſa Macedonum verba in medium afferre. Nec incredibile eſt, poſt Philippi et Alexandri Magni tempora, ipſam plebem Macedonicam ſermoni Graeco tamdem plane aſſueviſſe. Idcirco poſtea Macedones pro Graecis habebantur. Hinc *Seneca* Conſolat. ad Helviam cap. 6: *Quid ſibi volunt in mediis Barbarorum regionibus Graecae urbes, quid inter Indos Perſasque Macedonicus ſermo?* Vide et *Plutarchum* in Flamin. p. 372. E, *Pauſaniam* in Meſſenicis p. 139 [359], Ἐπεὶ δὲ ἔκ τε τῶν ὅπλων καὶ τῆς φωνῆς Μακεδόνας καὶ Δημήτριον τὸν Φιλίππου γνωρίζουσιν ὄντας. Iungit *Livius*, Lib. XXXI c. 29, *Aetolos*, *Acarnanas*, *Macedonas*, *ciusdem linguae homines*. Attamen plura vocabula, Graecis omnibus ignota aut ſaltem non uſurpata, apud Macedonas in uſu permanſerunt, quibus ſcriptores Graeci recentiores, etiam interpretes V. T. Alexandrini, auctores librorum Apocryphorum et ſcripto-

eumdem morem in recenſendis urbibus Graecis ſervat quo-

ptores Novi Teſtamenti frequentius uſi fuerunt, longe abeuntes a dictione Attica. Huiuſcemodi ſunt voces δυσί pro δυοῖν, τάχιον pro θᾶττον, ἀποκεφαλίζειν pro κατατομεῖν vel ἀποτέμνειν τὴν κεφαλήν, ἐνωτίζειν ſive ἐνωτίζεσθαι ſignificatione audiendi, auribus accipiendi, ἀποτάσσεσθαί τινι, vale alicui dicere, valere aliquem iubere, pro ἀσπάζεσθαί τινα, αἰχμαλωτίζεσθαι de iis, qui captivi abducuntur, προσφάγιον de pulmentario, εὐκαιρεῖν notione habendi otium, alicui rei vacandi, ἐσχάτως ἔχειν pro eſſe morti proximum, in ultimis eſſe. Quae et ſimilia verba et dicendi genera, in ſcriptoribus Atticis fruſtra quaeſita, ideoque a *Phrynicho*, *Thoma Magiſtro* aliisque Grammaticis Graecis improbata, recte dixeris Macedonica [*].

[*] Excurſum de lingua Macedonica, ab Auctore exemplo ſuo adſcriptum, nolui omittere, etſi valde dubitans, an teſtimonia ſcriptorum veterum omnia, hic laudata, ſed accuratius lecta, huc pertineant. Nec admodum mihi arridet coniectura de verbis *Tertulliani*, in quibus ἴλαννι ſive ἤλαννι ſe facile tuetur, cum ſit ἱλαύνειν vox rei uxoriae. Vid. *Ariſtophanes* in Eccleſ. v. 39 c. n. *T. Fabri*, tom. II Epiſtol. p. 175. Non diffiteor, Graecos recentiores, cum Macedones, tum alios, vocabulis loquendique generibus uſos eſſe, quorum fruſtra quaeras exempla in ſcriptis veterum Atticorum; ſed recte ea dici Macedonica, et veluti reliquias antiquiſſimae Macedonum linguae, non audeo affirmare, Δυσὶν ἡμέραις eſt etiam in *Thucydidis* lib. VIII. 101, cuius et *Ariſtidis* meminit *Thomas M.* p. 253, 254. Reliquae voces ſunt ſerioris aetatis, non tamen omnes a *Xenophonte*, *Dione Caſſio*, *Arriano* et aliis neglectae. De ἐνωτίσασθαι vide *Albertium* ad *Heſychium* v. Ἐνωτίζου, et *Valckenarium* ad *Callimachi* Elegiarum fragmenta p. 246, 247. Vt autem de Dialecto Macedonica bene iudicetur, comparentur *E. Spanhemius* ad *Iuliani* Caeſares p. 389 et ad *Callimachi* H. in Delum v. 150, *Erneſtius* in Opuſc. Phil. Crit. p. 212, *Pierſonus* in Praef. ad *Moeridem Atticiſtam* p. XXVI ſqq., *Koenius* not. ad *Gregorium* de Dial. p. 156, *Valckenarius* l. c. p. 39, 40. Tantum adſcribam *Athenaei* verba lib. III p. 471 ed. novae, Μακεδονίζοντάς τ' οἶμαι πολλοὺς τῶν Ἀττικῶν. Loquitur ſine dubio de Atticis recentioribus.

quoque in Thracia, Sicilia, Aſia minori aliisque Barbaris regionibus.

Si itaque gentes illae Aſiae minoris Graece locutae fuiſſent, quamvis ille ſermo vehementer fuerit corruptus et a fonte terſae Graecitatis longius receſſiſſet, quod eruditi viri exiſtimant, Barbarae tamen dici non potuiſſent: quod ex iis, quae modo dicta ſunt, conſequi videtur.

Quodſi vero haec nondum unicuique ſatisfaciunt, etiam alia ſuperſunt argumenta, quibus ſententiam noſtram adſtruamus.

Auctor eſt *Philippus*, rerum Caricarum ſcriptor vetuſtus, apud *Strabonem* Lib. XIV p. 455 [977], *Cares multa vocabula Graeca ſuae linguae admiſcuiſſe*. Cuius rei hanc cauſam affert *Strabo*, quod Cares per totam Graeciam ſtipendia (*w*) meruerint, atque cum Graecis multum commercii habuerint. Quodſi itaque Carum lingua a Graecis quaedam accepit, non poteſt, quin plane diverſa fuerit. Etiam illud notandum eſt, quod *Strabo* addit, reliquos Barbaros, quando ad Graecae linguae uſum introducuntur, non poſſe perfecte vocabula exprimere, quia nihil illis cum Graecis commercii intercedit. Quaecumque enim regiones etiam a Graecis habitabantur, illae accenſebantur Graeciae. Vide *If. Voſſium* in *Melam*

(*w*) De Caribus omnium primis ſtipendia merentibus, et idcirco ab Athenienſibus contemtim habitis, videatur *Tzetzes* in Lycophronem p. 92 [*]. Etiam huc referendae Troezeniorum coloniae. Vide *Pauſaniam* in Corinth. p. 73 [182, 183], *Vitruvium* p. 60.

[*] Ad v. 1384, ubi notavit *Meurſius*. Auctor Etymol. M. v. Κάρος, Πρῶτοι γὰρ Κᾶρες ἐπολέμησαν ἐπὶ μισθῷ, καὶ ἔδοξαν εἶναι ἀτιμότατοι.

Iam p. 174. Hinc non una Graecia, ſed plures memorantur ab *Heliodoro* Lib. VII Aeth. p. 334. Qui igitur Barbari dicebantur, a Graecis plane alieni erant (*x*).

Non parum etiam in hac lite diiudicanda iuvare nos poteſt ſcriptor magni pretii, *Ephorus*, Iſocratis diſcipulus et Theopompi aequalis, quem ab ingenio et facundia *Tullius*, a peritia *Polybius*, viri uterque in ſuo genere laudatiſſimi, vehementer commendarunt. Is igitur, teſte *Strabone* Lib. XIV p. 466 [996] totius Aſiae minoris gentes trifariam diviſit, in γένη Ἑλληνικὰ et Βάρβαρα χωρὶς τῶν μιγάδων. Quo loco ſcriptor peritiſſimus μιγάδας, convenas, gentes commixtas, origine partim Graecas, partim Barbaras, ab iis diſerte diſcernit, quae in totum vel Barbarae eſſent, vel Graecae. Etſi vero *Strabo* p. 467 μιγάδας non agnoſcit, argumento tamen huic nihil decedit. *Ephorus* dixit μιγάδας Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων, qui ex utrisque commixti ſunt, uti ἱππεῖς Ἰβήρων καὶ Νομάδων μιγάδες apud *Plutarchum* in Marcello p. 304. A. Nec alio ſenſu meminit idem Strabo Lib. XII p. 368 [807] μετὰ δὲ τούτους μὲν Ἑλλήνων οἵ τε Αἰολέες καὶ Ἴωνες, τῶν

(*x*) *Tertullianus* tamen *Barbarias Graeciae* commemorat. Puto eum loqui de regionibus Barbaris a Graecis quoque habitatis et excultis. Scribit ille in libro de velandis virginibus c. 2: *Per Graeciam et quasdam Barbarias eius, plures Eccleſiae virgines ſuas abſconſdunt.* Interpretatur *Priorius* nomen *Barbarias* de Graeciae quibusdam urbibus vel regionibus. *Rigaltius* [*] intelligit regiones quasdam extra Graeciam, ſeu appoſitas Graeciae, quibuscum fuit negotium vel bellum Graecorum. Intelligo Macedoniam et Thraciam.

[*] Huic aſſentitur *Semlerus* in Indice Latinitatis Tertullianeae.

δ' ἄλλων Κᾶρές τε καὶ Λύκιοι, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Λυδοί. Conf. *Plinius* Lib. VI c. 2. Vide et *Harduini* Nummos antiquos illuſtratos p. 213, 214. Eiusmodi homines μιξοβάρβαροι vocabantur et ἡμιβάρβαροι. Medeae liberos aiebant Corinthii μιξοβαρβάρους, quia ex Iaſone Graeco et Medea Barbara nati erant. Vide Scholiaſten ad *Pindari* XIII Olymp. p. 117, *Plutarchum* in Craſſo p. 561. C, et *Heſychium* in v. Μιξοβάρβαρος [*]. Ἡμιβάρβαροι qui ſint, bene explicat *Demetrius Scepſius* apud *Strabonem* Lib. XIV p. 420 [998]. Adde *Plutarchum* de virtutibus mulierum p. 247, A.

§ 6. *De ortu et progreſſu linguarum apud gentes Aſiae minoris.*

Sic vidimus, non Graecum fuiſſe harum gentium ſermonem, ſed plane diverſum et peculiarem. Verum qualis tamdem fuit, aut unde natus eſt? Vere dixit *Cicero* de N. D. Lib. I c. 29: *Omnibus fere in rebus, quid non ſit citius, quam quid ſit, dixerim.* Id quam difficile ſit in hac re, norunt ii, qui accuratius in iſtas res inquirere umquam in animum induxere. Etenim in tota antiquitate nihil tam obſcurum tantisque tenebris involutum eſt, quam ſunt origines linguarum inprimis Barbaricarum, quod omnes facile intel-

[*] Locum *Heſychii*, etſi diligentius quaeſitum, non inveni. Ipſa voce μιξοβάρβαρος utitur *Lucianus* in Iove Tragoedo § 27, t. II p. 673. Talis dicitur ἡμιέλλην ab eodem de Saltatione § 64, t. II p. 303, et μιξέλλην a *Polybio* lib I c 67, ubi μιξέλληνες opponuntur Hiſpanis, Gallis, Liguribus, Balearibus et Afris. In Eclogis *Diodori Sic.* t. II p. 509 eadem invenias, ſed μιξέλληνες δοῦλοι in Latina interpretatione dicuntur *ſervi altero parente Graeci.* Rectene an ſecus, non dicam.

intelligunt. Linguam Cappadocicam initio haud multum ab Aſſyria veteri diverſam fuiſſe dicemus, ubi ad definiendam hanc linguam ventum fuerit. De reliquis, velut de Phrygia, Lydia et aliis linguis quid dicendum ſit, multo magis haereo. Origo quippe earum plane eſt obſcura, quamvis corruptio et mutatio apertior ſit ac facilius inveſtiganda. De Coloniis Graecorum nihil attinet dicere, cum illae in ora maritima perſtiterint, neque niſi ſero in regiones mediterraneas penetraverint. Hinc a *Xenophonte* in Cyrop. p. 111 [VII. 4, 5] memorantur *οἱ Ἕλληνες οἱ ἐπὶ θαλάττῃ οἰκοῦντες*. Quodſi tamen iſtae Graecorum migrationes alicui harum linguarum mutationem intulerint, ea potiſſimum fuit propter viciniam Cariae, de qua non tantum *Philippus* apud *Strabonem* Lib. XIV p. 455 [977] teſtatur, ut in praecedentibus monui, huic linguae multas voces Graecas admixtas ſuiſſe, ſed alii etiam id ſaepius confirmant, *Heſychius*, *Euſtathius*, Auctor Etymologici Magni, plures. Manſit tamen peculiaris lingua, quemadmodum Latina, quae quamvis innumeris vocibus Graecis abundet, et praeterea origine ferme Graeca ſit, tamen Graeca dialectus dici nequit, ſed lingua diverſa et peculiaris manet. Igitur, ut taceam ipſa temporis diuturnitate et ſeculorum decurſu multa innovari, primam forte mutationem inſignem in linguis ſuis perpeſſae dici poſſint hae gentes ab Aegyptiis, qui, duce Seſoſtri, ſive Seſooſi, vel etiam Seſonchoſi (*y*), cum alias regiones, tum has quoque ſubiugarunt. Refert *Herodotus* Lib. II cap.

(*y*) Diverſimode nomen ſcribitur. *Σέσωστρις* eſt vulgatiſſimum. *Σεσόωσις* habet *Diodorus Siculus* Lib. I p. 34 [c. 53, ubi conferantur notae Stephani, Rhodomanni et Cl. Weſſelingii]. *Σεσόγχωσις* invenitur in Scholiis ad *Apollonium Rhodium* [IV. 272, 276] et alibi.

cap. 106 ſe iſtius expeditionis quaedam monumenta in Palaeſtina et Ionia oculis uſurpaſſe, viros nempe petris inciſos cum aliqua inſcriptione Aegyptiaca, cuius hic fuerit ſenſus: *hanc regionem ego humeris meis obtinui* (z). Similis monumenti ab hoc Seſooſi in Thracia erecti, inſcriptique literis ſacris Aegyptiorum, meminit etiam *Diodorus Sic.* Lib. I p. 51 [c. 55]. Ex iſta Seſoſtris expeditione, cuius *Strabo* ſaepius facit mentionem (a), ſuperfuiſſe Colchos, gentem Aegyptiam, fuit traditio. Vide *Valerium Flaccum* Lib. V Arg. v. 419 et ſeqq., *Agathiam* Lib. II p. 51. Si quis plura de hoc Seſoſtri noſſe cupiat, is adeat doctiſſimi Angli *Marshami* Canonem Chronicum, ubi multa memoratu digniſſima annotavit vir egregius. Eſt et altera Aegyptiorum in Aſiam expeditio, auſpiciis Rhamſis ſuſcepta, de qua *Tacitus* Lib. II Annalium cap. 60 ſcribit: *Mox viſit veterum Thebarum magna veſtigia, et manebant ſtructis molibus literae Aegyptiacae, priorem opulentiam comple-*

(z) Obiter monebo, ex hoc *Herodoti* loco recte a *Gronovio* in Diatribe ad *Statium* cap. 22 vindicata fuiſſe verba *Claudiani* de Bello Gildonico v. 114,

> Aſt ego, quae terras *humeris* pontumque *ſubegi*,
> Deferor.

Non opus itaque eſt, ut illic pro *humeris* legatur vel *iuvenis*, vel *numeris*, vel *armis*, licet ὤμοισι in *Herodoto* et *humeris* apud *Claudianum* recte accipiatur de *armis*, reſpectu nempe ad morem gerendorum armorum. *Cicero* ait Verrin. VI c. 34, *Sagittae pendebant ab humero*, et *Virgilius* Aeneid. II v. 844, *noſtras humero geſſiſſe phareras.*

(a) Lib. I p. 42 [106], Lib. XVI p. 529 [1114], Lib. XVII p. 543 [1138].

plexae; iuſſusque e ſenioribus Sacerdotum patrio ſermone [patrium ſermonem] *interpretari, referebat, habitaſſe quondam ſeptuaginta* [ſeptingenta] *millia aetate militari, atque eo cum exercitu Regem Rhamſen Libya, Aethiopia, Medisque et Perſis et Bactriano et Scytha potitum, quasque terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuiſſe.* Quis ille Rhamſes fuerit, a viris eruditis diſceptatur. Rhampſinitus, de quo *Herodotus* Lib. I cap. 121, hic locum habere vix poteſt, quod tamen volebat *Marshamus* in Canone Chron. p. 416. Namque *Herodotus*, qui de theſauris et avaritia ipſius tam multa nobis praedicavit, nobiliſſimam hiſtoriae iſtius regis partem, expeditionem illam inſignem, omittere non potuiſſet. Ex ſilentio talis ac tanti Hiſtorici, quantus *Herodotus* fuit, non immerito colligitur, Rhaſen diſtingui oportere a Rhampſinito. *Lipſius* ad *Taciti* Annales p. 116 profert Rhamſen aliquem, quo regnante Troia capta ſit, fide *Plinii* Lib. XXXVI c. 8. Legimus tamen apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XVII [c. 4.] p 126, obeliſcum illum egregium, quem ex Aegypto Romam allatum tranſtulit Hermapion, dedicatum fuiſſe cuidam Rameſtae, atque is ab altera obeliſci parte in verſu ſecundo appellatur δεσπότης οἰκουμένης, dominus orbis terrarum. *Valeſius* in notis etiam *Taciti* meminit, et alium praeterea locum ex *Euſebio* adducit. Exiſtimat autem vir ille eruditus, Seſoſtrin et Rhamſen unum eumdemque fuiſſe; quam ſententiam quondam lubens in medio relinquebam, ſed nunc omni procul dubio veriſſimam iudico, praeeunte *Perizonio* in Originibus Aegyptiacis cap. 17, qui conſulatur.

Expeditionibus Aegyptiorum accenſeri et illa meretur, qua Croeſo adverſus Cyrum Aegyptii auxilium tulerunt, praecipue cum Cyrus ipſis devictis, et ſe-

ſe tradentibus, urbes in Aſia habitandas conceſſerit, narrante *Xenophonte* Cyropaed. p. 106 [1. 1. 4]. Mirum igitur non eſt, veſtigia Aegyptiorum hinc inde in Aſia (*b*) ſupereſſe. Ex Periplo Ponti Euxini p. 7 edit. Hudſoni novimus, in Ponto eſſe fluvium, cui nomen *Iſis*, quod aperte Aegyptiacum eſt.

Poſt Aegyptios Aſiam irruptionibus turbarunt Scythae. Namque illi, ut ait *Iuſtinus* Lib. II c. 3, *ter imperium Aſiae quaeſiverunt.* Tempore Seſoſtris Tanaus in Pontum usque exceſſit, quod docet *Iuſtinus* Lib. I. c. 1. Haec prima irruptio fuit. Secunda Aſiae debellatio videtur contigiſſe duce Indathyrſo. Is enim, debellatis multis Aſiae gentibus, in Aegyptum (*c*) usque penetravit, uti ex *Megasthene* in Indicis perhibet *Arrianus* p. 518. Verum dubitare quis poſſit, an non *Megasthenes* aut Tanai, aut vero Madyae, qui ultimus Aegyptum adortus eſt, ut videbimus, expeditionem dicere voluerit. Meminit et huius Indathyrſi *Strabo* Lib. X p. 472 [1007] ex *Megasthene*, qui forſitan hunc cum Tanao pro uno eodemque habuit. Id enim videntur verba *Strabonis* indicare. Vide et *Hornium* in Origin. Americ. p. 146, 147. Quidquid eſt, illud ſaltem ſcimus, Indathyrſum illum a *Megaſthene* memoratum non eſſe eum, quocum Darius bella geſſit, quique ab *Herodoto* [IV. 75, ubi nunc Ἰδάνθυρσος] et *Plutarcho* in Apophth. [p. 174. E [*]] In-

(*b*) Non plane de nihilo erit hoc obſervaſſe. Si autem in aliqua lingua Aſiatica remanſerunt veſtigia quaedam Aegyptiorum, id omnino de lingua Lycaonica dicendum videtur, uti in ſuperioribus monui.

(*c*) Fortaſſe etiam in Indiam, ſi vera ſcribit *Philoſtratus* Lib. III p. 126 [cap. 20] de Scythis, irruptionem ſuperato Caucaſo tentantibus, ſed a Gange rege Indiae repulſis.

[*] Ubi ſcribitur Ἰδάθυρσος, et plura de homine et nominis varietate notavit Clar. *Wyttenbachius.*

Indathyrſus, a *Cteſia* vero apud *Photium* p. 56 [116] Σκυθάρκης appellatur (*d*). Hic enim nec multas Aſiae gentes ſubegit, nec Aegyptum adiit. Tertium Scythae Aſiam ſibi ſubiecerunt ductu Madyae regis, atque Aegyptum quoque occupaturi fuerant, niſi Pſammetichus muneribus eos placaſſet. Quo tempore octo ſupra viginti annos imperium tenuere, eiecti tamdem et necati iuſſu Cyaxaris Medi, qui pater Aſtyagis fuit. Vide *Herodotum* Lib. I c. 105, 106, et Lib. IV c. 1. Tertiam hanc expeditionem Scythicam verbis diſertis commemorat *Iuſtinus* Lib. II c. 5. Verum liquet ex *Herodoto* apud *Iuſtinum* eo in loco pro *octo*, ut hactenus editum ſemper fuit, quod ſciam, legendum eſſe *viginti et octo*. Nempe Commentatores non [*] attenderunt, loqui *Iuſtinum* eo loco de expeditione Madyae. Huc quoque pertinent, quae de Amazonibus relata legimus, eas Pontum occupaſſe, atque civitates celeberrimas condidiſſe, Myrinam, Epheſum aliasque, poſtea occupatas a Graecis, ſed qui, ut fidem facerent poſteris, has urbes a ſe conditas eſſe, ipſam Amazonum hiſtoriam omnem dubiam fecerunt et ſuſpectam. Hinc ſcribit *Strabo* Lib. XI p. 504 [770], peculiare aliquid narrationi de Amazonibus accidiſſe; reliquae enim fabulas a vera hiſtoria ſeparatas habent; hiſtoria veritatem requirit, ſive priſca ea, ſive nova ſit, monſtroſa aut nulla admittit, aut raro. De Amazonibus vero eadem et nunc et antiquitus traduntur, τερατώδη τ' ὄντα καὶ πίζεως πόρρω, pro-

(*d*) *Iuſtinus* eum vocat Iancyrum Lib. II c. 5, alii aliter, ut docent viri docti ad iſtum locum.

[*] Recte tamen id obſervarunt *Bongarſius*, *Vorſtius*, alii, ſed contra conſenſum librorum ſcriptorum omnium in ipſo contextu nil mutandum cenſuerunt. Quae quidem modeſtia a plerisque in Arte Critica principibus viris ſaepe laudata eſt."

prodigiosa quidem et a fide procul remota. Ita *Strabo* et non pauci alii, sed dissentientibus scriptoribus compluribus, tam veteribus, quam recentioribus. Conferatur *Freinshemius* ad *Curtii* Lib. VI cap. 5, cuius mihi placet sententia, rem hanc haud omnino ex vano haustam fuisse, sed Graecula vanitate in miraculum corruptam. Amazones vero Scytharum et Thracum sermone usas fuisse, non origo tantum Scythica declarat, sed etiam conceptis verbis testatur eruditus *Apollonii Rhodii* Scholiastes in L. II v. 948, Ἐπεὶ δὲ οἱ μέθυσοι (*e*) Σανάπαι λέγονται παρὰ Θρᾳξὶν, ἢ διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Ἀμάζονες, *Quoniam vero bibaces sive ebriosi a Thracibus Sanapae appellantur, qua lingua vel dialecto etiam Amazones utuntur.* Scythis hanc vocem tribuit *Hesychius*, cuius locum corruptissimum, in quo quondam lectum fuit Σάναπτιν· τὴν οἰνιώτην. Σκύθαι, ex Scholiaste *Apollonii* restituerunt illustris *Ios. Scaliger* et *Is. Vossius* ad *Justinum* Lib. II c. 4. 17, legentes, Σανάπην· τὴν οἰνοτόητιν vel οἰνώδη. Σκύθαι (*f*), *Sanapen Scythae dicunt* vino-

(*e*) Legendum forte αἱ μεθύσαι. Nam de foeminis sermo est, et sic *Hesychius* τὴν οἰνώδη. Accedit *Pollux* Lib. VI c. 3. p. 278 [segm. 25] scribens, ἡ γυνὴ δὲ μεθύσῃ καὶ μεθύσρια, ὁ γὰρ μέθυσος ἐπὶ ἀνδρῶν [*].

(*f*) Non multum Σηνάπαι, ablata nempe terminatione Graeca, abludit a sermone Aegyptiorum, quibus πάροινος di-

[*] Coniectura haec minus probabilis videtur. In ea Scholiorum parte tantum fit mentio dialecti Amazonum, sed additur deinde ἡ δὲ μέθυσος Ἀμαζὼν κ. λ. Neque hic necesse, ut scribatur ἡ μεθύσῃ. Sed consulantur *Graevius* ad *Lucianum* t. III p. 562, 563, *Bos* et *Oudendorpius* ad *Thomam M.* p. 602, *Piersonus* in *Moeridem* p. 260, 261.

vinosam mulierem. Adversatur quidem his *Herodotus*, atque ait, Scythas linguam Amazonum addidicisse, cum hae illorum sermonem discere non potuissent, Lib. IV cap. 114; verum tamen ex ipsa *Herodoti* historia convenientiam linguae Amazoniae cum Thracica adstruere possem, nisi prolixum id foret. Tamdem etiam huc faciunt Scytharum coloniae, quae non paucae in Ponto exstiterunt, ut ex Scholiaste *Apollonii* in Lib. II passim perspicitur. Hinc factum esse, ut multae voces Scythicae in linguas Asianas derivarentur, nemo est, qui non videat, cum quotidie similia contingere discamus. Hispanorum lingua, quia iugum Maurorum diu passi sunt, quartam ferme partem voces Arabicas admixtas habet, ut in Itinerario Hispaniae observat *Zeilerus* Idem in Anglia et alibi quoque usu venisse, omnes norunt.

Scythis Asia pulsis, imperium ad se rapuerunt Persae, qui cum ubique locorum homines Persas constituerent Satrapas aliosque Praefectos, non potuit fieri, quin multa ex Persarum lingua adsciscerentur, etsi mandata regis Persarum cuiuscumque populi lingua patria conscribebantur, ut novimus e libro Estherae c. 1 comm. 22. Et quomodo aliae gentes hoc vitare potuerint, cum ne Graeci quidem ita linguae suae puritatem conservarint, quin a Persis nonnulla acceperint, quod *Athenaeus* queritur Lib. III p. 122 [471], uti a Thracibus aliisque gentibus Barbaris. Vid. *Philostratus* in vitis Sophistarum p. 553, inprimis *Plato* in Cratylo p. 57. Neque ipsa Romanorum lingua permansit immunis vocum peregrinarum.

dicitur CE vel CONHPH, Psalm LXIX. 21. A Thracibus autem vinum appellatum fuit Ζλαι, docente *Hesychio* in voce, vel Ζελα, quod est in *Photii* Lex. MS., cuius usum mihi perhumaniter concessit Cl. *la Croze.*

rum. Etenim ex Perſarum lingua ſunt, *Gaza*, *Paraſangae*, *Copis* et alia multa, quae viri docti dudum animadverterunt, inprimis *Relandus* in Diſſertationibus Miſcellaneis n°. VIII. Devictis Perſis et ſummam rerum tenentibus Graecis, non modo multa Graeca Barbaris linguis ſeſe immiſcuerunt, ſed etiam in Oriente ſermo Graecus invaleſcere coepit, ſic tamen ut patria lingua conſervaretur, unde apud plurimas gentes non una, ſed plures Dialecti obtinuerunt. De Cibyratis *Strabo* memoriae prodidit Lib. XIII in fine [p. 936], eos quatuor linguis uſos fuiſſe, Piſidarum, Solymorum, Graecorum et Lydorum, quae poſtrema lingua patria illis fuit, nam Lydos genere fuiſſe *Strabo* ibidem docet. Sic Galatae etiam duas linguas uſurpabant, quod teſtatur *Hieronymus* in Prooemio Lib. II Comment. in Epiſtolam ad Galatas, ubi ait: Galatas excepto ſermone Graeco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem paene habere, quam Treviros, nec referre, ſi aliqua exinde mutaverint, cum et Afri Phoenicum linguam nonnulla ex parte mutaverint, et ipſa Latinitas regionibus quotidie mutetur et tempore. De quo loco plura diſſerit *Elias Schedius* de Diis German. p. 12. Idem quoque in Lycaonica lingua uſu venit. Etenim Lycaones audiebant Apoſtolos euangelium praedicantes lingua Graeca, eamque intelligebant; ſed tamen etiam data occaſione ſua propria lingua, Λυκαονιϛί, loquebantur. Ex his manifeſtum eſt, quales illae fuerint linguae, ut non abs re dixerit *Heſychius*, συγκέχυται ἡ Βαρβάρων φωνή, permixta & confuſa eſt Barbarorum lingua. Inprimis id verum eſt in his gentibus, quae tot mutationibus obnoxiae fuere. Atque idem omnibus gentibus, quae rudes ſunt et minime politae, frequenter accidit. Etenim cum illae multis rebus deſtituantur, quae aliis ſunt cognitae et perſpectae, tamdem cum res eas ipſas diſcunt, earum

rum etiam nomina retinent, a quibus acceperunt. Unde non mirum videri debet, quod in his gentibus multa ſint Graeca, cum a Graecis multa acceperint didicerintque.

§ 7. *De lingua Phrygia. Eam non fuiſſe Graecam Dialectum, contra* Th. Ryckium *oſtenditur.*

Reſtat, ut de unaquaque harum linguarum ſigillatim quaedam delibemus, quo intelligamus, qua ratione a ſe invicem diſtulerint, atque tum conſideratis quibusdam vocibus, hinc inde in vetuſtis monumentis adhuc reſiduis, aliquod iudicium de re tam obſcura feramus.

Prima ſe nobis offert *Phrygia* lingua, tum quod in illa ora haec regio prima ſit, tum quod etiam nuper admodum vir doctiſſimus *Theodorus Ryckius* eam Graecam eſſe probare voluerit [*]. Ait itaque vir acutiſſimus in erudita Diatribe de primis Italiae Colonis et Aeneae adventu Cap. XII n. 44 et 50 [p. 465, 466]: *Cum tamen certo certius ſit*, linguam Phrygiam *linguae Graecae fuiſſe propaginem ſive dialectum; linguam Phrygiam non fuiſſe diverſam a Graeca niſi dialecto, non uno loco ex* Dionyſio *poteſt colligi.* In quo illud miror, virum eruditiſſimum pro una re habere, quae tamen inter ſe differunt. Aliud propago eſt linguae, aliud Dialectus. Poteſt namque lingua ab alia, cuius eſt propago, tam procul abire, ut

[*] Diſſertatio haec edita eſt Lugd. Batav. a. 1684, ſubnexa *Holſtenii* notis et caſtigationibus in *Stephanum Byzant.* p. 399—467.

ut pro eius dialecto amplius haberi non poſſit (*g*). Exemplo ſit lingua Latina, quae, ut dixerat ipſe *Ryckius* n. 43, magnam partem fuit Graecae originis. Quin ſi credimus *Iubae* apud *Plutarchum* in Rom. p. 26, primum lingua Graeca pura Romae (*h*) obtinuit, οὔπω τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπεκεχυμένων, *nondum id temporis Graecis verbis cum Italicis confuſis*. Adde eumdem in Numa p. 64, τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων τότε μᾶλλον ἢ νῦν τοῖς Λατίνοις ἀνακεκραμένων, et in Marcello p. 312, B. Iubae iudicium confirmatur etiam auctoritate Heraclidis Pontici, qui apud *Plutarchum* in vita Camilli p. 254 Romanos eſſe Graecos agnoſcit (*i*). Sententiam tamen Iubae in univerſum defendere non auſim. [*] *Feſtus* certe e contrario affirmat in v. *Alumento*, veteres Romanos Graecae linguae non adſuetos fuiſſe. Quidquid autem eſt, linguam tamen Romanam, cum eſſet in flore, quamvis propago Graeca exiſteret, quis merito Dialectum Graecam dixerit? *Dionyſius Halicarnaſſeus*, qui omni opera anniſus eſt, ut Romanos efficeret Graecos, in fine Libri I p. 76 teſtatur, Romanos ſermone nec prorſus Barbaro nec abſolute Graeco uti, ſed mixto ex utroque, accedente in plerisque ad proprietatem linguae Aeoli-

(*g*) Conf. *Dionyſius Halicarnaſſeus* Lib. I p. 23. Legatur etiam obſervatio *Salmaſii* de Lingua Hellen. p. 19, 20.

(*h*) Vide exemplum apud *Macrobium* Lib. I Saturnal. c. 15 p. 181.

(*i*) *Tertullianus* de Teſtim. Animae cap. ult. ſcribit: *Graecam linguam et Latinam propinquas inter ſe haberi*. Linguam etiam Italorum antiquiſſimam plerique tum veteres tum recentiores Graecam eſſe opinantur. Vide *Wachteri* concordiam Naturae et Scripturae, num. 298, et ibi not. 9.

[*] Temeraria videtur argumentatio nec ad cauſſam pertinens: cuiusmodi item illa p. 31 et 47 ab Europaeis linguis ducta.

licae. Illud certe constat, Romanos non nisi magno labore Graecam linguam didicisse, unde factum est, ut multi fuerint, qui omnino Graecas non amarent literas, quod *Cicero* queritur Lib. II Academ. Quaestion. cap. 2 (*k*). Atque ita se res habet cum multis Europaeis linguis, quod omnes norunt. Possemus iam iis contenti, quae supra disseruimus, pro certo affirmare, linguam Phrygiam non esse vel propaginem vel Dialectum linguae Graecae; verum tamen quia alii in contrarium disputant, et novis argumentis nostram sententiam impugnat vir eruditus, supra a me laudatus, qualia ea sint, paulo accuratius dispiciendum.

Non desunt, qui Phrygas velint fuisse Graecos. Inter antiquos *Iustinus*, scriptor haudquaquam semper accuratissimus, Phrygas Lydosque dixit Graecos, Lib. XX c. 1 [*]. Videtur quoque pro sententia horum eruditorum adduci posse, quod *Servius* ait in II Georg. 394, *Hymni Matris Deûm ubique propriam i. e. Graecam linguam requirunt.* Erat autem Mater Deûm origine Phrygia; quod vel iocus ille Antisthenis declarat apud *Diogenem Laërtium* Lib. VI init., καὶ ἡ μήτηρ τῶν Θεῶν Φρυγία ἐστίν, et apud *Plutarchum* de Exilio p. 1077, τὸ δὲ τοῦ Ἀντισθένους — πρὸς τὸν εἰπόντα, ὅτι Φρυγιά σου ἐστὶν ἡ μήτηρ· καὶ γὰρ ἡ τῶν Θεῶν (*l*). Is igitur *Servii* locus forte

(*k*) Hinc etiam vocabula Graeca a Romanis habebantur pro peregrinis. Vid. *Salmasius* de L. Hellenist. p. 92.

(*l*) Pensitandus etiam locus *Iuvenalis* Sat. III v. 62 sqq.,

[*] Nulla illic mentio Phrygum, in edit. Gronoviana a. 1760, neque eos, quod sciam, alibi *Iustinus* dixit Graecos.

forte non ſine aliqua veri ſpecie obiici nobis poſſit, praeſertim ſi meminerimus, in Myſteriis propriam et patriam linguam requiri. Vid. *Nicephorum Gregoram* in *Syneſium* de Inſomniis p. 96 fin. edit. Turnebi. Quod etiam ex Philoſophis, Theurgicis quidam memoriae prodiderunt. Ad haec vero reſpondeo, *primum*, *Servium* loqui de ritibus colendis Matris Deûm, Graecis indeque Romanis quondam uſitatis, ut patet ex tota ſerie rerum; quae quidem reſponſio tanto maioris erit ponderis, ubi addidero *ſecundo*, ritus Graecorum et Barbarorum Phrygum, quibus illa Deûm Mater colebatur, plane fuiſſe inter ſe diverſos, quod prolixe *Strabo* exponit in παρεκβάσει ſua de Curetibus, ubi ex Demoſthene [*] etiam obſervat, vitio verſum fuiſſe patri Aeſchinis, quod, in ſacris Cybeles, Phrygiis et barbaris acclamationibus uſus fuiſſet, p. 325 [l. x p. 723]. *Denique* et hoc notandum eſt, Matrem Deûm Graecorum et Cybelen Phrygum initio quaedam habuiſſe inter ſe ſimilia, quare unam cum altera compararint, ut Iſidem Aegyptiorum cum Cerere Graecorum, fuiſſe vero etiam, in quibus a ſe differrent. Alias certe de Cybele ſua Phryges narrarunt fabulas, alias Graeci de Rhea ſua et Matre Deorum, quamquam poſtremis temporibus duo haec numina in unum conflata fuiſſe noverimus. *Apuleius* certe, quo neſcio an alius quisquam ſcriptorum, qui exſtant, myſteria religionum et ſacra gentilium

ſqq., ſed praecipue locus inſignis de ludis Megalenſibus, Matri Deûm dicatis, apud *Ciceronem* de Haruſp. reſponſis c. XII.

[*] Quam mecum Celeb. *Wyttenbachius* communicavit, lubens et gratus adſcribo obſervationem: „ *Demosthenes* in Oratione Pro Corona p. 313. edit. Reisk. Aeſchini obiicit, eum matri ſuae initiationes iacitanti operam miniſtraſſe, βλῶο ἐνῶι σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος ὑῆς ἄττης, ἄττης ὑῆς. Haec Phrygia Sacra vocat *Strabo* l. c.“

tilium perſpecta magis et explorata habuerit, diſcrimen inter duo iſta numina facit, ut colligere licet ex his verbis. Lib. IX p. 221 edit. Elmenh. *propter unicum cantharum* [*caliculum*, in edit. Oudendorpii p. 612], *quem Deum Mater Sorori ſuae, Deae Syriae, hoſpitale munus obiulit:* Illa vero Syria Dea fuit ipſa antiquiſſima Mater Deûm Phrygia, ut inprimis ex *Apuleio* et *Luciano*, aut quocumque demum auctore libri de Dea Syria, plane conſtat.

Sed nunc videamus argumenta a *Ryckio* in medium allata. Primum id quidem ille concedit, Phryges, ſive Briges (*m*), ex Thracia in Aſiam traiecille, et patrium ſermonem ſecum advexiſſe, quod veriſſimum (*n*) eſt, ſed *Thracicam linguam initio non levem cum Graeca convenientiam habuiſſe* affirmat. Atque *id exinde colligi poſſe* exiſtimat, *quod magna pars Graeciae a Thracibus fuerit occupata.* Verum hoc argumento id, quod vult, vir doctus minime conſequitur. Id quidem inde ſequi poteſt, unam gentem ab altera accepiſſe nonnulla, quod etiam re ipſa contigit. Audiamus *Salmaſium*, qui in iſtis rebus erat

(*m*) *Phryges* ab initio vocabantur *Brigès*. Eſt vero in Thracia veſtigium illius regionis, e qua Briges in Aſiam transierunt. *Suidas*, Θάμυρις, ἢ Θαμύρας, Θρᾴξ, ἐξ Ἠδωδῶν, τῆς ἐν Βρύγκοις πόλεως. *Heſychius* ſcribit, Βρίγες· οἱ μὲν Φρύγες· οἱ δὲ Βάρβαροι. Et id confirmant *Strabo* Lib. XII p. 550 [827], *Stephanus Byzant.* v. Βρίγες, et ad iſtum locum *Holſtenius*, ſed et ante eos omnes *Herodotus* Lib. VII c. 73. Ex eodem *Heſychii* loco intelligimus, Phryges habitos fuiſſe pro Barbaris, quemadmodum Phrygia appellatur Barbaria. Vide *Turnebi* Lib. IX Adverſariorum cap. 18.

(*n*) Sententiam *Ryckii* de Phrygibus origine Thracibus non potui non maxime probare. Id vero aegre tulerunt collectores Diarii Trivultini, qui in Menſe ſuo Martio anni

erat exercitatiſſimus, in libro de Lingua Helleniſt. pag. 403. *Lingua*, ait, *Graecorum ita fuit propria ipſis et peculiaris, ut tamen multa vocabula a Phoenicibus mutuata ſit, plura a Getis et Thracibus.* Ex quorum numero illa quoque videntur fuiſſe, quae a Phrygibus Graecos accepiſſe *Plato* teſtatur in Cratylo p. 57, 61, velut πῦρ, ὕδωρ, κύνες et alia [*]. Eadem

1715 ſic iudicant p. 540, *Selon luy les* Phrygiens *étoient* Thraces, *c'eſt ce qu'on aura de la peine à luy accorder.* Atqui in hac Diſſertatione laudavi *Ryckium*, id ipſum etiam fatentem. Quem ſi evolviſſent, ſine dubio vidiſſent, virum eruditum ſuae ſententiae auctoritatem conciliaſſe ex *Herodoto* Lib. VII c. 73 et *Strabone* Lib. XIII p. 590. ed. Baſil. p. m. 460 [877]. Quibus teſtimoniis adde eumdem *Strabonem* Lib. X p. 324 [722], Lib. XII p. 379 [857], *Plinium* Lib. V cap. ultimo, *Stephanum Byz.* in v. Λόκατος, Anonymum apud *Suidam* in v. Ἴλιον, *Euſtathium* in *Dionyſium Perieg.* [v. 521] p. 54, *Epiphanium* de Haereſibus p. 8 § VII. Pertinet huc quoque locus Antiſthenis apud *Diogenem Laërtium* l. c., ubi verbis καὶ ἡ μήτηρ τῶν θεῶν Φρυγία ἐστὶν haec adiunguntur, ἐδόκει γὰρ Θρᾴττης μητρός, et haud obſcure ad communem Phrygum Thracumque originem reſpicitur. Hinc quoque Aeſopus Phryx a quibusdam dicebatur Thrax. Verbo, nihil in hac Diſſertatione dictum fuit, quod et certius ſit, et maiori nitatur veterum auctoritate, et communi virorum doctorum conſenſu, a quibus tamen *Salmaſius* in notis ad Stephanum Byz. v. Σάβοι diſſentit, abunde confirmatur; et quod adeo innumeris teſtimoniis, ſi rem hanc tanti ac multa probatione egentem exiſtimaverim, facillime potuiſſem comprobare. Si quid in meo libello voluiſſent carpere, carpenda certe erant alia, quae ipſe deinde obſervavi, et curis ſecundis nunc emendavi.

---

[*] *Valckenario* V. Cl. πῦρ videbatur vox peregrina, non item ὕδωρ. Vocibus his omnibus origo Graeca attribuitur a *Lennepio* et *Scheidio*.

dem Graeca lingua posteris temporibus ex Latinorum sermone innumera deprompsit, ut testantur Glossaria Graecobarbara, propterea tamen diversissima lingua a Latina semper permansit. Quantum vero alioquin inter Thracicam linguam et Graecam interfuerit, ex *Ovidii* Tristibus et *Luciano* discere possumus. Vid. §. 4. Addatur *Porphyrius* de Abstin. p. 196 [lib. II §. 3], et *Dio Cassius* Lib. LI. p. 462, 463 [p. 658], ubi lingua Thracum opponitur Graecae, atque *Ammianus Marcell.* Lib. XXVII. p. 363 [cap. 4], qui Thraciam scribit priscis temporibus tenuisse Barbaros, morum sermonumque varietate dissimiles. Equidem non est, quod dubitem, linguam Thracicam fuisse eamdem cum Scythica, aut saltem parum diversam; quod aliquando fusius, Deo O. M. fortunante, in Scythicis Originibus ostendere [*] conabor. Quod vero ad Phryges sive Briges attinet, ipsum eorum nomen Thracicum est, et *homines liberos* significat (o). Quae vox etiamnum in lingua Germanica exstat, *frey*; unde etiam celebris Germanorum Dea *Fria* sive *Freya* nomen habet. Si qua fabulis veterum fides habenda es-

(o) Video etiam alios in ista sententia fuisse. Apud *Sufridum Petri* de Orig. Frisiorum Lib. 1 c. 20 haec ex *Lazii* Migrat. Gentium citata invenio: *Quare nec mihi displicet coniectura illa I. Aventini, et Phrygas Asiaticos Teutonas fuisse lingua, a libertate sic nominatos*, die Phryen, *qui postea ab eadem libertate, depravata pronuntiatione*, die Frianc *appellati sunt*. Incidi etiam posthaec in alios, inprimis in *Abelii* cuiusdam Historiam Monarchiarum, qui observatione mea usi sunt, quod in *Abelii* illo libro, qui tamen, dum haec scribo, ad manus non est, series rerum satis declarat.

[*] Origines hae Scythicae ad me non pervenerunt. An supersint, et ubi lateant, me fugit.

eſſet, videri cuipiam poſſet, apud Phryges huius Deae memoriam non evanuiſſe. *Servius* enim in I Aen. 382 *Frigiae* filiae Aerepi, ita legendum eſt, meminit, quae nomen dederit Phrygiae. Φρυγίας νύμφης etiam in *Stephano Byzantio* reperitur mentio; in voce Ἀτρήνη. Quod paulo ante dixi, confirmat *Iuba* vetuſtus auctor (*p*) apud *Heſychium* in v. Βρίγες, Ἰόβας δὲ ὑπὸ Λυδῶν φαίνεται, i. e. ut in notis exponitur, ἀποφαίνεται, Βρίγα λέγεσθαι τὸν ἐλεύθερον, *Iuba autem affirmat, Lydos Briga*, ſive Brigem, *hominem liberum appellare*. Confundit Iuba linguam Lydorum cum Phrygia, niſi forte utraque lingua hoc, uti multa alia habuerit communia (*q*). Pergit vir acutus atque contendit, *Phryges poſt Dardani adventum penitus Graeciſſaſſe*. Quod ne fruſtra dictum putare quis poſſit, duabus rationibus confirmare nititur. Primo *ex Graecis et Varrone* (*r*) docet, *Dardanum fuiſſe Ar-*

(*p*) De *Iubà*, Mauritaniae Rege doctiſſimo eiusque libris hiſtoricis fit mentio ab *Athenaeo*, *Plutarcho*, *Dione Caſſio*, *Plinio* et aliis. Vid. *Mauſſacus* ad *Harpocrationem* v. Παρράσιος, et Celeb. *Fabricius* in Biblioth. Graeca vol. II. p. 601, vol. XIII. p. 304 [*Saxii* Onom. Lit. Part. I. p. 178, 179].

(*q*) Cum his tamen conferantur, quae infra diſputabo.

(*r*) Graeci illi ſunt *Arctinus*, vetuſtiſſimus Poëta, de quo vide Fabricii Biblioth. Graec. vol. I. p. 8, 9, *Satyrus* et *Calliſtratus*, quorum ſententiam *Ryckius* verbis *Dionyſii Halic.* exhibet p. 464. Confer et ea, quae praecedunt apud ipſum *Dionyſium*. De *Varrone* res eſt magis dubia; ablegat nos Ryckius ad *Servium* in III Aen. 170. Verum *Varronis* ſententiam *Servius* refert ad v. 167, quod obiter monendum, et ita ſcribit: *Graeci et Varro Humanarum rerum, Dardanum non ex Italia, ſed de Arcadia* (leg. *Arcadiae* vel *Arcadica*) *urbe Pheneo oriundum dicunt.* Graecos deſignat, quorum *Dionyſius* meminit. An vero *Var-*

Arcadem gente, eumque cum colonis Arcadibus in Aſiam tranſiiſſe. Haec vero nondum certa ſunt et indubia. Graeci quippe omnia ſibi tribuebant, ſe vero ipſos Αὐτόχθονας venditabant, niſi forte pauci viri ſapientes non minus quam candidi nonnumquam profiterentur, quod plerique negare ſuſtinebant. Hanc ipſam quoque Dardani hiſtoriam dubiam fuiſſe, fidem facit *Servius* in Lib. III Aen. v. 104, ubi *Dardanus*, inquit, *Iovis filius et Electrae profectus de Corytho civitate Thuſciae primus venit ad Troiam, et illic parva aedificia collocavit.* Eadem habet ad eiusdem libri v. 167 et 170, ubi eum ex Hetruria veniſſe, conſtanter perhibet Alii autem eum ex Moloſſia ſeu Epiro veniſſe tradiderunt, ut vir Clar. *M. V. la Croze* mihi in-

Varronis mentem illic loci bene ceperit *Servius*, nihil affirmare auſim. Ex Samothracia profectum fuiſſe Dardanum, *Varro* haud dubie voluit. Vide *Macrobium* Lib. III Saturnal. cap. 4. An vero ex Arcadia eo veniſſe, indicare voluerit, de eo quaeritur. Forſitan tamen aliorum opinionem adduxit tantum. Eumdem *Varronis* locum reſpicit *Servius* in I Aen. 382. Ceterum vero, veniſſe Dardanum ex Italia, *Servius*, praeter locos iam citatos, teſtatur etiam in I Aen. 239, 384, VIII Aen. 134, 135, IX Aen. 10, ſimiliter *Macrobius* in Somn. Scip. Lib. I c 7, et his multum antiquior *Hellanicus* apud Scholiaſten ad *Apollonii Rhodii* Lib. I v. 916 verba, Νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος. Hinc *Valerius Flaccus* Samothracen vocat Electriam, Lib. II v. 431,

Tunc tenuis Lemnos tranſit et Electria tellus
Threiciis arcana Sacris.

Ita ex veſtigiis Codicum MSS., quos inſpexit *Nic. Heinſius*, et in quibus legitur *tranſita Electria tellus*, legendum conicio. Iunge *Arriani* teſtimonium apud *Euſtathium* in Il. B pag. 351, *Plutarchum* in Camillo p. 252 edit. Steph.

indicavit. Erant autem Barbari in Epiro, et nominatim quidem Amphilochii. Vid. Thucydides Lib. II p. 56 [c. 68] et Chaones, ibid. et p. 64 edit. Hervag. [c. 80]. Sed concedam, Dardanum fuiſſe ex Arcadia, illa tamen lingua vetuſtis illis temporibus propior erat Thracicae, ut docet *Salmaſius* de Ling. Hellenıſtica. Tamdem Dardanus et Troiani, a Phrygibus diverſi (*s*), non Phrygiam (*t*) tenuerunt, ſed partem

(*s*) Troianos a Phrygibus origine diverſos fuiſſe, certis argumentis poteſt comprobari. Nam (1) diverſas habuerunt migrationes, et diverſis ex regionibus in Aſiam appulerunt. (2) Durante imperio Dardanidarum, leguntur Troiani cum Phrygibus ſimultates habuiſſe et ſaepe bella geſſiſſe. Ex. gr. Tros rex Troiae contra Tantalum Phrygiae regem dicitur arma ſumſiſſe. Vid. *Euſebii* Graeca p. 31, ubi tamen paulo ante dubitat, ſitne Tantalus Phrygiae rex appellandus, an vero Maeoniae. Sed dubium illud nullius eſt momenti. Bellum regi Troianorum cum Phrygum rege interceſſiſſe affirmant omnes. Conf. *Freculfi* Chronicon Tom. I Lib. II cap. 13. Eamdem rem commemorat *Ammianus Marcell.* Lib. XXII pag. 236, et *Herodianus* Lib. I [c. 11, ſed ad iſtum locum conſulantur interpretes] p. 17. qui uterque tamen, levi diſcordia, non Troëm nominat, ſed Ilum. (3) Etiam ſcriptores veteres diſtinguunt Troianos et Phrygas, *Strabo* Lib. X p. 326, Lib. XII p. 388, 389, 395, Lib. XIV p. 457, *Dionyſius Halic.* loco infra citando, Scholiaſtes ad *Apollonii Rhodii* Lib. I v. 937, ἡ Φρυγία παράκειται τῇ Τροίᾳ.

(*t*) De Priamo quidem ait Polyxena apud *Euripidem* in Hecuba v. 349, 350,

ἦ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ
Φρυγῶν ἁπάντων.

Sed ne dicam, Troianorum ditionem ſub Priamo late ſe extendiſſe, quod *Strabo* docet Lib. XIII p. 402, 403, ipſe Priamus apud *Homerum* Il. Γ. 184 ſeqq. Phrygiam a Troia di-

tem Phrygiae minoris (*u*). Hinc *Servius* in III Aeneid. v. 3, *Phrygia in Asia est, Ilium in Phrygia minori.* Vid. et *Strabo* Lib XIII [p. 591] et *Eustathius* ad *Dionysium Per.* p. 121, 122 [v. 815]. Quod tamdem Troianorum imperium funditus deletum est, adeo, ut non defuerint, qui totam rem in dubium vocarent, uti *Dion Chrysostomus* peculiari libro [*] ostendit. Ut ut id est, insignem ἀναχρονισμὸν *Ryckius* committit, cum Brigum in Asiam adventum faciat priorem Troiae ἁλώσει. Diu enim post captum Ilium illa migratio contigit, quod ex aetate Midae, ducis in hac expeditione principis, vulgo colligitur. Ex quo possit videri etiam consequi, linguam Phrygiam antiquissimam non fuisse Thracicam, sed forte Lydiam vel Caricam, aut ex utrâque illa commixtam, postea autem Brigum adventu a lingua Thracica absorptam, aut cum illa confusam fuisse. Multis annis ante Midam, teste *Diogene Laërtio* Lib. I cap. 90, vixit Homerus, et hic tamen Phrygum meminit. Vide etiam de emigrationis tempore *Eusebii* Chronicon Graecum p. 36. His accurate pensitatis, dubitare quis

distinguit, ubi Phrygiam maiorem, ad fluvium Sangarium sitam, intelligit *Eustathius* p. 402, quem et vide p. 429. In Scholiis ad Il. B v. 369 haec leguntur, Ὁ ποιητὴς διαιρέλλει Φρύγας καὶ Τρῶας· οἱ νεώτεροι δὲ συγχέουσι τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Τρωάδα.

(*u*) Φρύγας ἀμφοτέρους habes apud *Xenophontem* Lib. I Cyrop. p. 13 [c. 1]. Idem Lib. II sub init. Φρυγίαν μεγάλην commemorat, et Φρυγίαν τὴν παρ' Ἑλλήσποντον Lib. IV [c. 2] p. 93. *Eustathius* in Il. B pag. 364, Τῆς μικρᾶς δέ φασι Φρυγίας ἦσαν οὗτοι, οὐ μὴ τῆς μεγάλης, τῆς παρὰ Σαγγαρίῳ κειμένης. Idem ad Il. T p. 402 ait Troiam fuisse περὶ μικρὰν Φρυγίαν.

[*] Orat. XI, tom. I p. 307 seqq. edit. Reiskii.

quis poſſit, fuerintne forte duae Phrygum ſive Brigum in Aſiam migrationes, fuerintne etiam plures Midae, quod nomen in Phrygia commune fuerit. Sed id nunc non ago. Revertamur ad argumenta *Ryckii*. Maioris momenti videtur illa, quam deinceps affert, ratio: *nomina* filiorum Priami, quae apud *Apollodorum* exſtant Lib. III p. 210, 211, eſſe Graeca, velut, Ἕκτωρ, Ἀλέξανδρος, Δηΐφοβος, Ἕλενος, Πάμμων, Πολίτης etc. Video hic nomina Graeca complura, nec tamen ad unum omnia, neque eadem plane ſignificatione, qua Phryges uſi fuerunt. Ἕκτωρ ex. gr. eſt vocabulum Graecum, ei ſignificat *clavum*. Vid. *Heſychius* in v. Ἕκτορες· πάσσαλοι ἐν ῥυμῷ. Fortaſſe ſic dicuntur a *retinendo*, et inde etiam anchorae ἕκτορες πλημμυρίδος a *Lycophrone* v. 100, cum eiusdem originis videantur voces Graecae ἕκτωρ, ἕξωρ et ἵξωρ, niſi quis malit; ἕκτωρ ſcribi pro ἐχέτωρ, cum Scholiaſte ad Il. Ω. 272. Apud Phrygas vero Ἕκτωρ idem ſignificavit, quod apud Perſas Δαρεῖος, *virum prudentem*. Scribit *Heſychius*, Δαρεῖος· ὑπὸ Περσῶν, ὁ φρόνιμος· ὑπὸ δὲ Φρυγῶν, ἕκτωρ, ubi opus non eſt, ut cum *Thoma Gale* ad *Herodoti* Lib. VI c. 98 pro ἕκτωρ legendum exiſtimetur ἑρκτὼρ. Si in mediam Graeciam conceſſeris, multorum nominum non tam reddideris rationem, quam horum. Et tamen haec dialectus, ſi Graeca fuit, ut volunt, immenſum a communi Graeco ſermone abiit, ut ex iis vocibus intelligimus, quas vetuſti ſcriptores nobis reliquas fecerunt. Quis Graecorum *ovem* appellavit Μᾶ, ut Phryges, quis *panem* Βέκκον, quis *vulpem* Οὐανοῦν, quis *regem* Βαλλήνα, et ſimilia, de quibus deinde dicam. Illa vero nomina Phrygum, quae *Homerus* et *Apollodorus* habent, maximam certe partem pura putaque Graeca ſunt. Praeterea, ſunt quaedam in his nominibus, quae ſcimus a Phrygibus aliter appellata eſſe. Apud *Apollodorum* v. gr. p. 211 recenſetur quidem Αυκάων, quod

quod deſcendit a Λύκος *lupus*, unde etiam apud *Plinium* Lib. VIII c. 34 et *Pompon. Melam* Lib. III c. 9 *Lycaon* eſt nomen ferae apud Aethiopas ad genus luporum pertinentis. *Lupum* vero Phryges Δάνον appellarunt, ut obſervat *Bochartus* Tom. I Opp. col. 1164, in diſſertatione epiſtolari de Aeneae adventu in Italiam (*v*). Itaque hoc nomen non eſt ex dialecto Phrygia, etiamſi Graeca ſit, ſed ex communi Graecorum lingua deductum. Et ita ſe res habet cum aliis. Aut igitur oportet haec ſint mere fabuloſa, aut Dardanus eiusque poſteri regiae ſtirpis tantum lingua Graeca uſi ſint, quemadmodum apud Syros et Aegyptios contigiſſe videmus. Nam qui Syriae poſt Alexandrum M. imperabant, Graece loquebantur, ut ex eorum nominibus et aliis argumentis (*w*) conſtat. Et tamen lingua Syriaca peculiaris lingua permanſit, quod ex monumentis Palmyrenis et ex verſione N. T. Syriaca manifeſtum evadit. Idem etiam in Aegypto contigit, quod prolixius explicare, nec neceſſarium puto, nec tempus permittit. Unum adiungam

(*v*) Neſcio tamen, unde pateat, *lupum* a Phrygibus dici Δάνον. *Bocharto* credidi, multis de voce illa agenti. Nunc vero credo, eum memoria lapſum fuiſſe, et reſpexiſſe ad vocem Γάνος, de qua infra monebo. *Plutarchus* ceteroquin auctor eſt in libro, Quomodo iuvenes poëmata audire debeant p. 38 edit. Steph., Macedones Δάνον dixiſſe *mortem* [*].

(*w*) *Euſebius* Lib. I Hiſt. Eccl. cap. ult., Lib. IV cap. ult., *Photius* p. 402. Conf. *Bentleius* de Epiſtolis Phalaridis p. 404.

[*] Dubium non eſt, quin ſcripſerit *Bochartus* l. c. Δάος. modo comparetur eiusdem Hierozoicon tom. I lib. III c. 10, ubi non neglexit hoc *Heſychii*, Δάες — ὑπὸ Φρυγῶν, λύκοι, ad q. l. legendus *Albertius*.

gam. Lagidas Graece locutos fuiſſe, cum fuerint linguae Aegyptiacae imperiti, docet *Plutarchus* in Antonio p. 927. Supereſt aliud, quod dicamus, illos Priami filios ſic a Graecis, aliter vero a Phrygibus appellatos eſſe, quod in multis contigiſſe docuit me vir eruditus (*x*). Sic *Paris* a Phrygibus, a Graecis vero *Alexander* dicebatur. *Varro* de L. L. Lib. VI p. 78. *Alexandrum ab eo appellatum in Graecia, qui Paris fuiſſet.* Qui Graecis erat *Aſtyanax*, a Phrygibus *Scamander* appellabatur. Quod diſcrimen ipſi Troiani obſervarunt. Vid. *Homerus* Il. Z. v. 402, 403. Monet *Euſtathius* p. 626, *Heleno* nomen *Scamandri* primitus fuiſſe, ſed Helenum ſe vocaſſe de praeceptore Heleno Edono Thrace, a quo vaticinandi artem didicerat. Quod vero ad Phrygia nomina attinet, videmus tam vetuſta quam recentia longe aliter ſe habere, atque Graecis prorſus diſſimilia eſſe, velut *Hyagnis*, *Marſyas*, quorum alter Muſicus ille celeber, alter Rex, cuius *Servius* meminit in VIII Eclogam [*], *Gordius*, *Midas*, *Lityerſes*, qui ſunt antiquiores. Etiam recentiora nomina nihil cum Graecis habebant commune. Athenienſes ſervos ſuos *Manes* et *Midas* appellabant, ut *Strabo* et alii obſervant (*y*). Hinc de nomine *Maniae*, quod Phrygiarum

(*x*) Quo tempore haec mea Diſquiſitio edebatur, reticendum erat *M. V. la Croze* nomen, ex ipſius voluntate.

(*y*) Phrygiacum et ſervile nomen eſt *Manes*, cuius foemininum *Mania* iure videatur, obſervante *Caſaubono* ad *Athenaei* l. c. Mania Dardanenſis memoratur apud *Xenophontem* Lib. III [c. 1. 8] p. m. 328. Plura de hoc nomine le-

[*] Nihil illic de Marſya rege Phrygum, ſed ad Aeneid. III. 359. In hac diſputationis parte nec doctrina videtur accurata, nec diligens et acuta differendi ratio. Pleraque nomina non abhorrent ab origine Graeca,

rum ancillarum erat, et tamen apud Graecos *insaniam* significat, lepide iocatur *Machaon* poëta apud *Athenaeum* Lib. XIII p. 578 [91 iqq.]. Verum ut haec maiorem fidem inveniant, et pro certis habeantur, Phrygia nomina, quae vere Phrygia essent, non fuisse Graeca, locum *Athenaei* afferam, qui rem planam faciet. Is est Lib. XIV p. 624 [261], Διὸ καὶ τοὺς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν αὐλητὰς Φρυγίους καὶ δουλοπρεπεῖς τὰς προσηγορίας ἔχειν· διός ἐστιν ὁ παρὰ Ἀλκμᾶνι Σάμβας (z), καὶ Ἄδων, καὶ Τῆλος· παρὰ δὲ Ἱππώνακτι Κήων [Κίων], καὶ Κώδαλος, καὶ Βάβυς, *Quamobrem apud Graecos tibicinum appellationes Phrygiae sunt et serviles, ut apud Alcmanem Sambas, Adon, Telus, apud Hipponactem vero Ceon* [Cion], *Codalus, Babys.* Quam haec nomina sint Graeca, illi viderint, qui in eo tantopere laborant, ut Phryges Graecos efficiant (*a*). Recte idcirco ausus non est *Strabo* Lib. XIII p. 417 [904] nomina illarum regionum e lingua Graeca interpretari.

Affert deinceps Clariss. *Ryckius* ex *Dionysii Halic.* Lib.

legas apud *Fabricium* ad *Sextum Empir.* in fine Libri I Pyrrhon. Hypotyp., et *Menagium* ad *Diogenis Laërtii* Lib. V p. 516. *Midias* gener Maniae occurrit apud *Xenophontem* l. c. p. 329, et *Midia* mulier Phrygia in *Pindari* Olymp. VII [v. 55] p. 63, ibi Scholia p. 62, 63, 158.

(z) Σάγγας Phryx commemoratur in Etymologico M. v. Σάγαρις [*].

(*a*) Vide et *Cassiodorum* de Orthogr. cap. IX, inprimis p. 2311 ed. Putsch.

---

[*] Sua Etymologus duxit e Scholiis ad *Apollonii Rhodii* lib. II v. 724 — Ad nomen Phrygium Βάβυς proxime accedit Βάβας, nomen municipii, in epigrammate *Pisandri Rhodii*, lib. III Anthologiae Graecae epigr. 45.

LIBRARY

Lib. I quaedam loca, in quibus Troianos Graecos appellat. Nempe, quia *Dionyſius* Romanorum originem volebat Graecam facere, atque Dardanum ex Arcadia veniſſe affirmaverat, non poterat, quin Troianos fuiſſe Graecos diceret. Nihil proficit hoc argumento *Ryckius*, etiamſi linguam Troianorum fuiſſe Graecam, diſertis verbis docuiſſet. *Ryckius* pugnat pro lingua Phrygia. At vero Phrygas a Troianis diverſos fuiſſe iam ſupra monui, et inprimis *Dionyſius* ipſe a Troianis maxime diſtinguit. Non poterat eos efficere Graecos, cum noviſſet eos fuiſſe Barbaros, talesque a Graecis omnibus haberi. Si igitur Troianos volebat eſſe Graecos, urgere ante omnia debuit differentiam inter Phrygas Troianosque, quod etiam fecit. Cum enim Lib. I p. 22 dixiſſet, Tyrrhenos et Pelasgos haud raro ſecum invicem fuiſſe confuſos ab auctoribus, addit p. 23, καὶ ἄλλα δή τινα ἔθνη, τὰ μὲν Ἑλλήνων, τὰ δὲ Βαρβάρων, ταὐτὸ ἔπαθον, ὥςπερ τὸ Τρωϊκὸν καὶ τὸ Φρυγικὸν, ἀγχοῦ οἰκοῦντα ἀλλήλων, κ. λ. Nihil validius pro mea ſententia contra *Ryckium* hoc *Dionyſii* loco afferri poterit, ubi Troiani quidem Graeci, Phryges contra Barbari verbis apertis nominantur (*b*). De lingua nihil probat vir eru-

di-

(*b*) Novi, *Solinum* cap. VII p. 59. b. ed. Aldi, Troianos Graecis accenſere, ſed et ſententiam contrariam placuiſſe plerisque aliis. Hinc Troia dicitur πόλις βάρβαρος. Vid. *Plutarchus* in Pericle p. 167. E., *Pauſanias* in Meſſeniacis p. 138, *Horatius* Lib. I Epiſt. 11. 7. Sic etiam *Herodotus* Troianos pro Barbaris reputat Lib. I c. 3, quem imitatur *Maximus Tyrius* Diſſert. 11. Similiter Troianos vocat Barbaros, et inter gentes Barbaras numerat *Pauſanias* in Eliacis p. 171, 174. Eadem ratione *Scylax* p. 9 edit. Gronovii, qui quidem alibi in Phrygia inter urbes Graecas recenſet Ilium, ſed intelligit Ilium recentius, cuius incolae

di-

ditus; ſed ſic tamdem concludit: *veritati maxime conſentaneum videri, Phrygiam linguam eſſe Graecam, ſed ſingulari Dialecto ab aliis huius linguae diſtinctam, qua* Daretis Phrygii Ilias *conſcripta quondam, ſi* Aeliano *credamus V. H. Lib.* XI *c.* 2. Caute vir eruditus addit, *ſi Aeliano credamus*, nam *Aeliani* fides hic magnopere laborat. Certe ſi ille *Daretis* liber exſtitiſſet, viri docti et ante et poſt *Aeliani* tempora hoc tam pretioſum antiquitatis monumentum eruere et ex tenebris in lucem proferre pro virili laboraſſent. Neque *Aelianus* ipſe illum viderat; pro-

dicuntur Ἰλιεῖς, teſte *Strabone* Lib. XIII p. 484 [*] et *Stephano Byzantio* v. Ἴλιον. Similiter Barbaris Troianos annumerarunt *Iſocrates* in Helenae laudatione p. 510, 512, 518, 520, *Apuleius* Lib. X Metamorph. p. 253 [**], *Euſtathius* ad *Homeri* Il. B p. 335, 347, *Servius* ad *Virgilium* II Aen. 501, 504, Scholiaſtes *Horatii* Lib. IV Carm. ult. et Epod. Carm. IX.

---

[*] Locus eſt Lib. XIII p. 886, οἱ δὲ νῦν Ἰλιεῖς φιλοδοξοῦντες, καὶ θέλοντες εἶναι ταύτην τὴν παλαιὰν, παρεσχήκασι λόγον τοῖς ἐκ τῆς (τοῦ in Cod. Med.) Ὁμήρου ποιήσεως τεκμαιρομένοις· οὐ γὰρ ἔοικεν αὕτη εἶναι, ἡ καθ' Ὅμηρον· καὶ ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι πλείους μεταβεβληκέναι τόπους τὴν πόλιν· ὕστατα δ' ἐνταῦθα συνῳκῆσθαι κατὰ χρησμὸν μάλιστα. Verba eo praecipue conſilio adſcripſi, ut notabilem varietatem lectionis, quam in exemplo meo *Gronovius* ex Codice Mediceo duxit, hic commemorarem. Pro κατὰ χρησμόν, *oraculi iuſſu*, ut vertitur, illic κατὰ μικρόν legitur. Fortaſſe rectius, et ad mentem *Strabonis* accommodatius. Conf. p. 889 et ſeqq. Κατὰ μικρὸν διάστημα ſignificat *non longo locorum intervallo*. Qua ellipſi vulgatius nihil eſt in hac et ſimilibus loquendi formis. — Ad *Stephani* l. c. legantur viri eruditi, inprimis *Holſtenius*.

[**] Non tanti res mihi viſa eſt, ut teſtimonia haec ad unum omnia quaererem et perpenderem. *Appuleii* verba p. 736 ed. Oudendorp. huc minus pertinere exiſtimo. Magis certe huc ſpectarent *Aeſchylus* in Agamemn. v. 1060, 1209, 1210, *Euripides* in Hecuba v. 328, 734.

profitetur tantum, se scire eumdem alicubi asservari. Qualis igitur fuerit, si fuit, dicere non possumus. Quod vero ad *Phrygiam Iliada* attinet, potuit liber ille lingua Phrygia ab ipso *Darete* esse consignatus: nam Barbaros Asianos habuisse literas, *Aelianus* noster affirmat Lib. VIII c. 6. Graecum *Daretis* librum citat *Antipater Acanthius* apud *Photium* in Codice Hephaestionis p. 244 ed. Hoesch. [474], et monet, ipsum ante Homerum Iliada conscripsisse. Ipsam vero *Phrygiam* Iliada alicubi asservari significat *Aelianus*, quod diverso sensu accipi potest. Aut enim dicitur Ilias Phrygia, quia eam vir Phrygius suo sermone composuit, ab alio deinde Graece versam. Ita *Aelianus* Lib. X Var. Hist. c. 5, Φρύγιος οὗτος ὁ λόγος· ἐστὶ γὰρ Αἰσώπου τοῦ Φρυγός. Φρυγίων λόγων meminit idem Lib. II Hist. Anim. c. 21, et Scholiastes *Apollonii Rhodii* [lib. I v. 558] p. 26. Φρύγια γράμματα habes apud *Plutarchum* de Is. et Osir. p. 337, et *Eusebium* Praepar. Euang. Lib. III c. 1 p. 51 (*c*). Aut vero si *Dares* librum suum Graeco sermone condidit, aut Xanthus Lydius aliique fecerunt, forsitan quis alius in linguam Phrygiam transtulit. Utrumque istum sensum *Aeliani* phrasis permittit. Novimus autem ex *Aeliani* Lib. XII Var. Hist. c. 48, Homeri poëmata in Persarum Indorumque linguas versa fuisse, quod etiam testantur *Dio Chry-*

(*c*) Scribit *Cicero* Lib. III de N. D. cap. 16, Herculem Aegyptium *Phrygias literas conscripsisse*. Quondam ex h. l. colligebam, Phryges habuisse literas et linguam sibi peculiarem, sed nunc muto sententiam, dubius tamen incertusque, intellexeritne *Cicero* Φρύγια γράμματα, an λόγους Φρυγίους, Conf. *Gale* ad *Phurnutum* [Cornutum] de Nat. Deor. cap. XVII p. 171. Non dissimili ratione de Hipparcho *Athenaeus* Lib. III p. 101, ὁ τὴν Αἰγυπτιακὴν Ἰλιάδα συνθείς.

Chryſoſtomus et *Athenaeus*, ut adiſſum locum *Kuhnius* et *Perizonius* monent. Addatur hoc *Plutarchi* de Fortuna Alexandri Lib. I. p. 585. ed. Steph., Ἀλεξάνδρου τὴν Ἀσίαν ἐξημερούντος, Ὅμηρος ἦν ἀνάγνωσμα καὶ Πέρσαις καὶ Σουσιανοῖς. Significat vero Perſas et Suſianos Graecam Homeri Iliadem legiſſe; ſed id ipſum verſioni huius poëtae occaſionem dare potuit. Ex his liquere arbitror, Phrygas lingua Graeca ab antiquiſſimis inde temporibus uſos non fuiſſe. Unum tamen habeo, quod dictis adiungere velim. Linguam Phrygiam non eſſe dialectum aut propaginem linguae Graecae, ſatis declarat hiſtoria Pſammetichi apud *Herodotum* Lib. II cap. 2. Nam quae ibi de antiquitate linguae Phrygiae venditata leguntur ab Aegyptiorum ſacerdotibus, ea facile *Herodotus* confutare potuiſſet, ſi lingua Phrygia aut Graeca fuiſſet, aut ab ea aliquo modo deſcendiſſe exiſtimaſſet. Cum autem concedat, aut certe non adverſatur iis, qui Phrygiam linguam pro antiquiſſima omnium habebant, eo ipſo ſignificat, eam e Graeca ductam non eſſe, nam quae eſt antiquiſſima, deſcendere ab alia non poteſt, ſed poterant Graeci ex antiquiori Phrygum lingua quaedam vocabula deſumere, uti factum fuiſſe e *Platone* ſupra obſervavi.

§. 8. *Pauculae voces* Phrygiae, *poſt* Bochartum, *afferuntur et explicantur.*

Poſtulat iam ratio inſtituti, ut Phrygias nonnullas voces ex antiquis monumentis exhibeam. Sed labore hoc me levavit magnus ille *Bochartus* in diſſertatione de Aeneae in Italiam adventu, in qua Tom. I Operum col. 1161 ſqq. multas Phrygias affert, et erudite, ut ſolet, pleraſque iſtas voces explicat. Inde quasdam easque praecipuas huc transferam et paucis, ubi opus fuerit, illuſtrare conabor, atque illis exempla nonnulla adiungam.

Ἀγ-

"ΑΓΔΕΣΤΙΣ vel "ΑΓΔΙΣΤΙΣ nomen Phrygium Matris Deorum. De Berecynthiis, Phrygia gente, et de Phrygibus in universum scribit *Strabo* Lib. x p. 469 [717, 718], Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, μητέρα καλοῦντες, καὶ Ἀγδέσιν, καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην. Sic enim legendum, non "Αγεσιν, vel Ἐσίαν, vel etiam Ἄτεσιν, monuit *Casaubonus*. Ab *Hesychio* vocatur "Αγδισις [*].

ᾼΖΗΝ apud Phrygas *barba* dicebatur iuxta *Hesychium* et auctorem Etymologici. Ἀζὴν σημαίνει τὸν πώγωνα κατὰ Φρύγας, teste Etymologo. Alter dedit "Αζενον, πώγωνα· Φρύγες. Legendum videtur Ἄζένα, πώγωνα [**].

ᾼΔΑΓΟΟΥΣ· θεός τις παρὰ Φρυξὶν, ἑρμαφρόδιτος, ut monet *Hesychius*. Apud *Bochartum* dicitur Ἀδαγυούς, quod parum differt, uti quoque Ἀδαγός, quemadmodum legi vult *Alexander Morus* in notis ad quaedam loca N. F. p. 96 ed. Fabricii. Sed audacior est, quam ut possit probari, *Salmasii* coniectura, in Exercitation. Plinianis p. 248 nomina Ἀδαγοούς in Ἀδαδούς et Φρυξί in Σύροις mutata cupientis.

ᾼΔΑΜΝΑ, *amicus*, et ᾼΔΑΜΝΕΙΝ, *diligere*. *Hesychius*, Ἀδαμνεῖν· τὸ φιλεῖν. καὶ Φρύγες τὸν φίλον Ἀδάμνα λέγουσιν. Sunt sine dubio voces Barbarae et Graecis scriptoribus inusitatae.

ᾼΚΡΙΣΤΙΣ, *fur* foemina, monente *Bochartо*. Sed et aliam insuper adiectam invenio huius vocis expositionem apud *Hesychium*, "Ακριζιν· κλέπτριαν, ἁλετρίδα· Φρύγες. In lingua Phrygia etiam hoc nomine di-

---

[*] Vid. viri eruditi ad *Arnobium* lib. v p. 158 seqq., et *Albertius* ad *Hesychium* v. "Αγδισις.

[**] Ita *Kusterus*. An rectius, Ἄζένα, τὸν πώγωνα.

dicebatur *molitrix*, μυλωθρός. *Sopingius* in margine codicis ſui correxerat Ἀλέτριαν. Quid hoc vocis ſit, idem *Heſychius* docet. Ἀλετρίαι, inquit, γίγνονταί τινες παρθένοι, αἱ τινὲς [αἵτινες] τὰ εἰς τὰς θυσίας πόπανα ἀλοῦσι, καὶ ἔξι τοῦτο ἐπίτιμον, *Alétriai ſunt virgines, quae placentas in ſacrificiis adhiberi ſolitas pinſunt, atque id honorificum habetur.* Sed fortaſſe in utroque, at certe in priori loco Ἀλετρὶς poteſt ſervari. Non tantum hoc vocabulum invenitur apud *Homerum* Odyſſ. Υ. 105 et *Ariſtophanem* Lyſiſtr. v. 644, ſed et reſpexiſſe videtur *Heſychius* ad Scholia *Ariſtophanis* l. c., qui ſcribit, γίνονται δέ τινες τῶν εὐγενῶν ἀλετρίδες τῇ θεῷ πάρθενοι, αἵτινες τὰ εἰς τὴν θυσίαν πόπανα ἀλοῦσι, καὶ ἔξιν ἔντιμον τοῦτο.

ΑΡΓΥΪΤΑΣ· τὴν Λάμιαν. Φρύγες, apud *Heſychium*. *Bochartus* praebet Ἀργῆτας [*].

ΑΡΜΑΤΕΙΟΝ eſt appellatio Phrygia cuiusdam cantilenae. *Heſychius* tantum ſcribit Ἁρμάτειον μέλος, nulla mentione Phrygum facta. Sed poſſunt eius verba aut ſuppleri aut aliunde illuſtrari. Reſpicitur enim ad *Euripidis* Oreſten v. 1387 ſqq.

Ἴλιον, Ἴλιον ὤ μοι μοι,
Φρύγιον ἄχυ καλλίβωλον,
Ἴδας ὄρος ἱερὸν,
Ὡς σ' ὀλόμενον ςένω,
Ἁρμάτειον ἁρμάτειον μέλος
Βαρβάρῳ βοᾷ.

ad quae Phrygis verba in Scholiis multa notantur [inprimis in editione *Musgravii* vol. IV p. 393, 394], quibuscum comparentur *Euſtathius* ad Iliad. X pag. 1276

[*] Hoc non inveni apud *Heſychium*. Vid. not. ad Ἀργῆτας p. 52a.

1276 et Etymologicon M. p. 145. Existimarunt tamen illi esse vocem Graecae originis.

ΑΡΤΕΜΙΣ nomen Dianae videtur Phrygiacum, ut coniicio ex verbis *Clementis Alex.* Lib. I Strom. p. 323 [384, ubi tamen legatur *Potterus*], Φρυγίαν τε οὖσαν κεκλῆσθαι Ἀρτεμώ. Convenit nomen *Artamae*, regis Phrygum apud *Xenophontem* in Cyropaedia [lib. II c. I].

ΑΤΤΑΛΗ lingua Phrygum est *guttur*. Apud *Hesychium* legitur, Ἀττάλη· φάρυξις, ὑπὸ Φρυγῶν. *Salmasius* legit φάρυγξ. Alii aliter.

ΒΑΓΑΙΟΣ cognomen *Iovis* Phrygium. *Hesychius*, Βαγαῖος· ὁ μάταιος, ἢ Ζεὺς Φρύγιος, μέγας, πολὺς, ταχύς.

ΒΑΛΛΗΝ sive ΒΑΛΗΝ utuntur soli Phryges, ut supra monui, significatione *regis*. Scribit *Hesychius*, Βαλλήν· βασιλεύς. Φρυγίοι. Sumtum hoc est e *Sexto Empirico* Lib. I adv. Mathemat. c. 13, ubi οἱ παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ ποιμένες, Ἰὼ Βαλλὴν λέγοντες, Ἰὼ βασιλεῦ λέγουσι Φρυγιστί. Conferantur *Eustathius* ad Il. Γ. p. 381, *Seldenus* de Dis. Syr. p. 216 et *E. Spanhemius* ad *Callimachum* p. 28 [*].

ΒΑΜΒΑΛΟΝ apud Phrygas in usu, non item apud Graecos. *Hesychius*, Βάμβαλον· ἱμάτιον καὶ τὸ αἰδοῖον. Φρύγες. Si forte vocabulum significatione priori de pallio sive veste contra frigora, non certe notione posteriori de pudendis, extra Phrygiam notum fuisse videtur.

ΒΑΤΑΒΑΚΗΣ, Sacerdos Pessinuntius apud *Plutarchum* in Mario p. 415. Βατάκης est apud *Suidam* in

[*] *Aeschylus* in Persis v. 659, Βαλὴν ἀρχαῖος Βαλήν. Monet Scholiastes, vocem de *rege* usurpari, *Euphorionem* vero affirmare, esse eamdem e dialecto Thuriorum. Consulantur viri eruditi ad *Hesychium* v. Βαλλήν.

in v. Γναῖος, quae ſuo loco mota quaeri debet in Γα, non in Γν. Sic etiam in Cod. MS. *Plutarchi* inventum fuit. Vide Gallicam huius ſcriptoris verſionem A. Dacerii Tom. IV. p. 124, et confer Epigrammata MSS. et *Hephaeſt.* in *Voſſii* notis ad *Catullum* p. 163. In excerptis *Diodori Sic.* apud *Photium* p. 637 [1184] ſcribitur Βαττάκης ſive Βαττάκις. Inde fere coniicias, hoc fuiſſe nomen dignitatis, et ſic Phrygibus dictum fuiſſe *Archigallum*, quamvis tantum vocetur ἱερεύς, et a *Livio* Lib. LXVIII *ſacerdos* [*].

ΒΕΔΥ ſive ΒΕΔΥ ſermone Phrygum denotat *aquam*, vel *aërem*, ſecundum alios. Facit huc praeſertim locus *Clementis Alexandrini* Lib. V Strom. p. 568 [673], Βέδυ μὲν γὰρ τοὺς Φρύγας τὸ ὕδωρ φησὶ καλεῖν· καθὸ καὶ Ὀρφεύς [p. 383, 314 ed. Gesneri],

Καὶ Βέδυ Νυμφάων καταλείβεται ἀγλαὸν ὕδωρ.

ἀλλὰ καὶ ὁ Θύτης Δίων ὁμοίως φαίνεται γράφων· Καὶ Βέδυ λαβὼν, κατὰ χειρῶν καταχέου, καὶ ἐπὶ τὴν ἱεροσκοπίην τρέπου. Ἔμπαλιν δὲ ὁ Κωμικὸς Φιλύδεος (*d*), Ἕλ-

(*d*) *Bochartus* malit legi Φιλιστος. Eius nominis fuere va-

[*] Non unus heic error eſt. Verba *Suidae* loco ſuo nequaquam mota ſunt. Pertinent enim ad v. Γάλλος, ἀπόκοπος, tom. I p. 466, ubi Βαττάκος. Ductum id e *Polybio*, monente, poſt *Valeſium*, etiam *Kuſtero*; cum incertum videatur. *Drakenborchio* ad *Livium* lib. XXXVIII c. 18. Levi mutatione repetiit *Schweighaeuſerus* t. IV p. 223. In Eclogis *Diodori* t. II p. 537 appellatur Βαττάκης. Nomen non additur a *Livio* l. c. Quae autem leguntur lib. LXVIII c. 9, non ſunt *Livii* verba, ſed ex aliis collecta a *Freinshemio*, cui dicitur. *Batabates*. Nec opinor eſſe nomen dignitatis, ſed proprium, quia *Polybius* non eius tantum meminit, verum Ἀττιδος καὶ Βαττάκου τῶν ἐκ Πεσσινοῦντος ἱερέων τῆς μητρὸς τῶν θεῶν,

Βέδυ τὸν ἀέρα, βιόδωρον ὄντα, διὰ τούτων γινώσκει;

Ἕλκειν τὸ Βέδυ σωτήριον προσεύχομαι·
Ὅπερ μέγιςόν ἐςιν ὑγιείας μέρος·
Τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν, οὐ τεθολωμένον.

συνομόλογος τῆς τοιᾶσδε δόξης καὶ ὁ Κυζικηνὸς Νεάνθης, γράφων τοὺς Μακεδόνων ἱερεῖς ἐν ταῖς κατευχαῖς, Βέδυ κατακαλεῖν ἵλεω αὐτοῖς τε καὶ τοῖς τέκνοις· ὅπερ ἑρμηνεύουσιν ἀέρα. Locum hunc, cum sit notatu admodum dignus, dedi integrum, sed sine versione Latina, ne sim iusto longior.

ΒΕΚΟ'Σ vel ΒΕΚΚΟ'Σ, *panis*. Videntur Phryges, sine terminatione Graeca, dixisse Βέκ, quem in modum haec vox exstat in Scholiis ad *Apollonium Rhodium* Lib. IV v. 262 et *Aristophanis* Nubes v. 397. Esse eam originis Phrygiae dubio caret. Non modo testantur *Suidas* in v. Βεκκεσέληνε, ubi scribitur Βέκκος et Βέκκὲ, et *Hesychius*, apud quem Βεκός· ἄρτος. Φρυγες, sed inprimis *Herodotus* Lib. II c. 2, ubi antiquitas linguae Phrygiae prae Aegyptiaca ostenditur. Usurpatam hanc vocem reperio ab Hipponacte apud *Strabonem* Lib. VIII p. 235 [524], e quo loco forsitan conici queat, etiam Cypriis in usu fuisse, nisi simpliciter et generatim pro pane usurpaverit, atque hunc significatum desumserit ex historia, quam *Herodotus* refert. Consule etiam, si tanti vide-

varii Poëtae, sed Tragici. Vid. *Fabricius* in Biblioth. Gr. vol. I p. 686. *Neanthen* Cyzicenum, Rhetorem, discipulum *Philisci* Milesii, memorat *Suidas* Νεάνθης. Rectius fortasse in *Clemente* restituitur nomen *Philyllii*, cuius Comici saepe *Athenaeus* meminit. Conf. *Reinesius* Lib. III Var. Lect. p. 382 et *Casaubonus* ad *Athenaei* Lib. III p. 89 [Cl. *Ruhnkenius* ad *Timaei* Lex. Plat. p. 167].

debitur res, *Tzetzen* Chiliad. IV Hiſt. 2, *Th. Gale* et *Gronovium* ad *Herodoti* I.

ΒΡΙΚΙΣΜΑΤΑ· ὄρχησις Φρυγιακή. *Heſychius.* Sic igitur vocabantur ſaltationes Phrygiae. Sed forte vox iſta efficta fuit de nomine Phrygum, qui ipſi dicebantur Βρίγες et Βρίκες.

ΓΑΛΛΑΡΟΣ· Φρυγιακὸν ὄνομα. παρὰ Λάκωσι. *Heſychius.* Non intelligo, cur Laconum mentio fiat. Quid autem Phrygibus ſignificaverit, non additur. An cum *Bocharto* Γάλλαρος interpretandum de nomine proprio Phrygio, ſed in uſu quoque apud Lacedaemonios? Non eſt coniectura improbabilis.

ΓΑΝΟΣ eſt ſine controverſia vox Graeca, et non una notione a ſcriptoribus antiquis frequentata, tam Poëtis, quam Oratoribus. *Aeſchinem* appellat teſtem *Harpocration* v. Γάνος. Utuntur voce Ariſtophanes et Euripides aliique [*]. Attamen ſcribit *Heſychius*, Γάνος· παράδεισος. χάρμα. φῶς. αὐγή. λευκότης. λαμπηδών. ἡδονή. καὶ ἡ ὕαινα, ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Βιθυνῶν.

ΓΛΟΥΡΟΣ, ſic legendum, non γληρὸς, Phrygibus dictum fuit *aurum.* Teſtatur *Heſychius*, Γλούρεα· χρύσεα. Φρύγες. Γλουρὸς, χρυσός.

ΔΙΤΙΖΗΛΗ. *Tzetzes* Chil. III Hiſt. 115. Eam *Conſingin* appellat *Plinius* Lib. VIII cap. 40.

ΕΚΤΩΡ lingua Phrygum eſt *vir prudens*, ut ſupra monui [p. 56]. ΖΕΛ-

[*] *Ariſtophanes* in Ranis v. 1355, ubi *Ez. Spanhemius* p. 316 citat loca *Euripidis* et *Aeſchyli*, quibus adiungas *Aeſchylum* Perſ. v. 483, Agamemn. v. 518, *Euripidem* Suppl. v. 1156, Bacch. v. 261. Sed quid plura? Ad verba *Heſychii* quod attinet, ſi de re dubia coniecturam facere liceat, exiſtimem, Phrygas et Bithynios voce γάνος uſos eſſe ſignificatione Graecis ignota. Exemplum ſumas de Cypriis, eodem vocabulo ſignificantibus Paradiſum, teſte Auctore Etymologici M. v. Γεγανωμένος. Sed adi Cl. *Wyttenbachium* ad *Plutarchi* Moral. p. 428, 48. C.

ΖΕ΄ΛΚΙΑ, *herbae* iuſculis ſervientes ſive *olera*. *Heſychius*, Ζέλκια· λάχανα. Φρύγες.

ΚΙ΄ΚΛΗ nomen *urſae*, ſideris coeleſtis. *Heſychius*, Κίκλην τὴν ἄρκτον, τὸ ἄστρον. Φρύγες.

ΚΙΜΕΡΟΣ, *mens*, *animus*. *Heſychius*, Κίμερος· νοῦς. Φρύγες. Quis credat, aut eſſe vocem origine Graecam, aut hinc appellatos fuiſſe Cimmerios?

ΚΥΒΗ΄ΚΗ. Voce hac Phrygas uſos fuiſſe de quodam genere *femoralium*, monet *Bochartus*. Reſpicit ad verba *Heſychii*, Κυβήκη· ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. καὶ ἡ Ἀφροδίτη. καὶ ὑποδήματα, παρὰ Ἀρκάσιν. ἢ καὶ Φρυγῶν. παρ' ὃ καὶ Ἱππώναξ φησὶ, καὶ Διόσκουρος. Locus mihi videtur ſuſpectus, et ordo verborum valde turbatus. Διόσκουρος, ſi eſt nomen ſcriptoris vetuſti, quis fuerit, ignoro. Ἱππώναξ memoratur a *Strabone* et aliis. Nomen ipſius pertinere ad prima huius loci verba colligo e Scholiis in *Lycophronem* v. 1170. Verba ὑποδήματα παρὰ Ἀρκάσιν, ἢ καὶ Φρυγῶν ne vix quidem poſſunt connecti. Sed mentio Phrygum ſpectat voces Κυβήκη· ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. Quoniam igitur indicatur *Cybele* ſeu Rhea, pro Κυβήκη legendum autumo Κυβήλη [*], ita nominata de Cybelo, monte Phrygio.

ΜΑ̃, *oves*. *Heſychius*, Μᾶ· πρόβατα. Φρύγες.

ΜΑΖΕΥ΄Σ· ὁ Ζεὺς, παρὰ Φρυξί, *Heſychius*. Similiter a Thracibus et aliis *Ma* praefixum eſt nominibus *Rhea* et *Mars*. Vide *Tzetzen* in *Lycophronem* v. 938 [**].

ΜΑ΄-

[*] Si quid mutandum, malim Κυβήβη. Conparentur praeter eruditos, ab *Albertio* laudatos, *Gudius* et *Burmannus* ad *Phaedrum* III. 20, *Burmannus* ad *Virgilii* III Aen. 111, inprimis *Drakenborchius* ad *Silium Italicum* p. 841. Ita apud *Suidam*, Κυβήβη· ἡ θεῶν μήτηρ.

[**] Plura dedit *Gorius* in praefatione libri Difeza dell' Alfebeto de

ΜΑ'ΝΙΚΑ, *res ſplendidae et admirabiles.* Verba *Plutarchi* [*] de Iſide et Oſir. p. 360 B. haec ſunt, Φρύγες μέχρι νῦν τὰ λαμπρὰ καὶ θαυμαστὰ τῶν ἔργων Μάνικα καλοῦσιν, διὰ τὸ Μάνιν, vel Μάννην, τινὰ τῶν πάλαι βασιλέων, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ δύνατον γενέσθαι, ὃν ἔνιοι Μάσδην καλοῦσιν. Alius originis eſt vox Graeca μανικός in *Ariſtophanis* Pluto [v. 424], apud *Ariſtidem* [t. I p. 2] aliosque.

ΜΥ'ΓΔΩΝ nomen proprium regis *Phrygii.* Ὄτρευς καὶ Μύγδων βασιλεῖς Φρυγίας, *Heſychius.* Eorum meminit *Homerus* Il. Γ. 186, ubi vide Scholia [**].

ΝΗΝΙ'ΑΤΟΝ, *cantilenae* genus. *Pollux* Lib. IV cap. 10 [ſegm. 79], Τὸ δὲ νηνίατον, ἔξι μὲν Φρύγιον, Ἱππώναξ δ' αὐτοῦ μνημονεύει. Non multum differt

ΝΙΝΗ'ΑΤΟΣ, de quo *Heſychius*, Νινήατος· νόμος παιδαριώδης, καὶ Φρύγιον μέλος. Fortaſſe ea vox loco alieno poſita fuit et mutanda in Νηνίατος, ut legit *Scaliger* Coniect. in *Varronem* p. 142, ſed mirum accidit, qui potuerit vir maximus νόμος παιδ. vertere *lex puerilis*, cum minime ignoraret, νόμον ſaepius ſignificare *cantilenam.* Vide *H. Stephani* Theſ. L. Gr. Tom. II p. 1022 et 1023. Nunc ipſe improbo meam coniecturam de voce νόμος mutanda in λόγος.

ΝΩ'ΡΙΚΟΣ, *uter.* Teſtatur *Euſtathius* in *Dionyſium*

degli antichi Toſcani p. XCII—XCIV. Originem nominis *Maza* ſive *Mazaca*, quae eſt urbs ſub monte Argaeo, de qua *Strabo* lib. XII p. 811 et *Plinius* lib. VI c. 3, ex hac Iovis appellatione ductam vult *Paſſerius* in Theſ. gemmarum aſtriferarum tom. II p. 58. In Cod. Med. *Strabonis* pro Μάζακα ſcriptum Μάξακα.

[*] Ad hunc locum Cl. *Wyttenbachius* plura notavit.

[*] De Mygdonis monumento in finibus Phrygiae, et de Phrygibus a poëtis dictis Mygdonibus, *Pauſanias* in Phocicis cap. 27. Apud poëtas Latinos nihil frequentius.

sium pag. 53 [ad v. 321], ὅτι Νώρικον οἱ Φρύγες τὸν ἀσκὸν καλοῦσι τῇ σφετέρᾳ διαλέκτῳ.

ΞΕΝΩ̃ΝΕΣ a Phrygibus vocabantur οἱ ἀνδρῶνες, docente *Hesychio*. Erant autem ἀνδρῶνες loca domus satis ampla, numerosis virorum conviviis apta. Vid. *Suidas* in v. Ἀνδρῶνα, ubi citantur verba ex *Aristophanis* Ecclesiaz. p. 744 [v. 672], et in v. Ἀνδρωνῖτις, *Pollux* Lib. I cap. 8 [segm. 79]: utraque voce usos fuisse *Xenophontem*, *Athenaeum* et *Plutarchum*, docet *H. Stephanus* Tom. I Thes. Gr. p. 440, 441.

ʼΟΥΑΝΟΥ̃Ν, *vulpes*. *Stephanus Byz.* in v. Ἀζάνοί vocabulum Phrygibus attribuit, testaturque, Euphorbum daemonibus sacrificasse τὸν Οὐανοῦν, ὅ ἐςιν ἀλώπηξ, καὶ Ἔξιν, ὅ ἐςιν ἐχῖνος. Convenit cum Aegyptiaco ⲟⲩⲱⲛϣ [*] Matth. VII. 15, Ioh. X. 12.

ΟΥ̃ΡΙΟΣ cognomen *Iovis*. Diserte ait *Cicero* significare *Imperatorem*, sed vocem refert ad Graecos. Scribit Lib. IV in Verrem c. 57: *Quid? ex aede Iovis religiosissimum simulacrum Iovis Imperatoris, quem Graeci* Urion *nominant, pulcherrime factum, nonne abstulisti?* Non certe ex Graecorum lingua de-

[*] Sed ⲟⲩⲱⲛϣ significat *lupum*, at vero *vulpes* dicitur ⲃⲁϣⲟⲣ Matth. VIII. 20, Luc. IX. 58 et XIII. 32, etiam in versione Sahidica. Aut memoria hic fefellit eximium *Iablonskium*, aut flagrans cupiditas promovendi studii literarum Aegyptiacarum, de qua saepius dictum ad Glossarium vocum Aegyptiarum, et quam in eo minus laudarunt *Michaëlis* aliique, ac nuper admodum Clar. *Steph. Quatremère* in accurata Disputatione Critica et Historica de Lingua et Literatura Aegyptiaca, Parisiis a. 1808 edita, p. 88, quo munere me ab eruditissimo viro donatum, dum haec scribo, et gratus agnosco et laetor, inprimis ob honorificam *Iablonskii* mentionem.

deductum eſt, ſed ex Barbarica, ſive Thracica, ſive Phrygiaca. Firmare hoc potuiſſet *Oſtrocokſii* ſententiam, quam proponit Tom. 1 Orig. Hungaric. p. 294 et 413. Hinc forte Γαζιοῦρα ſive Γαζίουρα παλαιὸν βασιλεῖον Amazonum, apud *Strabonem* Lib. XII p. 378 [823, 824]. Quidquid de his iudicetur, probare nequeo etymologiam nominis Οὔριος, quod alii ducunt a Graeca voce οὖρος, alii ab ὅρος, ut indicetur numen, quod navigantibus ventum ſecundum largitur, vel quod praeeſt terminis regionum et urbium. Quoniam vero *Cicero* l. c. et cap. ſeq. religioſiſſimum hoc et pulcherrime factum ſimulacrum Iovis eiusque aedem ad introitum Ponti tantopere celebrat, mirum valde eſt, utriusque mentionem apud veteres rariſſime fieri, niſi forte nominis origo Barbara ſive Phrygia in cauſſa fuerit [*].

ΠΑΠΑΣ, nomen *Iovis* Phrygiacum. Auctor eius rei nobis eſt *Diodorus Sic.* Lib. III p. 192 edit. Wechel. *Arrianus* in Bithynicis tribuit Bithyniis, teſte *Euſtathio* in *Homeri* Iliadem p. 565, ὅτι ἀνίοντες εἰς τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν Βιθυνοὶ ἐκάλουν Πάπαν τὸν Δία· — ὁμοίως καὶ Ἡροδότου τὸ, καλεῖται Ζεὺς ὑπὸ Σκυθῶν ὀρθότατα Παπαῖος· ἐξ ὧν συνάγεται θείαν εἶναί τινα λέ-

[*] Ne quid dicam de reliquis *Iablonskii* obſervationibus, tantum animadverti velim, templum hoc ſaepius celebrari, et κατ' ἐξοχὴν dici τὸ ἱερὸν a *Demoſthene*, *Polybio*, etiam ab *Herodoto* IV. 85, ad q. l. *Weſſel.* et *Valcken.* notarunt. Διὸς Οὐρίου memoriam ſervarunt *Marcianus* et *Arrianus* in Periplo, ſed et marmor antiquiſſimum, editum a *Reineſio*, *Sponio*, *Whelero*, *Chishullo* in Antiquit. Aſiat. p. 59, *Donio*, *Bonada* in Antholog. Inſcript. Poëtic. vol. I p. 73, 74, *Donato* in Supplem. ad Theſ. Murator. p. 4, ſed accuratius a *Io. Taylor* in praefat. ante Commentarium ad L. Decemviralem de inope debitore in partes diſſecando p. V, ubi etiam de templo Iovis Urii, et p. 23—28, quo poſtremo in loco, niſi me mea fallat opinio, ſagacitas *Bentleii* Critica ſplendeſcit.

λέξιν τὸ Πάπας καὶ Πάππος καὶ τὰ τοιαῦτα [*].

ΠΙΚΕΡΙΟΝ τὸ βούτυρον. Thoas Ithaceſius apud *Erotianum* in Πικερίῳ.

RISCUS. Videntur hoc vocabulum Latini accepiſſe á Graecis, hi autem a Phrygibus. Ad verba *Terentii* in Eunucho Act. IV. Sc. VI. v. 16, *ubi ſita eſt. In riſco*, *Donatus* commentatur: *In riſco. Ciſta pelle contecta: nomen Phrygium.* Vide et Theſaurum *Cellarii* hac voce. Videtur habere affinitatem cum Νώριχος, de quo in antecedentibus [**].

ΣΑΒΑΖΙΟΣ, *Bacchus*, apud Phryges. *Heſychius*, Σαβάζιος· ἐπώνυμον Διονύσου· οἱ δὲ υἱὸν Διονύσου· καὶ Σαβὸν ἐνίοτε καλοῦσιν αὐτόν. Φρὺξ δὲ ὁ Σαβάζιος. Confer *Stephanum Byzant.* v. Σάβοι, ibi *Salmaſium* [et *Holſtenium*], Scholia *Ulpiani* in *Demoſthenem* p. 183 ed. Paris. Plura dixi in Diſſertatione de Remphah p. 84 [t. II Opuſc. p. 67, 68], et in notis MSS. ad eamdem.

ΣΑ-

---

[*] Legendus *Weſſelingius* ad *Diodorum* t. I p. 227, idemque et *Valckenarius* ad *Herodotum* IV. 59. Huc pertinet lapis literatus in *Sc. Maffeii* Muſeo Veron. p. CCXXXVII, I. O. M. PATERNO. Repetiit *Muratorius* t. II Novi Theſ. Inſcr. p. DCCXCIII. 2, ſed pro PATERNO aut ſcriptum, aut ſcribendum fuiſſe AETERNO, infeliciter coniecit. Exemplo meo Muratoriano eruditus *I. A. Hultman*, antiquitatis Epigraphicae admodum intelligens, hanc animadverſionem MS. allevit: *Cur? rogo; nonne* Iupiter, *qui communi Grammaticorum conſenſu quaſi* Iuvans Pater *dicitur*, Paternus *potuit dici ob curam, quam gerere creditur humani generis?* Et apud Graecos εſt Ζεὺς πατρῷος. Vid. *Albertius* ad *Heſychium* t. II p. 894.

[**] In Gloſſario veteri: *Riſcus*, Κιβωτὸς μεγάλη, p. 187 ed. H. Steph., item Vulcanii, apud quem in alio Gloſſario p. 526, Λάρναξ, *Arca*, *Riſcus*. Comparetur inprimis *Hemſterhuſius* ad *Pollucem* X. 137, cuius haec verba adſcribam: *a Graecis ad Romanos, non a Phrygibus deveniſſe ſatis conſtat: Graeci unde acceperint; non facile dixero; nollem tamen a Phrygibus accepiſſe negare.* Negavit autem *Scheidius*, originem vocis ῥῖγος repetens a ῥίω, ῥίζω.

ΣΑΓΑ'ΡΙΟΣ vocatur ποταμὸς Λυδίας καὶ Φρυγίας ab *Heſychio*, dictus ab aliis Σαγγάριος, Σάγγαρος, Σάγαρις, Σαγγάρις. Nomen occurrit perfrequenter apud veteres Geographos, Hiſtoricos, Poëtas, etiam Latinos.

SMINTHOS *mures* vocari a Phrygibus annotavit *Servius* ad *Virgilium* Lib. III Aeneid. v. 108, Cretenſes vero *murem* dicere *Sminthicem*, ubi quoque de origine Apollinis *Sminthei*. Conf. *Euſtathius* in Il. A. p 34 ed. Rom. [*].

ΣΥ'ΓΧΟΙ ſunt ὑποδήματα Φρύγια, teſte *Heſychio*. Non certe vocabulum eſt origine Graecum, neque quod praecedit ibidem Συκχάδες [**]. A Σύκχος non multum differt, Latinorum *ſoccus* et *ſocculus*. Conf. *Salmaſius* ad *Tertullianum* de Pallio p. 383.

TIARA. Ad *Virgilii* verba Lib. VII Aen. v. 247 *Servius* ſcribit: (Tiaram) *Pileum Phrygium dicit*, laudatque *Iuvenalis* verba VI. 516, *Et Phrygia veſtitur bucca tiara*, ubi Scholiaſtes: *Tiara pileus eſt, quo Phryges utuntur, cum celebrant ſacra.* Vocem Τιάρα Graecos accepiſſe a Phrygibus, et a Graecis Romanos autumo, quamvis non neſciam, viros ſummos eius originem quaerere in lingua Perſica. Vid. *Voſſius* in Etymol. L. L. v. *Tiaras*, *Briſſonius* de Regno Perſ. Lib. I §. 46 ac ſeqq., *Relandus* Part. II Diſſert. Miſc. p. 252, 253. Tantum adiungatur, *Cy-*

[*] Haec ſcribens, non ſibi in memoriam revocaſſe videtur *Iablonskius*, nec etiam *Bochartus*, quae habet *Heſychius*, Σμίνθα· ὁ κατοικίδιος μῦς, et, Σμίνθος· μῦς. καὶ ὁ Ἀπέλλων δὲ Σμινθεὺς, διὰ τὸ ἐπὶ μυωπίας φασὶ βεβηκέναι. Legantur ibi *Albertius* et alii, *Villoiſonus* ad *Apollonii* Lex. Hom. p. 607. A *Strabone* lib. XIII p. 912 *mures* dicti leguntur Σμίνθιοι, ſed Σμίνθοι eſt in *Lycophrone* v. 1306.

[**] Aliter viſum eſt *Pollucī* l. VII ſegm. 86, quem vide et notas eruditorum.

Cyrillo in Lexico MS., monente Celeberr. *la Croze*, Τιάραν dici Φρύγιον πελίον βαρβαρικόν [*].

Satis de lingua Phrygia dictum. Antequam vero pedem promoveam, unum eſt, quod annotare operae

---

[*] Quae mihi inter legendum pauca alia occucurrerunt vocabula, aut vere aut falſo *Phrygiaca* dicta, ea hic addam.

AGDUS. *In Phrygiae finibus*, ait *Arnobius* lib. v p. 158, *inauditae per omnia vaſtitatis petra eſt quaedam, cui nomen eſt* Agdus, *regionis eius ab indigenis ſic vocatae.*

'ΑΚΡΙΣΙ'ΑΣ· Κρόνος, παρὰ Φρυξίν, *Heſychius.*

'ΑΡΜΑ'Ν σημαίνει τὸν πόλεμον τῇ τῶν Φρύγων διαλέκτῳ, ὡς φησὶ Παλαμήδης ἱστορικὸς ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών· Μιθόδιος. ἢ τὸν ἱπποδόρον, ὃν ᾄδουσι Φρύγες ἐποχούμενοι ἵπποις. Ita auctor Etymol. M. v 'Αρμάτειον. Quid ſignificet ἱππόδορος, dicant *Heſychius* et interpretes h. v.

ATTAGUS, *hircus.* Scribit *Arnobius* lib. v p. 159: *Hircos Phryges ſuis Attagos elocutionibus nuncupant.*

ΓΕ'ΛΑΡΟΣ· ἀδελφοῦ γυνὴ, Φρυγιστί. *Heſychius*, ibi notae.

ΔΡΟΥ'ΓΓΟΣ, *naſus, roſtrum.* Videtur *Epiphanius* t. I Op. p. 416 originem vocis quaerere in Phrygia; ſed *Timotheus* Presbyter, in *Cotelerii* Monnmentis Eccleſ. Gr. t. III p. 378, in Galatia.

ΖΕ'ΜΕΛΕΝ· βάρβαρον ἀνδράποδον. Φρύγες. *Heſychius.*

ΖΕΥΜΑΝΤΗ'Ν· πηγήν. Φρύγες. *Heſychius* c. n. *Alberti.* Conf. *Heringa* in Obſ. Crit. p. 217.

ΛΙΤΥΕ'ΡΣΑΣ, cantilenae genus Phrygiacum. *Pollux* lib. IV ſegm. 54, Λιτυέρσας (ᾆσμα) Φρυγῶν. Confulantur ad iſtum locum *Seberus* et *Iungermannus*, *Albertius* ad *Heſychium* t. I p. 489.

'ΟΡΟΥ, *ſupra.* *Achilles Tatius* in *Arati* Phaenomena p. 129 (ed. Petavii in Uranologio), τὸ δὲ ὄρυ τὸ ἄνω δηλοῦν Φρυγῶν ἴδιον, ὡς Νεοπτόλεμος ἐν ταῖς Φρυγίαις φωναῖς. Gloſſae Neoptolemi, quarum etiam *Athaenaeus* meminit lib. XI p. 265 ed. novae, ſi adhuc ſupereſſent, plura nobis et certiora de lingua Phrygia innoteſcerent, cum a *Strabone* lib. XIII p. 822 dicatur ὁ γλωσσογράφος, talis nempe κατ' ἐξοχήν, monente *Caſaubono*, et μνήμης ἄξιος.

ΣΟΥ'ΣΑ. In Lexico Regio, quod citat *Albertius* ad *Heſychium* t. II p. 1238, Σοῦσα· τὰ λείρια, παρὰ Φοίνιξι, καὶ τὰ κρίνα, κατὰ Φρύγας.

ΤΑ'ΣΚΟΣ, πάσσαλος, *paxillus.* Vide *Epiphanium* ac *Timotheum*, ſupra laudatos v. Δροῦγγος.

rae pretium exiſtimavi, linguam Phrygiam in his oris fuiſſe veluti praecipuam, ex qua in alias multa defluxerint. Nam lingua Lydia et Carica multa cum Phrygia habuit communia, quod etiam *Bochartus* obſervavit. Ipſi quoque *Armenii* multa ex Phrygum lingua habuerunt, quod ab *Eudoxo* didici, cuius verba *Euſtathius* conſervavit in *Dionyſium Per.* pag. 106 [ad v. 694], Ἀρμένιοι τὸ γένος ἐκ Φρυγίας, καὶ τῇ φωνῇ πολλὰ Φρυγίζουσι, *Armenii a Phrygibus genus ducunt, et lingua ſua etiam vehementer ad Phrygiam linguam accedunt.* Eadem habet *Stephanus Byz.* v. Ἀρμενία. Nempe ſi *Herodoto* credimus, Lib. VII c. 73, Armenii fuere Phrygum ἄποικοι, quod intelligi poteſt de colonia Phrygum in Armeniam miſſa. Quae ideo potiſſimum adduxi, ut tanto magis conſtaret, linguam Phrygiam a Graeca eſſe maxime alienam. Nam Armeniorum lingua, uti ex nominibus regionum, urbium et virorum perſpicitur, tantum a Graeca diſtulit, quantum hodie forſitan a Sarmatarum dialecto differt Germanica.

§ 9. *De lingua Lydorum.*

Lingua Lydia, etſi in multis rebus cum Phrygia conſpiraverit, ab ea tamen fuit diverſa. Atque hoc vel exinde recte colligi poteſt, quod linguae Lydiae tamquam peculiaris ſaepe mentio fiat: ſed et *Strabo* Lib. XII p. 393 [857] diſerte eam a Phrygia diſcernit, ubi ſcribit, linguam Myſorum ex Phrygia et Lydia eſſe commixtam. Graecam non fuiſſe, ut alii volunt, ſatis declarant nomina Lydia, quorum mentionem fieri videmus; cuius generis ſunt Meon, Manes, Cotys, Atys, Adyes, Alyattes, Lydus, Cambletes, Jardanus, Adramytis, Meles, Myrſus, Candaules, Daſcylus, Gyges, Celmis, Bacelas (*a*),

las (*e*), Croesus et alia, quibus tamen recensendis facile supersedere possum, cum hactenus nemo, quod sciam, singularibus argumentis originem eorum Lydiam impugnaverit. Accedit, Lydos accenseri Barbaris. Vitio versum est Messeniis, Croesi donis acceptis, primos e Graecis amicitiam cum Barbaris iniisse, ut testatur *Pausanias* in Messenicis p. 115 [299]. Hinc *Tzetzes* in *Lycophronem* scribit p. 29, Βάρβαροι δὲ οἵ τε Λυδοὶ καὶ οἱ Παφλάγονες. Adde *Plutarchum* in Consolat. ad Apollon. p. 196 [†]. Differe-

(*e*) Dascylus pater Gygis est notissimus, distinguendus ab altero Dascylo, Tantali filio, cuius meminerunt *Apollodorus* Lib. II p. 111, et Scholiastes *Apollonii Rhodii* Lib. II v. 726 [item v. 754]. Ille etiam et filius memorantur in Epigrammate *Alcmanis*, quod exstat in Anthologia MS., et a *Xylandro*, *Salmasio*, *Holstenio* aliisque iam vulgatum [*] est,

Καὶ Μούσας ἔδαην Ἑλληνίδας, αἵ με τυράννων
Θῆκαν Δασκύλεω κρείσσονα καὶ Γύγεω.

In eodem epigrammate commemorantur Κέλμις, de quo in Exercitationibus meis MSS. in *Eratosthenis* catalogum Regum Thebaeorum in Aegypto [**], et Βάκελας, quae tamquam nomina Lydia proferuntur. Βάκηλος exstat apud Lu-

[*] Pars epigrammatis servata est a *Plutarcho* de Exilio. vol. III p. 287 ed. Oxon.

[**] Editae sunt a *Vignolio* tom. II Chronologiae, sed nihil ibi de Κέλμις.

[†] Quo in loco non tantum Lydi, ut Aegyptii, Syri aliique horum similes, opponuntur Graecis, verum etiam Barbaris aliis, Celtis, Gallis, ceteris, qui sunt generoso pleni spiritu, vol. I p. 312 ed. Oxon. in 4. Gyges dicitur πρῶτος βαρβάρων, qui Delphis dona dedicavit, in *Herodoti* lib. I c. 14.

ferentia Pelasgorum, qui pro Graecis habentur, et Lydorum, ratione cultus divini, morum et ſtudiorum, ἐπιτηδευμάτων, adſtrui poſſit e *Dionyſio Halic.* p. 23, qui brevi ante ex Xantho Lydio refert duos fuiſſe Lydiae populos, a totidem Principibus denominatos, Lydos nimirum et Torebos, quorum dialectus etiam in nonnullis diſtulerit, quemadmodum apud Graecos Ionica dialectus a Dorica.

Nunc iam voces quasdam Lydias videamus, hinc inde ex vetuſtis ſcriptoribus conquiſitas.

'ΑΒΑΚΑΗΣ et ΚΑΒΑΡΝΟΣ videntur fuiſſe nomina ſacerdotum Lydorum in Antimachi poëmate, quod Lyden nuncupavit, Καβάρνους θῆκεν Ἀβακλέας ὀργεῶνας, apud *Suidam*, quem vide in v. Ὀργεῶνες, et *Stanleium* ad Fragmenta *Aeſchyli* p. 858, ſed qui, praeeunte *H. Stephano*, legi malebat Ἀγακλέας. Tutum ſanequam non eſt, omnia ſine fide codicum, quae non intelligimus, in ſcriptoribus antiquis velle mutare. Apud *Heſychium* Καβάρνοι dicuntur ſacerdotes Cereris. Conf. *Valeſius* ad *Harpocrationem* p. 126 et *van Dale* de Marmor. p. 629, et 736.

'ΑΓΝΕΩΝΑ Lydi appellabant *fornicem* (*f*), teſte *Athenaeo* Lib. XII p. 515, ubi *Caſaubonus* in notis lectionem hanc contra alios tuetur. Vocem eſſe Graecae

Lucianum Pſeudol. p. 450 ed. Baſil. Vide quoque *Heſychium* v. Βάκηλος et Paroemiographos [*].

(*f*) *Fornix* ſignificat hic cellam cameratam, in qua meretrices proſtabant, quo ſenſu vox adhibetur a Poëtis non tantum, ſed etiam a *Suetonio* in Caeſare cap. 49.

[*] Nihil huc faciunt aut locus *Heſychii*, aut verba *Luciani* t. II p. 356, t. III. 175. Comparentur docti homines ad *Thomam M.* p. 138, 139.

cae originis opinatur *Euſtathius* in *Homeri* Il. Π. p. 2108.

'ΑΔΡΑΜΩΝ· ὁ Ἕρμων, παρὰ Λυδοῖς. Sic *Heſychius*; ſed *Stephanus Byz.* v. Ἀδραμύττειον, τὸν Ἕρμωνα Λυδοὶ Ἄδραμυν καλοῦσι Φρυγιστί. Hermon fuit rex Lydiae, quem lingua Phrygia ipſi Lydi appellarunt *Adramyn*. Etiam *Adramytin* Lydiae regem commemorat *Athenaeus* Lib. XII [p. 415 ed. nov. ubi Ἀδραμύτην. Conf. ad h. l. not. et ad *Heſychium* ac *Stephanum*].

'ΑΙΜΩΝΙΑ. *Athenaeus* Lib. III p. 76 [298. 299] ſcribit, Τῶν δ' ἐν Πάρῳ τῇ νήσῳ, διάφορα γὰρ κἀνταῦθα γίνεται σῦκα, τὰ καλούμενα παρὰ τοῖς Πάριοις αἱμώνια, ταὐτὰ ὄντα τοῖς Λυδιοῖς καλουμένοις. Similia habet *Euſtathius* ad Odyſſ. Ω. p. 838 in fine [*].

"ΑΚΥΛΟΝ· τὸ αἰδοῖον, Λυδοί. *Heſychius*. Minus recte illic ſcribi Ἄκυλλον, docent Auctor Etymologici M., *Suidas* et ipſe *Heſychius* in voce proxime ſequenti, Ἄκυλον· τὸ τῆς πρίνου καρπὸς, βάλανος, ubi reſpicitur ad *Homeri* Odyſſ. K. 242. Eſt quidem ipſum vocabulum Graecum, ſed iſta ſignificatione Lydis proprium.

"ΑΜΑΣΑΗΣ. *Hephaeſtion* de Metris p. 5, ὡς ἐν τῷ Ἀμασλης — ὡς ἐν τῷ Πάσνης καὶ Ἄσνης· ἃ δὴ ὀνόματα παρὰ Ξάνθῳ ἐστὶν ἐν τοῖς Λυδιακοῖς. Utinam *Xanthi*, hiſtorici Lydi, ſuperesſent Lydiaca, quorum etiam *Athenaeus* Lib. XII p. 515, *Stephanus Byz.* v. Λυδία, et alii meminerunt. Conf. *Voſſius* de

[*] Loquitur *Athenaeus* de ficorum genere in Paro inſula, hoc nomine αἱμώνια dictarum a rubro ſanguinis colore, nec diverſarum a ficis Lydiis. Quis autem dubitet de Graeca vocis origine? Quod pariter dictum velim de nonnullis aliis, quas ad linguam Lydiam, Caricam atque ceteras referri infra videbis.

le Hiſtoricis Graecis Lib. I c. 2, L. IV c. 5.

ΑΡΑΚΟΣ, *accipiter*. Apud *Heſychium* legitur, Ἄρακος· ἱέραξ, Τυρρηνοί· Graecis haec avis, paucis immutatis, dicitur ἱέραξ. Quo autem modo vox Tyrrhenorum huc pertineat, infra dicturus ſum.

ΑΡΙΜΑ, *montes*. Scholiaſtes vetus in *Heſiodi* Theogoniam p. cxxxv. b. edit. Venet. Trincavelli, ἐφυλάττετο ἐν τοῖς ὄρεσιν. ἄριμα μὲν ὄρη ἐν Κιλικίᾳ; ita legendum, κατὰ δ' ἄλλους ἐν Λυδίᾳ. Vide et *Didymi* Scholia in *Homeri* Il. B. verſ. 783, ſed adi quoque *Graevii* Lectiones Heſiodeas cap. XXXIV p. 120. Hebraice הָרִים dicuntur *montes* et loca montana; et אָרִים etiam ſignificat *altum*, obſervante *Ioh. Chriſt. Clodio* in Lexico ſelecto p. 41.

ΑΡΦΥΤΑΙΝΟΝ. *Diſcum*, ſi fides *Heſychio*, Lydi dixerunt. Sic enim ille, Ἀρφύταινον· ὁ δίσκος, ὑπὸ Λυδῶν.

ΑΣΚΡΑΙΟΣ, cognomen *Iovis* apud Lydos. *Plutarchus* de Paſſionibus animi et corporis p. 891 ed. Steph., οὐκ Ἀσκραίῳ Διὶ Λυδίων καρπῶν ἀπαρχὰς φέροντες [*]. Vide quae notantur a me ad Exercit. de Deo Remphah ad p. 91 [t. II Opuſcul. p. 70].

ΑΣΤΡΑΛΑΝ· Τὸν Θράκα, Λυδίοι. *Heſychius*. Thracem hoc nomine a Lydis nuncupatum narrat ille, cauſſam vero tacet, quae probabili ratione poteſt intelligi e Scholiis ad *Ariſtophanis* Ranas v. 690, ubi, τοῦτον κωμῳδεῖ ὡς ξένον, καὶ φλύαρον, καὶ δυσγενῆ· Θράκα γὰρ αὐτὸν ἔλεγεν.

BA-

[*] Si quid iudico, in loco *Plutarchi* t. III p. 15. ed. Oxon. ex Λυδίων non connectenda cum Ἀσκραίῳ Διὶ, ſed cum voce ſequenti καρπῶν. Colebatur Iupiter Aſcraeus in Boeotia, ſic dictus de Aſcra, loco ad dexteram Heliconis montis partem. Heſiodum Aſcraeum ignorat nemo, niſi barbarus.

ΒΑΘΥΜΗΔΑΙ· *γένος ἐπὶ Λυδίᾳ. Hesychius*, sed apud quem vox quaedam intercidisse videtur; nisi sit nomen alicuius gentis sive familiae in Lydia quondam florentis.

ΒΑΚΚΑΡΙΣ, *unguentum* Lydium, quod a multis celebratur. *Hesychius* ait, Βάκκαρις· *μύρον· ποιὸν —, ἄλλοι δὲ, μύρον Λύδιον* Meminit eiusdem *Pollux* Lib. VI c. 19 [segm. 104], Scholiastes *Aeschyli* VII c. Thebas p. 127 ed. Stephani. Dicitur alibi Βακκάρις, Βακκάριον, Βάκχαρις. Postremum debet restitui *Luciano* in Lexiphane c. 8, ubi male Καικχαρίδι [*].

ΒΑΣΙΛΕΑ. Verba auctoris antiqui, apud *Dalechampium* in *Plinii* Lib. II cap. 95, Ἐν Λυδίᾳ δέ ἐστιν λίμνη Καλαμίνη καλουμένη. ἱερὰ δὲ οὖσα Νυμφῶν, ἣ φέρει καλάμων πλῆθος, καὶ μέσον αὐτῶν ἕνα, ὃν Βασιλέα προσαγορεύουσιν οἱ ἐπιχώριοι, an huc pertineant, non autim affirmare.

ΒΑΣΣΑΡΙΣ, genus vestimenti apud Lydos. Scholiastes *Horatii* in Lib. I Carm. XVIII: *Bassaris est genus vestis, ad pedes usque* (*f*) *demissae, dictae a Bas-*

(*f*) Tunicas ad pedes usque demissas opus esse Lydorum existimant nonnulli. *Lucilius* Satyr. Lib. I apud *Nonium* in v. *Tunica* p. 536,

Praetextae ac Tunicae Lydorum opus sordidum omne,

ubi *Scaliger* in notis MSS. propter versum legit *sordidulum*, ut est *toga sordidula* apud *Iuvenalem* Sat. III. 149. *Tertullianus* de Pallio c 1, *Proh! quantum circummcavit* (*tunica*) *a Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos.* Ad quem locum illustrandum apposite *Servius* in II Aeneid. 781, *Apud Tuscos etiam togae usus est, nam hoc habitu in Lydia Iovis simulacrum fuisse dicitur.*

[*] Vti factum in ed. optima t. II p. 333. V. not. ad *Hesychium*, ubi plura.

Baſſara loco Lydiae, ubi ſit. Et ſic etiam *Pollux* p. 339 [lib. VII ſegm. 59, ibi not.], Λυδῶν δὲ Βασσάρα χιτών τις, Διονυσιακὸς, ποδήρης Quam ob cauſſam Clar. *Salmaſius* pro Λυδῶν maluerit Λῆδον, prorſus ſe ignorare, monuit *La Crozius* in literis ad me datis, cum oſtendi nequeat, eſſe Λῆδον veſtimentum Bacchantium. Alii Thracibus tribuunt et Bacchis Thracicis. Hinc *Heſychius*, Βασσάραι· χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι [*]. Potuit Lydis et Thracibus commune hoc fuiſſe veſtimentum, atque ex pellibus vulpinis confectum fuiſſe. Graeci ἀλωπεκέας iſtas veſtes dicerent. Eiusmodi galeas habuiſſe Thraces, *Herodotus* narrat Lib. VII cap. 75, Θρῆικες ἐπὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι ἀλωπεκέας ἔχοντες, *Thraces vero, qui e pelle vulpina caſſides geſtabant.* *Baſſares* autem ſunt *vulpes.* *Tzetzes* in *Lycophronem* p. 109 [ad v. 771] ait, Βασσάραν eſſe εἶδος ἀλώπεκος, genus quoddam vulpis. Apud *Heſychium* Βασσαρὶς, ἀλώπηξ Suidas vero ſcribit, Βάσσαρος, ἀλώπηξ κατὰ Ἡρόδοτον. Forte eumdem *Herodoti* locum ſupra laudatum intelligit, ubi nomen Βασσάρου potuit iniuria temporis excidere. Non autem haec vox eſt Graeca, ſed Thracica, et fortaſſe etiam Lydia. Prius docet Scholiaſtes *Perſii* in Sat. I v. 101, qui mire totam noſtram rem illuſtrat. *Quidam*, ait, *a vulpibus, qua-*

[*] In Lexico Rhetorico MS. his ipſis verbis adduntur, καλοῦμενοι οὕτως ἀπὸ τοῦ Βασσαρέως Διονύσου· ἦσαν δὲ ποικίλοι καὶ ποδήρεις Citavit *Ruhnkenius* V. Cl in Auctario Emendat. ad tom. I *Heſychii* p. 702. — Loco *Herodoteo* ſimillimus eſt *Xenophontis* K. A. l. VII c. 4, οἱ Θρᾷκες τὰς ἀλωπεκίδας ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φοροῦσι καὶ τοῖς ὠσί. Ἀλωπεκία, ἡ περικεφαλαία, *Suidas* v. Ἀλωπεκῆδες. Vocem Βάσσαρος ex *Herodoto* etiam Etymologus M. attulit v. Βασσάρα. Conf. *H. Stephanus* Ind Theſ. p. 617, 618, et *Voſſius* in Etymol v *Baſſarides.* Coniectura autem de iſta voce *Herodoto* l. c. reddenda, invitis Coddmnibus, mihi minus probatur.

quarum pellibus Bachae ſuccingebantur. Vulpes Thraces Baſſares dicunt. Iſtiusmodi autem veſtimenta Hunnis, Scythis, Parthis, Thracibus aliisque gentibus fuiſſe uſitata, viri docti iam pridem obſervarunt (*g*).

ΒΑΤΤΥΡΡΗΓΑΛΗ *Milvus* lingua Lydorum dicebatur, auctore *Heſychio*, apud quem Βατυρρηγάλη. [Βαθυρρηγάλη] ἰκτῖνος, ὑπὸ Λυδῶν.

ΗΕLVACEA, genus ornamenti Lydii, dictum a colore boum, qui eſt inter rufum et album, appellaturque Heluus. Ita *Feſti* Abbreviator, *Paulus Diaconus*.

"ΙΒΡΙ fuit etiam vox Lydia, ſed dubiae ſignificationis. Sunt enim, qui velint, idem hanc vocem apud Lydos ſignificaſſe, quod apud Latinos *clamare*. Alii *multum* interpretantur. Ita monuit *Heſychius* v. "Ιβρι. Similiter Aegyptiacum ϣϣ duplici eadem gaudet notione, quod pro *multum* ponitur Pſ. xvii 16 et alibi, pro *clamare* Pſ. iii. 4 aliisque in locis. An vero lectio "Ιβρι recte ſe habeat, dubitare nos iubent, quae apud *Heſychium* ſequuntur in vocibus Ἰβύει, Ἰβυκινῆσαι et Ἰβυκινήσαντες. Quod autem is ſupra in v. Βρί ſcripſerat, non admodum huc facit.

ΙΜΒΡΟΥΣ· Βοῦς. Λυδοί. *Heſychius* [*].

KAN-

(*g*) Vide *Salmaſii* Epiſtolam ad *If. Voſſium*, quam hic exhibet in notis ad *Iuſtini* Lib. II c. 2. De Arcadibus montanis teſtatur *Pauſanias* Meſſen. p. 121 [306], et de daemone quodam idem in Eliac. II. p. 184 [460], λύκου δὲ ἀμπίσχετο δέρμα ἐσθῆτα. De Amazonibus *Strabo* Lib. XI p. 347 [769]. Iunge *Apollonium Rhodium* Lib. II v. 120.

[*] In editionibus Schreveliana antiquioribus, item in Albertina, Ἰμβούς legitur.

ΚΑΝΔΑΥ'ΛΗΣ nomen proprium regis Lydorum, cuius historiam narrat *Herodotus* Lib. 1 c. 7 et sequentibus. Tantum de origine nominis iam differendum. Τὸ δὲ Κανδαύλης τὸν σκυλοπνίκτην λέγει: ut scribit *Tzetzes* Chil. VI. Hist. 54. Interpres vertit *pelle praefocatum*, quasi esset σκυλοπνίκτου, quam quidem veram esse explicationem non puto. Quid enim regi Candauli istiusmodi nomen indere potuerat? At forsitan dicas, a Gyge ille suffocatus est cingulo laneo. Quod si vel verum esset, et non repugnaret *Herodoto*, probandum tamen foret, hoc ei nomen post mortem demum fuisse impositum. Erat *Candaules* nomen Divinitatis, quod rex ille sibi ipse assumserat. Cuiuscemodi exempla apud Aegyptios, Graecos aliosque populos veteres non deficiunt, ut in Glossario Aegyptiaco et in Annotationibus ad Eratosthenis Catalogum saepius a me observatum fuit. Scribit autem *Hesychius*, Κανδαύλας· Ἑρμῆς ἢ Ἡρακλῆς, quod de Lydis esse accipiendum, vix est, qui dubitare possit. Suspicor apud *Tzetzen* legendum esse σκυλοκλέπτης, *spolia auferens*, quod utrique, et Herculi et Mercurio, satis convenit, alter enim virtute, dolo alter spolia aufert. Aut fortasse rectius legetur σκυλοπύκτης, id est, *pugnans pelle* leonina *indutus*. Est enim σκύλον *pellis* quidem in genere, tum vero etiam singulatim pellis ferarum, veluti ursi, unde apud *Hesychium*, Σκύλον, δέρμα ἄρκτου, et leonis, monente Scholiaste *Sophoclis* in Aiac. p. 2. a. edit. Cantabr. Καλλίμαχος ἐπὶ τῆς λεοντείας δορᾶς· Τὸ δὲ σκύλον ἀνδρὶ καλύπτρη [*].

ΚΑ'Ν-

[*] Est in *Callimachi* fragmentis p 498, ubi notarunt triumviri summi, *Bentleius*, *Hemsterhusius* et *Ernestius*.

ΚΑΝΔΑΥΛΟΣ, condimenti ſive edulii genus Lydicum. Eius autem meminit *Athenaeus* Lib. XII p. 516 [4:8 qq.] his verbis. καὶ κάνδαυλον δέ τινα ἔλεγον οἱ Λυδοὶ. οὐχ ἕνα, ἀλλὰ τρεῖς. οὕτως ἐξήσκηντο πρὸς τὰς ἡδυπαθείας. Plura ibidem adiunguntur e Tarentino Heraclippo, Alexide, Philemone, Nicoſtrato et Menandro. Coquus apud Alexidem ait, ſe candaulum nec comediſſe umquam, neque id nomen audiiſſe. Erat nempe peregrinum et barbarum *Plutarchus* Lib IV Sympoſ p. 664 coniungit Ἀβυρτάχας καὶ Κανδύλους καὶ Καρύκας. Dicitur etiam Κάνδαυλος ab *Euſtathio* ad *Homeri* Iliad. p. 1144, ſed ab *Heſychio* Κάνδυλος, omiſſo autem nomine Lydorum. Conf *Pollux* Lib. VI c. 10 [ſegm. 69] et ipſe *Athenaeus* Lib. XIV p. 664 [419, et ad h. l. *Schweighaeuſerus* p. 701, 702]. Niſi fortaſſe κάνδαυλος et κάνδυλος condimentum fuerit diverſum. Vtrum Κάνδαυλος a Candaule rege ſic appellatum fuerit, an vero nomen utrumque ex communi fonte defluxerit, aliis diſquirendum relinquo.

ΚΑΠΥΝ puto Lydos appellaſſe *falconem*. Tyrrhenis tribuit *Servius*, ſed quo tempore recens in Italiam advenerant, atque linguam ſuam (*h*) patriam, e Lydia advectam, nondum aliorum commercio confuderant. Ita ille in Lib X Aen. 145: *Sed conſtat, eam* (Capuam) *a Tuſcis*, qui ſunt Tyrrheni, *conditam, viſo* falconis *augurio, qui Tuſca lingua* Capys *dicitur*. Paulo poſt:

Alii

(*h*) Videndus de ea lingua illuſtris *Scipio Maffei* in Diſſert. de origine primorum Italiae incolarum, qui eam linquam etiam pro Pelasgica habet. Adde Gelehrte Zeitungen 1733. n°. 88. f. 783, 784 [*].

[**] Plura alia, huc pertinentia, dedit *Th. Dempſterus* de Etruria Regali tom. I p. 8—19. De Graeca vero vocis Κάνυς notatione legantur *Scaliger* et *Dacerius* ad *Feſtum* de V. S. p. 67, 68.

Alii a Tuſcis quidem retentam, et prius Aliturnum, vel Alternum, *vocatam: Tuſcos a Samnitibus exactos* Capuam *vocaſſe, ob hoc, quod hanc quidam* Falco *condidiſſet, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum* falcones *aves habent, quos viros Tuſci* Capuas *vocarunt.*

ΚΑΡΥΚΗ genus cibi Lydii, de quo *Athenaeus* Lib IV p. 160 [122] et Lib. XII p. 516 [418] Scribitur etiam Καρύκκη. Meminerunt eiusdem *Plutarchus* l. ſupra l. in voce Κάνδαυλος, *Pollux* Lib. VI c. 9 [ſegm. 56], et antiqui Medici, ut copioſe docet *Foëſius* in Oeconomiæ Hippocratis v. Καρυκοειδέα [*].

ΚΟΑΛΔΔΕΙΝ· Λυδοὶ, τὸν Βατιλέα *Heſychius.* Hanc ſimilemve vocem ignorat omnis Graecia. *Bochartus* in diſſert. de Aeneae adventu in Italiam p. 1164 dedit Κοάλσειν. An idem eſt Κέλσας in Epigrammate in Alemanem apud *Plutarchum* de Exilio p. 1064? [**]

ΛΑΒΡΥΣ a Lydis appellabatur *Securis.* Teſtis eſt *Plutarchus* in Quaeſtionibus Graecis p. 302, Λυδοὶ γὰρ Λάβρυν τὸν πέλεκυν ὀνομάζουσι. *Xylander* vertit: *Labram enim Lydi vocant, quod Latini Securim.* Cur *Xylander* verterit *Labram*, non *Labryn*, ut in Graeco eſt, in promptu cauſſa eſt. Ipſe quippe *Plutarchus* hinc nomen derivat Iovis *Labradenſis*, ſive *Labrandenſis* qui cum eiusmodi ſecuri apud Cares fingebatur. Hunc Iovem cum ſecuri in nummo quodam exhiberi *Begerus* vir praeſtantiſſimus autumat in Theſauro Brandenburgico [t. I p. 226]. *Aelianus* ve-

[*] Miror neglectum *Heſychii* locum, Καρύκκη· περίεργος ζωμός. Βρωμα Λύδιον, — ἀφ' οὗ τὸ συνταράττειν, καὶ ἀνασείειν, Καρυκεύειν φασί. Confer ibi notas, et *Pierſonum* ad *Moerin* Att. p. 220.

[**] Quidquid de germana epigrammatis obſcurioris lectione et interpretatione iudicetur, t. III p. 87 ed Oxon., nihil profecto Κίλσας facit ad vocem hanc Lydiam illuſtrandam.

vero huic Iovi Labradenſi non, uti *Plutarchus*, πέλεκυν ſecurim, ſed ξίφος tribuit. Etenim Lib. XII de Nat. Anim. cap. 30, ubi de hoc Iove quaedam commemoraverat, addit, εἰς τόδε ἄγαλμα ξίφος παρήρτηται καὶ τιμᾶται, καλούμενος Κάριός τε καὶ Στράτιος, et brevi poſt dicitur Iupiter appellatus Λάβρανδεύς propter imbrem λάβρον, id eſt, impetuoſum [*].

ΛΑΪΛΑΣ· ὁ τύραννος, ὑπὸ Λυδῶν. Ita *Heſychius*. Sed *Suidas*, Λαίλας· ὁ μὴ ἐκ γένους τύραννος. Niſi legatur, ὁ μὲν ἐκ γ. τ., contraria dicunt Grammatici.

ΜΑΓΑΔΙΝ, quod erat inſtrumentum Muſicum, Lydis in acceptis fert Ion Chius apud *Athenaeum*, admodum copioſe, de Magadi diſſerentem, Lib. XIV pag. 634 et duabus ſequentibus. Diſputatur illic de vero ſenſu verborum *Ionis Chii* in Omphale,

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.

afferuntur plura veterum dicta de Magadi, atque haec verba adduntur, ἡ γὰρ Μάγαδις ὄργανόν ἐϛι ψαλτικὸν, ὡς Ἀνακρέων φησι, Λυδῶν τε εὕρημα, διὸ καὶ τὰς Λυδὰς ψαλτρίας φησὶν εἶναι ὁ Ἴων. Thracibus vero tribuit *Cantharus* quidam apud *Pollucem* Lib. VI cap. 9 p.

[*] Varie hoc Iovis epitheton ſcribitur. Apud *Plutarchum* l. c. ſemel iterumque Λαβραδεύς. Vitioſe Λαυρανδηνός in *Strabonis* lib. XIV p. 973, rectius Λαβρανδηνός in Cod. Mediceo, ut exemplo meo adſcripſit *Gronovius*. Frequentius Λαβρανδεύς. Nec aliter *Lactantius* lib. I Inſtit. c. 22 § 23, etſi magna illic lectionis varietas, monente *Bünemanno*. Nolim aut cum veteribus, *Plutarcho*, *Aeliano* et *Lactantio*, aut cum recentionibus, *Bocharto* in Geogr. S. p. 87, *Buonarroti*, in Oſſervazioni iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni antichi p. 213, 214, aliisque diſputare de origine nominis. Mihi tamen huc usque videtur Iupiter dictus Λαβρανδεύς de Labranda, urbe ſive vico Cariae cuius meminit *Strabo* l. c. et ipſe *Herodotus* lib. V c. 119; ubi legendi *Weſſelingius* et *Valckenarius*.

p. 187 edit. Seberi [segm. 61]. Videatur quoque *Heſychius* v. Μαγάδεις [*]. Illud certum, ipſam Muſicam et inſtrumenta Muſica plurima, ſaltationes etiam, a Barbaris ad Graecos perveniſſe; quod praeter alios obſervavit *Strabo* Lib. x p. 324 [722].

ΜΕΡΜΝΑ'ΔΕΣ. Eos, qui a Candaule ad Croeſum usque regno potiti ſunt, hoc nomine appellarunt Lydi, teſte *Herodoto* Lib. I c. 7. Μερμνάδαι ibidem vocantur c. 14. An a viro quodam generis auctore, an alia de cauſſa, mihi nondum conſtat.

ΜΗΔΙΝΕΥ'Σ· Μηδεὺς, παρὰ μὲν Δωριεῦσι· Μηδοτιοῦν. μηδαπλῶς. παρὰ δὲ Λυδοῖς, ὁ Ζεὺς, ζεῦσις. Haec *Heſychii* verba, forte corrupta et interpolata, certe valde obſcura, equidem non intelligo. Voces autem in medio poſitae, Μηδοτιοῦν et μηδαπλῶς, huc aliunde videntur tranſpoſitae.

ΜΥΣΗ'Ν Lydi nuncuparunt *fagum* arborem, unde Myſos nomen traxiſſe volunt. Vid. *Strabo* Lib XII p. 393 [857], ſcribens, Xanthum Lydum et Menecratem Elaitam hanc rationem nominis Myſorum reddidiſſe, ὅτι τὴν ὀξύην οὕτως, Μυσὴν ſive Μυσὸν, ὀνομάζουσιν οἱ Λυδοί. Ex *Strabone* ſua hauſit *Stephanus Byzantius* v Μυσία, Λυδοὶ δὲ τὴν ὀξύνην Μυσήν φασι. Docet etiam *Euſtathius* ad *Dionyſium* Per. p. 46 [ad v 322], Μυσὴν vel Μυσὸν, utrumque enim dicitur, τὴν ὀξύην ſignificare, κατὰ τὴν γλῶσσαν τῶν Λυδῶν. Inde emendari poteſt *Heſychius*, apud quem legimus, Μύσον. τὴν ἀξίνην. Μυσοί. Pro Μύσον reponendum Μυσόν ſive Μυσήν, et, pro ἀξίνην, vel ὀξύην vel, quod idem eſt, ὀξύνην [ut eſt in edit. Albertina].

Ne-

[*] Plura qui velit, adeat *Caſaubonum* et *Schweighaeuſerum* t. VII Animadv. in *Athenaeum* p. 459—464, atque eruditos *Heſychii* interpretes.

Neque dubitandum eſt, quin *Μυσοί* mutari debeat in *Λυδοί*. Error librarii in permutando nomine Lydorum et Myſorum hinc natus videtur, quoniam praeceſſerat *Μυσοί. ἔθνος βαρβαρικόν.*

ΜΥΣΤΗΣ· *Artemidorus* Lib. II Oneir. in fine ſcribit, *Οὐδὲν οὐ θαυμαζὸν ἐν Δαλδίᾳ* [*τὸν Δαλδιαῖον*, in editione Reſſiana p. 259] *Ἀπόλλωνα, δν Μύσην καλοῦμεν ἡμεῖς πατρώῳ ὀνόματι, ταῦτά με προτρέψασθαι.* Erat *Artemidorus* Daldianus, Daldia autem urbs Lydiae. Sed quo tempore is ſcripſit, Daldia fuit urbs Graeca. Videtur vixiſſe ſub Hadriano et Pio imperatoribus. Novimus autem, antiquam Lydorum linguam aetate *Strabonis*, qui ſub Tiberio floruit, iam fere ubique extinctam fuiſſe, ut ipſe teſtatur in fine Libri XIII.

ΜΩΛΑΞ Lydorum lingua ſignificavit *vinum* Sic enim *Heſychius*, *Μώλαξ· εἶδος οἴνου. οἱ δὲ, τὸ ἐν τοῖς ὁρκίοις σπενδόμενον. ἀπὸ τοῦ Μώλου, ὥς τινες. Λυδοὶ, τὸν οἶνον.* Suſpicor pro *ἀπὸ τοῦ Μώλου* legendum eſſe *ἀπὸ Τμώλου.* Videtur *Heſychius* poſtremis his verbis indicare, *Μώλακα* Lydis dici vinum a Tmolo nobili monte Phrygiae Magnae in confiniis Lydiae. *Vitruvius* Lib. VIII c. 3 inter vina generoſa memorat quoque *Lydiam Meliton*, vel *Moliton*, uti in quibusdam Codicibus reperitur. *Plinius* Lib. XIV c. 7, *Nec Tmoliti per ſe gratia, uti vino.* Vnde *Philander* in *Vitruvium* p. 327 coniicit, Meliton ſive Moliton forte a Tmolo monte fuiſſe petitum; quod etiam ex loco *Heſychii*, ex mea emendatione, adſtrui poteſt. Forſitan vero ipſe *Tmolus*, qui et antiquis *Timolus* dicebatur, Lydis *montem vini* ſignificavit. Erat enim vitibus conſitus, et vinum Tmoliticum a veteribus valde celebrabatur (*i*). *Ti* ſummitatem in quibusdam lin-

(*i*) *Vineta Timoli* et *Tmoli* commemorat *Ovidius* Lib. VI Me-

linguis antiquis videtur denotaſſe Hinc Perſarum *Tiara*, quod *Heſychius* v. Τιήρη exponit τὸ ὀξύ. ΤΣ vel ΤΕ etiam apud Aegyptios *montem* ſignificavit, eiusque vocis numerus pluralis ΤΩΙΟΥ adhuc frequenter occurrit, quamquam ſignificatione numeri ſingularis adhibetur. Apud Turcas et Mexicanos *Tepe* et *Tepea* Vide *Hornii* Origin. Americ. p. 185 [*].

ΜΩΤΣ, *terra*. *Heſychius* ait, Μωύς· ἡ γῆ. Λύδιοι. Contra Aegyptii non diſſimili nomine dicebant aquam; quod huius loci non eſt.

ΠΑΛΜΥΣ. Sic *Regem* in ſua lingua Lydi dixerunt, quod et *Bochartus* obſervat tom 1 Operum p. 1164, ſed ubi male Πάλμες. Apud *Heſychium*, Πάλμυος· βασιλεύς. πατήρ· οἱ δὲ, Πάλμυς. Memoratur Πάλμυς quidam, qui ex Arcania venerat, apud *Homerum* Il. IV v. 792 [**]. Ionibus tribuit *Tzetzes* in *Lycophronem* p.

Metam. v. 15, XI. 86, Faſt. Lib. II v. 313. *Seneca* in Phoeniſſis v. 602, *Hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga*. Iungantur haec *Plinii* Lib. V c. 29, *Lydia celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli, qui antea Timolus appellabatur, vitibus conſitus*. [Comparentur *Strabo* l. XIV p. 945, *Dioſcorides* l. V c. 10].

---

[*] Conatum emendandi illuſtrandique hunc *Heſychii* locum, ab interpretibus omnino omnibus intactum relictum, neque ii vituperabunt, quibus coniectura *Iablonskii* haudquaquam probetur. Suſpicioni autem ſuae commendandae, de voce Μώλαξ ducenda ἀπὸ τοῦ Τμώλου, patrocinium qualecumque quaerere ex eo potuiſſet, quod in multis veterum libris pro *Tmolus* ſcribatur *Molus*, eodem modo, ut *Marus* pro *Tmarus*, obſervante *Burmanno* ad *Virgilium* lib. 4 Georg. v. 56.

[**] Hunc Poëtae verſum laudavit *Strabo* lib. XII p. 847. Sed in Codice Geographi Mediceo, ut ad iſtum locum notavit *Gronovius*, verba haec et non pauca ſequentia deficiunt.

p. 101. [ad v. 691] ἡ δὲ λέξις, τὸ Πάλμυς, ἐστὶν Ἰώνων, καὶ χρῆται ταύτῃ Ἱππώναξ, λέγων·

Ὦ Ζεῦ πάτερ. θεῶν Ὀλυμπίων Πάλμυ,
Τί μ' οὐκ ἔδωκας χρυσὸν ἀργύρου, Πάλμυ.

Videtur tamen ἡ λέξις potius βαρβαρικὴ, et idcirco a Poëtarum principe Dynastae Barbaro tribuitur, nisi illic sit nomen proprium. Graecos hanc vocem a Lydis antiquissimis accepisse, confirmat *Tzetzes* Chil. v Hist. 10,

Τοῖς δὲ Λύδοις καὶ Ἴωσι τοῖς ἐν Ἐφέσου τόποις
Πρὶν Πάλμυς βασιλεὺς ὁ σύμπας ἐκαλεῖτο.

PISA est *portus* lingua Lydia. *Servius* in Lib. x Aen. v 179. *alii incolas eius oppidi Teutanas* [*Teutas*] *fuisse, et ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea Pisas Lydi*, propter sensum suppl. *vocarunt, atque id lingua sua singularem* [*Lunarem* in ed. Burm.] portum *significare dixerunt, quare huic urbi a portu lunae nomen impositum.*

ΤΑΡΓΑΝΟΝ. Apud *Hesychium* legitur, Τάργανον· ὄζος. Λυδοί. ἢ τὸ ταράττον. ἢ τὸ ἀπὸ ϛεμφύλων πόμα καὶ πόα, ἢ καὶ σκορπίουρος. Pro ὄζος videtur cum *Salmasio* legendum ὄξος, et pro ταράττον malim ταρακτόν [*].

ΦΙΛΕΤΑΙΡΙΣ. Scholiastes ad *Nicandri* Theriaca p. 42 ed. Colon. vel p. 30 ed. Morelli, Σημειώτεον δὲ, ὅτι τὸ ἀκανθῶδες Φυτὸν ἡ ῥᾶμνος παρὰ Λυδοῖς καὶ Μυσοῖς Φιλέταιρις ὀνομάζεται.

Non

[*] Ex iambis *Phoenicis Colophonii* affert *Athenaeus* lib. XI p. 338;

Ἐκ πελλίδος (δὲ) τάργανον, κ. τ. λ.

ad q. l. notarunt *Casaubonus* et *Schweighaeuserus* tom. VI p. 257, 258. Conf. *Gatakerus* de Stylo N. T. p. 30, 31.

Non hae quidem ſunt omnes voces ex Lydorum lingua in libris ſcriptorum veterum ſuperſtites. Quondam aliquas prudens omiſeram propter defectum teſtimoniorum idoneorum. Plures me tunc fugerunt; quod tamen ut reſarcirem, in ſecundis hiſce curis omni ope enniſus fui [*]. Quod praecipuum erat noſtrum inſtitutum, his conſecuti ſumus, ut nempe qualis fuerit Lydia lingua, et quantum hanc inter atque Graecam interfuerit, aliqua ratione perſpiceremus. Tempore *Strabonis*, ut ſupra dixi, haec lingua in ipſa Lydia prene exſtincta fuit, quamquam alibi adhuc vigeret, velut apud Cibyratas. Potuiſſent his alia ex lingua Tyrrhenorum addi, quam *Servius* ad Lib. x Aen. v. 179 appellat Lydiam linguam; nam quos ibi Lydos nominat, ſunt Tyrrheni, ut quivis facile vi-

---

[*] Quas voces Lydias conſulto omiſerit *Iablonskius*, equidem ignoro. Plures eum addidiſſe, easque et ordine elementario diſpoſitas, et diligentius illuſtratas collatio huius et primae editionis manifeſtum faciet. Paucas adiungam, quae iam ſuccurrunt.

ΒΑΣΚΕ ΠΙΚΡΟΛΕΑ· πλησίον· ἐξεθόαζε. Λυδισί· *Heſychius.*

ΒΑΣΤΙΖΑΚΡΟΛΕΑ· θάσσον ἤρχου, Λυδισί. *Heſchius.* Ad utrumque l. legendi *Albertius* et ceteri interpretes.

ΖΑΚΥΝΘΙΔΑΣ· (l. Ζακυνθίδης) κολοκύνται, ἢ γογγυλίδες, παρὰ Λυδοῖς. E Lexico Rhetorico MS. laudat Cl. *Ruhnkenius* in Auctario Emendat. ad *Heſychii* t. I, p. 1574. Mentio Lydorum non fit ab *Heſychio*, qui tantum ſcribit, Ζακυνθίδες· κολοκύνται.

ΊΩΠΙ· δῦρο οἱ Λυδοί *Heſychius.*

ΜΑΤΑΙΣΤΗΡΙΟΝ· παρ' Ἱππώνακτι, Λύδιον λείψισμα, λεπτόν τι. *Heſychius.* Malisne νόμισμα, vel λίπισμα, cum aliis, an ὠέλισμα, cum *Alberti*o, iam mihi perinde eſt. Sumtum videtur ex *Hipponactis* Synonymis, quae laudantur ab *Athenaeo* lib. XI p. 481 ed. novae.

ΠΑΡΑΜΗΝΗ· ἡ τῶν θεῶν μοῖρα. Λυδοί· *Heſychius.* De peregrina vocis origine dubito, etſi non reminiſcor, eam in libris Graecorum a me quidem lectam eſſe.

ΤΕΓΟΥΝ· Λυδοὶ τὸν ληστήν. *Heſychius.* Si *Iſ. Voſſium* audias, τεγοῦν eſt a τέγος, *domus*, et ſignificat τοιχωρυχεῖν. Interpretes reliqui de τεγοῦν nihil monuere.

videt. Verum tota haec res a multis in dubium vocatur, et ipſe *Dionyſius Halicarnaſſeus* Lib. 1 pag. 23 exiſtimat, Tyrrhenos non fuiſſe genere Lydos. Si vero etiam fuerint Lydi, Linguam tamen propriam tractu temporis corruperunt, ut adeo Tyrrhenicas voces omnes pro Lydiis venditare non auſim.

§ 10. *De lingua Carum.*

Sequitur *Carica* lingua, de qua in ſuperioribus iam verba me feciſſe memini, quae ſi repetere velim, actum agam. Ex iis, ut opinor, abunde conſtitit, hanc linguam, quamquam a Graecis quaedam acceperit, tamen vel propter hanc ipſam rationem a Graeca dialecto eſſe diſcernendam. Loquor autem de Caribus antiquioribus, patria ſua a Neleo expulſis, ut narrant *Pauſanias* in Achaicis p. 207 [525] et *Aelianus* Lib. VIII Var. Hiſt. cap. 5 (*a*). Cares non tantum ab *Homero* dicuntur Βαρβαρόφωνοι, ut vidimus § 2 [p. 11], et qua de cauſſa [*], ſed etiam linguae Caricae meminit *Plutarchus* in Ariſtide p 330. C. vel. p. 605. edit. Steph., καὶ τοῦτον μὲν ὁ προφήτης Καρικῇ γλώσσῃ προσεῖπεν. *Aelianus* l. c. iungit Κᾶρας, καὶ Μυγδόνας, καὶ Λέλεγας, καὶ ἄλλους βαρ-

(*a*) Locus *Vitruvii* Lib. II c. 8 p. 60 eſt notatu digniſſimus, ſed hinc corrigendus. Vide eumdem Lib. IV c. 1.

---

[*] Pro Βαρβαροφώνων Il. B. 867 legendum ἀκριτοφώνων coniecit *Tollius*, Vir Clar idemque amiciſſimus, in Excurſu ad *Apollonium* p. 738—741. Alia huc facientia monuit *A. A. Georgius* in praef. ante Fragmentum Euang. Iohannis Graeco-Copto-Thebaicum p. XLIII, XLIV in notis, defenditque lectionem vulgarem in *Strabonis* lib XIV p. 976, ubi pro βραχυτάτη ἡ γλῶττα τῶν Καρῶν *Xylander* malebat βραδυτάτη, *Caſaubonus* τραχυτάτη.

βαρβάρους. Teſtimonium *Herodoti*, qui ipſe e Cariae urbe Halicarnaſſenſis, hac in re multum valere poteſt. Veram illius mentem non recte me percepiſſe in prima huius Diſquiſitionis editione, deinde intellexi e *Strabone* Lib XIV p. 448 [976], cuius verba comparanti cum Herodoteis non erit difficile veritatem aſſequi. Teſtatur autem Hiſtoricus Lib. I cap. 171 et 172. Harpagum, Ionia ſubacta, exercitum traduxiſſe in Caras et Caunios et Lycios; Caras ex inſulis transiiſſe in continentem, ibique tunc ſedes poſuiſſe; ipſos vero Caras ſe appellare αὐτόχθονας continentis; Myſos et Lydos eſſe Caribus germanos fratres; eosdem lingua Carum uti, ὁμόγλωσσοι τοῖσι Καρσὶ ἐγένοντο; Caunios aut linguam ſuam accommodaſſe ad populum Caricum, πρὸς τὸ Καρικὸν ἔθνος, forſitan rectius πρὸς τὸ Κ. ἔθος, ad morem loquendi et conſuetudinem Caricam, aut Caras ad Caunicum, id quod liquide ſe non poſſe decernere ait *Herodotus*. His quaedam addere, vix operae pretium eſt. Ne quid tamen praetermiſiſſe argui poſſim, quaedam ex illa Carum lingua adhuc reſidua addere viſum eſt, quae maximam partem *Stephanus Byzantius*, nobilis Ἐθνικῶν ſcriptor, nobis ſubminiſtrat. Et plura forte inventuri eramus, ſi loco Epitomes ipſum *Stephani* opus ad nos perveniſſet.

"ΑΛΑΝ Caras appellaſſe *equum*, *Stephanus* in v. Ἀλάβανδα memoriae prodidit, repetiitque in v. Ὑλλούαλα. Eapropter in numismate Claudii Britannici, apud *Triſtanum* Tom. I. pag. 200, conſpicitur [*] *equus*, cum inſcriptione, Ἀλαβανδέων.

"ΑΘΥΜΒΡΟΣ dicitur quidam ex poſteris Rhadaman-

[*] Diſſentit *Seguinus* in Selectis Numismatibus antiquis p. 130, 131. Sed conſulatur *Berkelius* ad *Stephanum* v. Ἀλάβανδα.

manthi, a Caribus cultus divinis honoribus. Ita Auctor Etymologici in v. Ἄκαρα.

ΒΑΝΔΑ *victoriam* dixerunt Cares, auctore *Stephano* v. Ἀλάβανδα, ſed qui male addit, ἔνθεν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις Βάνδον τὴν νικὴν φασίν. Audacior videtur, quam felicior *Salmaſii* coniectura, pro τὴν νικὴν cupientis τὸ σιγγόν [*].

ΒΟΗΔΡΟΜΕΙΝ Κάρες ἀντὶ τοῦ βοηθεῖν. *Suidas.* Verum enim vero exemplum, quod affert, rem non probat. Vſurpatur quidem ibi fortaſſe de Caribus, ſed non tamquam vox Carica, haud magis quam Βοηδρόμια, quae ſequitur. Conf. *Harpocration* [ibi *Blancardus* p. 100, 101].

ΓΕΛΑΝ Cares vocarunt *regem*, teſtante *Stephano* v. Σουάγελλα, ſive Σουάγελα, quae Cariae urbs, et quod nomen reddendum *Straboni* Lib. XIII p. 611 [909]; ubi male Συναγέλα, quod *Caſaubonus* et *Holſtenius* etiam monuerunt [**].

ΓΙΓΓΡΑΝ, ſignificatione inſtrumenti cuiusdam Muſici, Caribus nonnulli tribuerunt; ſed factum id inde ab iis videtur, qui Phoenicen cum Caria confunderent. Latiſſimos enim fines olim habuit Phoenicia. Vide *Cononem* in hiſtoria Andromedes et Perſei. Locus *Athenaei* p. 174 [lib. IV p. 177], ad quem reſpicitur, hic eſt, Γιγγραίνοισι γὰρ οἱ Φοίνικες, ὡς φησιν ὁ

[*] *Jac. Gronovio* pro νικὴν placuiſſe ἴλην, tom. II Theſ. Antiq. Graec. in *Alabandus*, monet *P. Burmannus* in notis MSS. ad *Stephani* locum. Plura ibidem *Berkelius* de uſu vocabuli βάνδος notione ſigni militaris ſive vexilli, ſed praeunte *Meurſio* in Gloſſario Gr. Barb. v. Βάνδος et Βανδοφόρος, tom. IV Oper. p. 227, 228.

[**] Probabili coniectura *Iac. Gronovius*, ſed ſuo more, nec ſatis digno literarum politiorum profeſſore, vehementius in *Iſ. Voſſium* invectus, in *Pomp. Mela* lib. I c. 16 pro *portus duo*, *Gelo*, *et cui* ſcribendum exiſtimavit *portus Suageles*, *et cui*. Loquitur enim *Mela* de Caria.

ὁ Ξενοφῶν, ἐχρῶντο αὐλοῖς, σπιθαμιαίοις τὸ μέγεθος, — τούτοις δὲ καὶ οἱ Κᾶρες χρῶνται ἐν τοῖς θρήνοις· εἰ μὴ ἄρα καὶ ἡ Καρία Φοινίκη ἐκαλεῖτο, ὡς παρὰ Κορίννῃ καὶ Βακχυλίδῃ ἐστὶν εὑρεῖν [*]. Atque his etiam non diſſimilia legere eſt apud *Euſtathium* ad Il. Σ. pag. 1157. Fruſtra tamen ea verba in omnibus *Xenophontis* Athenienſis libris quaeruntur. Itaque aut memoria fefellit *Athenaeum*, cui ſua debet *Euſtathius*, aut verba ſumta ſunt e libro Xenophonteo iam deperdito, aut denique intelligendus eſt quis alius, *Xenophontis* nomine appellatus; quales plures fuiſſe docet Cl. *Fabricius* in Bibliotheca Graeca; quamvis ignorem, *Athenaeum* uſpiam alium laudare *Xenophontem* praeter Grylli filium, hiſtoricum illum notiſſimum. *Pollux* Lib. IV cap. 10 [ſegm. 76] tantum ait, Γίγγραν eſſe Phoeniceam iuxta inventionem, ſed valde ſimilem Μουσῇ τῇ Καρικῇ, Phoenicum vero lingua Adonim vocari *Gingram*, et ab hoc tibiam lugubrem deſumſiſſe nomen. Ad iſtum locum conſulatur *Kuhnius*.

ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΟΣ Ζεὺς, ἐν Γορτύνῃ, καὶ παρὰ Καρσὶ, καὶ Κρησίν *Heſychius* [**].

ΚΟΛΑΒΡΙΣΜΟΝ genus *ſaltationis* Carum pariter ac Thracum fuiſſe, *Pollux* memoriae prodidit Lib. IV cap. 14 [ſegm. 100, ibi *Iungermannus* et *Kuhnius*]. Ab *Athenaeo* vocatur κάλαβρισμός Lib. XIV p. 629. Vtrum-

[*] Multis de hoc *Athenaei* loco diſputarunt *Caſaubonus* et *Schweighaeuſerus* tom. II Animadverſionum p. 639, 640.

[**] Exemplum iſtud huc minus facit. Vox enim Ἑκατόμβαιος haud magis Caribus propria eſt, quam ceteris gentibus, Hecatombas Iovi offerentibus, de quibus interpretes *Homeri* Il. B. 306, et ſcriptores Antiquitatis Graecae. Adde *Capitolinum* in Maximo et Balbino cap. XI.

Vtrumque recte ſe habet. Dicitur enim καλαβρίζειν et κολαβρίζειν eadem ſignificatione. Conf. *Heſychius* in vv. Καλαβρισθείησαν et Κολαβρίζειν [ibi not. itemque ad v. Κωλαβρισθείησαν] atque *Suidas* v. Κολαβρισθείη [c. n. *Kuſteri*]. Non autem patet, ut ipſe antehac monueram, *Colabrismum* Macedonibus ab *Athenaeo* adſcribi. Iungenda ſunt vocabula θρᾴκιος καλαβρισμός. De hoc ipſo ſaltationis genere agit *Meurſius* libro ſingulari de Saltationibus veterum [*].

ΚΑΡΙΤΑΙ dicebantur a Caribus *equites* et *praedones*, unde forſitan regioni et genti nomen. *Heſychius*, Καρῖται· ἱππεῖς, πειρατάι. Κάρες. Alii una ſerie legunt ἱππεῖς πειρατάι [**].

ΚΩΣ eſt *ovis* apud Cares, teſte *Tzetze* in *Lycophronem* p. 94 fin. Quam vocem tamen uſurpare veritus non eſt *Apollonius Rhodius* Lib. III v. 375; atque ibidem Scholiaſtes vocem hanc tamquam receptam repetit.

ΛΑΓΙΝΙΤΗ. Memorat *Stephanus Byzantius* in v. Ἑκατήσια Deam a Caribus cultam, cui hoc nomen datum

[*] Tom. V Operum p. 214, 217, 218, 223. Non ille dubitat, in ſcriptura vocis aut mendum eſſe in *Athenaeo*, aut apud *Pollucem*. Comparentur vero, praeter interpretes *Suidae* et *Heſychii*, ſupra a me laudatos, *Caſaubonus* et *Schweighaeuſerus* Animadv. in *Athenaeum* tom. VII p. 429, 430, VIII p. 301, 302.

[**] Πειρατὴς et *Pirata* ſemper, quod ſciam, de praedonibus maritimis in libris vetuſtiorum ſcriptorum. Optime *Heſychius*, Πειρατάι· κακοῦργοι, λῃσταὶ, ῥηγυται ἐν ὕδασι, et *Ammonius* de diff. vocum p. 112, Πειρατὴς δὲ, ὁ θαλάσσιος λῃστής. Alia dabit *Valckenarius* in Animadv. ad *Ammonium* p. 194. Videntur equites ex rapto viventes et praedones maritimi dicti Καρῖται, exemplum nempe Carum imitantes, agros non tantum incurſantium, ſed et exuviis nauticis clasſiumque ſpoliis pro virili parte ſemet ipſos ornantium. Ut enim Cares a Critia apud *Athenaeum* lib. I p 106 celebrantur ἁλὰς ταμίαι, ita eorum genus λῃστικὸν e mari ſuſtuliſſe dicitur Minos, in *Thucydidis* lib. I c. 4.

tum fuerit e quodam casu. Cum enim templo aedificando incumberent Cares, leporem illinc fugientem animadverterunt; atque hinc scilicet Deae nomen. Apud *Stephanum* est generale *animalis* ζώου nomen. Novimus autem Graecis leporem dici, λαγὼς et λαγώός. Sed haec derivatio admodum est detorta et plane illis similis, de quibus § 3 nonnihil dixi. *Strabo* Lib. XIV p. 454 [975] eam Λάγινὼ nuncupat, Ἐν δ' ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρατονικέων δύο ἱερὰ, ἓν μὲν Λαγίνοις, τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέστατον; quod ita vertit interpres: *In agro Stratoniceo sunt duo templa, unum Laginis Hecatae sacrum illustrissimum.* Locus ille est corruptus [*], et ab interprete ita acceptus, tamquam Lagini populi Hecatae sacra fecerint; atque id indicare videtur vox, quae est in Graeco, Λαγίνοις. Sed legendum est Λαγινοῦς, correctione prona et obvia, a Λαγινὼ, quae est terminatio Carica, ut in Ὠσογὼ, de quo paulo post. Ita autem locum vertemus: *unum quidem Laginus, quod templum omnium, quot habet Hecate, clarissimum est.* Ex quo igitur et hoc discimus, fuisse hanc *Lagino* Hecaten, seu Triviam, quod etiam ex *Stephano* confirmatur.

ΜΑΣΑΡΙΣ. *Bacchum* hoc nomine Cares appellarunt, auctore *Stephano* in v. Μάξαυρα, ubi haec leguntur, παρὰ Καρσὶν ὁ Διόνυσος Μάσαρις ἔνθεν ἐκλήθη. Ad-

[*] Non ea est medicina, ut cum *Cicerone* loquar, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur. Certe autem locus *Straboni*s est incorruptus, nullo egens remedio. Λαγινίτη, sive Λαγινίτις, quod alii malint, nomen habet de oppidulo Cariae, cuius *Strabo* iterum meminit lib. XIV p. 978, μίχρι Λαγίνων. A *Stephano* vocatur Λαγινία. — Cum ne coniectura quidem assequar, quo consilio in margine exempli Iablonskiani citetur *Athenaeus* lib. XIII p. 584. F., hunc locum non recepi in textum. Quid enim attinet mentio Δημοκλέους τοῦ παρασίτου Λαγυνίωνος ad hanc Deam?

Additur ibidem, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ ἡ Ῥέα Μᾶ, ſed quod magis ad Lydos, quam ad Cares videtur ſpectare. *Fr Guietus* Μάσαρις exponit μέγας.

ΜΕΓΙΣΣΑ *lapis eſt* Carum lingua, ut teſtatur *Stephanus* in v. Μόνογισσα. Sed pro Μεγίσσα fide Codd. MSS. legendum eſſe Γίσσα cenſent *Salmaſius* et *Gronovius*.

ΜΥΚΑΛΕΥΣ fuit cognomen *Iovis* in Caria. Vide *Euſtathium* in Iliad. B. pag. 266 [*].

ΣΟΥΑΝ Cares *tumulum* ſive *ſepulcrum* appellarunt, teſte *Stephano* in v. Σουάγγελλα.

ΤΟΥΣΣΥΛΟΙ a Caribus vocabantur *Pygmaei*. Ita *Stephanus* v. Κάττουζα [**].

ΤΥΜΝΙΣΣΟΣ eſt *virga*. Scribit *Stephanus*, τυμνισσὸς, πόλις Καρίας, ἀπὸ τυμνισσοῦ ῥάβδου. Ξάνθιοι γὰρ τὴν ῥάβδον τυμνίαν λέγουσιν.

ΩΣΟΓΩ *Iovem* Cares appellarunt, teſte *Strabone* Lib. XIV p. 453 [973]. Ioves alios ibidem *Strabo* commemorat. In iis eſt Iupiter *Labradenſis*, qui et *militaris* dictus, cuius ſignum dicitur fuiſſe labra, de ſimulacro eius appenſa. Vide ſupra § 9 [p. 87, 88]. Poſt Labradenſem, quem Labradium vocat *Plinius* Lib. XXXII cap. 2, recenſet *Strabo* etiam Iovem *Carium*, ad quem non modo Cares convenerunt, verum quoque finitimi Lydi Myſique. Neſcio tamen, an ſatis accurate hos *Strabo* diſtinxerit. Aliter

[*] Ratio cognominis Μυκαλεύς ſatis apparet e *Stephano* v. Μυκάλη. Eſt enim *Mycale* mons et urbs Cariae, inter Maeandrum et Cayſtrum fluvios. Verba Ethnicographi illuſtrarunt *Holſtenius* et *Berkelius*.

[**] Quae ad iſtum locum a *Berkelio*, ab aliis quoque obſervata ſunt, veluti *Vulcanio* ad Gloſſarium Lat. Gr. p. 68, *Dacerio* ad *Feſtum* v. Troſſuli.

ter *Aelianus* Lib. XII de Animal. cap. 30, qui, cum de ſimulacro Iovis Labrandei verba feciſſet, haec ſubdidit, καὶ τιμᾶται καλούμενος Κάριός τε καὶ Στράτιος, *et colitur ille Deus Carii et Militaris cognomine.* Etiam *Herodotus* Lib. I cap. 171 unum memorat antiquiſſimum Iovem *Carium*, quem eumdem Lib. V cap. 119. appellat Iovem *Militarem*, eumque Labrandae coli affirmat [*]. Quartum adhuc Iovem addit *Strabo* p. 454 [975] his verbis, ἐγγὺς δὲ τῆς πόλεως, loquitur de Laginis, τὸ τοῦ Χρυσαορέως Διὸς, κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, εἰς ὃ συνίασι θύσαντές τε καὶ βουλευσάμενοι περὶ τῶν κοινῶν· καλεῖται δὲ τὸ σύσημα αὐτῶν Χρυσαορέον [**]. Sed ut revertar ad Ὠσογώ, ſcribit *Caſaubonus* ad Geographi locum: *Quis is ſit, adhuc quaero* [†]. Vnicum praeterea ſcriptorem reperi, qui numinis iſtius meminerit, *Pauſaniam* nempe, ſed qui in Arcadicis p. 244 [VIII 10 p. 619] Ὀγώα appellat, Καρῶν οἱ Μύλασα ἔχοντες, ἐς τοῦ θεοῦ τὸ ἱερὸν, ὃν φωνῇ τῇ ἐπιχωρίᾳ καλοῦσιν Ὀγώα. Sive nomen fuerit Ὀγώα, ſive Ὠσογώ, barbarum fuiſſe non dubito, explicare nequeo.

Plura vocabula, origine Carica, ſi extiterint apud ſcri-

---

[*] Bene diſtinguere *Strabonem* ipſumque *Herodotum* inter Iovem *Carium* et *Stratium*, errare vero *Aelianum*, monent Cl. *Weſſelingius* et *Valckenarius* ad utrumque *Herodoti* locum.

[**] *Caſaubonus* legendum cenſuit θύσοντες et βουλευσάμενοι. Nec aliter in Codice Mediceo, ubi et Χρυσαορέων pro Χρυσαορίου invenitur, teſte *Gronovio*.

[†] Leguntur forte ea *Caſauboni* verba in priori *Strabonis* editione, quae iam nunc praeſto mihi non eſt; deſunt autem in Almeloveniana, ubi tamen locus *Pauſaniae*, ab *Iablonskio* citatus, ſed uncinis incluſus.

48643

ſcriptores veteres, ad meam notitiam non pervenerunt [*].

§ 11. *De lingua Lycica.*

Sunt hae praecipue linguae, quas in his oris viguiſſe didicimus, et ex quibus etiam aliae ortum traxerunt, aut certe plurima depromſere; atque videmus ſaepe numero a veteſtis auctoribus has ita coniungi. Vid. *Cicero* pro L. Flacco c. 27, qui locus etiam ea, quae ſupra dicta ſunt, illuſtrat. Superſunt tamen etiam, quae ab his, aliae plus, aliae minus receſſerunt, nonnullae plane ſunt ſingulares, et cum illis ni-

---

[*] Neque ad meam, praeter haec pauca.

ΙΔΑΓΝΑΣ· ὁ ἐκτομίας· οἱ δὲ βάρβαροι· οἱ δὲ, μαντίας ἄνομα· οἱ δὲ, πόλιν τῆς Καρίας εἶναι· Ἰδάρνην, καὶ ἀπὸ ταύτης τοὺς μάντεις λέγεσθαι. *Heſychius* c. n. *Alberti.*

ΙΜΒΡΑΜΟΣ, *Mercurius.* Fuit Imbrus inſula Thraciae, ſacra Cabiris et *Mercurio*, quem Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες, teſte *Stephano Byz.* v. Ἴμβος. Repetiit *Euſtathius* ad *Dionyſium* v. 524. Comparentur *Holſtenius* et *Berkelius* ad *Stephani* locum, atque *Gutherietus* de Cabiris p. 88.

ΚΥΒΔΑ nomen *menſurae* Caricae, cuius meminit *Machon*, poëta comicus, apud *Athenaeum* lib. XIII p. 97,

Κύβδ', ἔφη, τριωβόλου.
Τίς δ' ὁ ἐπιτρέψων ἐστί σοι, φήσὶν, τάλαν,
Ὄντα γ' ἐν Ἀθήναις Καρικοῖς χρῆσθαι ταθμοῖς.

Legantur ibi *Caſaubonus* et *Schweighaeuſerus*, tom. V Animadv. p. 136, 137. Significatu multum diverſo eadem voce uſus eſt *Ariſtophanes* in Equit v. 364.

ΛΗΚΥΘΙΟΝ· πυρὸς τὶς παρὰ Καρσὶν κάλλιστος. *Heſychius* ex coniectura *Palmerii.* Legitur vulgo, π. τ. περικάρσιον κ.

Vere monuit *Berkelius* notis ad *Stephanum* v. Ἀλάβανδα, perpauca apud ſcriptores antiquos ſupereſſe veteris linguae Caricae λείψανα, eo diguiora igitur, quae undique ſtudioſe conquirantur.

nihil commune habent: quas omnes atque ſingulas enumerare operae pretium non eſt.

Inter finitimas dialectos praecipuae ſunt *Lycica* et *Pamphylia*, quarum non infrequens mentio occurrit. Harum gentium ſermo longe plura ex Graecorum lingua depromſit, quam aliorum populorum, de quibus diximus. Et non deſunt, qui has gentes origine Graecas fuiſſe contendant, velut *Herodotus* Lib. VII cap. 92, *Theopompus* apud *Photium* p. 203 [391] et alii. Verum hoc merito in dubium vocari, et contrarium etiam oſtendi poſſe, facile mihi perſuadeo. Quod vero ſermo harum gentium in multis Graeciſſarit, tribuendum eſt Graecorum coloniis, quae multae hic locorum fuerunt.

Lycii fuerunt oriundi e Creta, unde cum Sarpedone profugerunt, et hanc regionem adierunt, Teſtes ſunt *Pauſanias* in Achaicis p. 208 [529] et *Herodotus* Lib. I c. 173, qui addit, Cretam totam ab initio habitatam fuiſſe a Barbaris. Linguae *Lycicae* meminit *Plutarchus* in Alexandro pag. 1259 ed. H. Steph., δίγλωσσος ἄνθρωπος ἐκ πατρὸς Λυκίου, μητρὸς δὲ Περσίδος γεγονώς. Conf. idem de Def. Oraculor. pag. 238 ed. Baſ. Poſtmodum vero, ut aliae gentes illius orae, ſic et Lycii linguam Graecam adſciverunt. Hinc Graeca ſunt, quae e Lyciorum lingua, ſed ſero admodum et ſua nempe aetate uſitata, profert *Euſtathius* in Iliad. E. p 545 in fine. Paucas voces *Lycicas* ex *Stephano Byzantio* et aliunde conquiſitas nunc addam.

ΕΛΕΥΘΕΡΑ, *Diana*. *Artemidorus* Lib. II c. 35, ἡ λεγομένη παρὰ Λυκίοις Ἐλευθέρα. Sed videtur vox pure Graeca.

ΕΡΕΘΥΜΙΟΣ, *Apollo*. Hunc apud Lycios Ἐρεθύμιον dictum fuiſſe, et illius feſtum Ἐρεθύμια, *Heſychius* docet. In prima huius libelli editione monui,

Rhodios etiam coluisse Apollinem *Erethybii* cognomine, quod rubiginem averteret, velut apud Romanos *Robigus*; quod *Strabo* Lib. XIII p. 422 [912], et ex illo *Eustathius* in Il. A. 39 docet. Sed iam nunc valde dubito, an Apollinem *Erethymium* cum *Erethybio* recte contulerim. Multum enim diversa videtur ratio utriusque istius cognominis; sed id nunc non ago.

ΚΑΔΡΈΜΑ. Ita Lycios appellare *siccitatem frumenti* affirmat *Stephanus Byz.* in h. v. Vid. ibi *Pinedo* et *Holstenius*.

CVRNIM. *Plinius* Lib. XXXII c. 2, *In Lyciae Myris in fonte Apollinis, quem* Curnim *appellant*, ad q. l. consule *Dalechampium*.

ΠΆΤΑΡΑ, *cista*. Huic nomen est inditum urbi Lyciae. Scribit *Stephanus* v. Πάταρα, Ὠνομάσθαι, δὲ τὴν χώραν ἀπὸ τοῦ ἄγγους τοῦ Πατάρας, Πατάρα. Μεθερμηνεύεσθαι δὲ τὴν Πατάραν ἑλληνιστὶ κίστην, sic enim cum *Salmasio* legendum, non κίστιν. Ita quoque habet *Eustathius* in *Dionysium* v. 129, ut *Pinedo* observavit.

ΠΕΤΉΛΙΑ. Οἱ γοῦν περὶ Λυκίαν Πετήλια μέχρι καὶ ἐς ἄρτι καιροῦ τὰ τοιαῦτα φύλλα, φασίν, *Eustathius* in Il. B. p. 229.

ΠΊΝΑΡΑ, *rotunda*. Scribit *Stephanus Byz.* v. Ἀρτύμνησος, partem Xanthiorum in Cragum venisse et in monte incoluisse collem rotundum, λόφον στρογγύλον, atque urbem appellasse *Pinaram*, eamque vocem interpretatos esse στρογγύλην; addit vero Ethnicographus, τὰ γὰρ στρογγύλα πάντα Λύκιοι Πίναρα καλοῦσιν.

ΣΙΣΌΗ. Ea vox restituenda videtur *Hesychio* in loco valde corrupto, qui nunc sic legitur, Σισοκοῦρα· ῥοιά· Φασηλῖται. Sequor emendationem *Casauboni* ad *Suetonii* Octav. Aug. c. 45, *Salmasii* de Caes.

et

et Coma p. 69, 247, atque aliorum, ſed de reliquis verbis in diverſa abeuntium. Vocem eſſe Phoeniciam opinatur *Bochartus* in Geographia Sacra Part. II p. 362. Alexandrinis non ignotam fuiſſe paret e Graeca V. T. verſione, Levit. XIX 27. Ab *Heſychio* attribuitur Phaſelitis, quos *Sopingius* habet pro Ciliciibus, *Salmaſius* pro Lyciis. Conf. *Iſaacus Voſſius* ad *Melam* Lib. I c. 14. *Euſtathius* eos in Pamphylia collocat, praeeunte ipſo *Dionyſio* v. 854, 855. Nec aliter *Stephanus Byz.* v. Φασηλίς. *Ptolemaeus* autem p. m. 308 ait, Μετὰ τὴν Φασηλίδα πόλιν Λυκίας, Παμφυλίας παράλια κ. λ. Nimirum in confiniis Lyciae et Pamphyliae ſita erat Phaſelis, unde a quibusdam Lyciae, ab aliis Pamphyliae accenſetur. Non meminiſſem verborum *Suidae* v. Φασηλίς, ſcribentis, Φασηλίτας γὰρ τάριχον τῷ Καλαβρῷ θύειν, φησὶ Καλλίμαχος ἐν Βαρβαρικοῖς νομίμοις, niſi obſervandum eſſet, eo in loco legi oportere τῷ Κυλάβρᾳ, quod apparet ex *Athenaeo* Lib. VII p 297, 298, διὰ τοῦτο οἱ Φασηλῖται ἀνὰ πᾶν ἔτος τῷ Κυλάβρᾳ ἔτι καὶ νῦν τάριχον θύουσιν [*].

ΤΥΜΗΝΝΑ *hircus* eſt Lycica lingua. Ita enim capio locum *Stephani*, Τύμηννα κώμη Λυκίας. Ἐκλήθη δὲ ἀπό τινος τράγου οὕτως ὀνομαζομένου, *Tymenna vicus Lyciae. Sic vero vocata fuit de quodam hirco huius nominis.* Narrat deinde *Stephanus*, hircum aliquem, cum a grege diſcederet, madida barba rediis-

[*] Comparentur *Alberti* ad *Heſychium* v. Σισοκοῦρα, et *Toupius* P. III Emend. in *Suidam* p. 276, 277, cui aſſentitur *Schweighaeuſerus* ad *Athenaei* locum p. 205. De Phaſelide *Strabo* lib. XIV p. 983, Ἐστὶ μὲν οὖν καὶ αὕτη ἡ πόλις Λυκιακὴ, ἐπὶ τῶν ὁρῶν ἱδρυμένη πρὸς τῇ Παμφυλίᾳ.

diiſe; quem ſecuti invenerunt fontem in quodam fruteto, atque hinc et fontem et regionem Tymennam vocarunt. Ambigua ſunt *Stephani* verba. Nam et id ſignificare poſſunt, hiſce hoc peculiare nomen fuiſſe, quemadmodum interpres *Thomas Pinedo* rem. cepit; aut vero ſic etiam intelligi poſſunt verba, ut *Stephanus* dicat, Lycios ſic omnem hircum appellare, quod magis veriſimile mihi fit. Ita etiam olim ſimili plane caſu a capra, quam αἴγα Graeci dicunt, Aegeſſa ſeu Aedeſſa dicta fuit, ut ex *Iuſtino* notum eſt omnibus. Vide et *Stephanum* in Γάγγρα, et *Feſtum* in *Irpini*.

§ 12. *De lingua Pamphylia.*

Lingua *Pamphylia*, propter clariſſimas urbes Graecas, Aſpendum, Siden, Pergam aliasque a Graecis vel conditas vel inhabitatas, etiam propius ad ſermonem Graecum acceſſit (*a*). At vero primum Linguam hanc plane barbaram fuiſſe, et adeo a Graeca diverſam, ex *Arriano* colligere poſſumus, de Expedit. Alexandri Lib. I p. 73 et 74, ubi narrat, Sidetas, qui origine Graeci erant, cum in Pamphyliam venisſent et urbem condidisſent, repente Graecae linguae oblitos fuiſſe, atque barbarum ſonum adſciviſſe. Non deſunt voces ex Pamphylia lingua reſiduae, quarum plurimas conſervavit *Heſychius*, qui ipſe Pergaeae dialecti, tamquam peculiaris cuiusdam, aliquoties me-

(*a*) Pamphylia olim *Mopſopia* appellata fuit, teſte *Plinio* Lib. IV c. 27. De origine Pamphyliorum Graeca legendus *Pauſanias* in Achaicis p. 208 [529]. Apud *Euſebium* in Chroniço p. 12 Pamphylii inter Chami poſteros ſic commemorantur, οἱ δὲ ἐπισάμενοι αὐτῶν γράμματα, Φοίνικες, Αἰγύπτιοι, Παμφύλιοι, Φρύγες.

meminit. Verum quae ille affert vocabula Pergaeorum, ut plurimum ſunt Graeca, dialecto tantum diverſa. Cuiusmodi recte cenſentur ἄρκυμα pro ἀκρὶς, *locuſta*, ἄἴβετος, quemadmodum viri eruditi legunt, pro ἀετὸς, *aquila*, ἰκτὸς pro ἰκτῖνος, *milvus*, λάφνη pro δάφνη, *laurus*. Sed non mihi ſuam coniecturam perſuaſit Cl. *Relandus*, in diſſertatione de Vet. Lingua Perſarum, inſerta Parti II Diſſ. Miſcell., p. 187, apud *Heſychium* pro Λάψα· γογγυλίς. Περγαῖοι, legi debere Λάφα, et hanc eſſe vocem Perſicam, adeoque reponendum Πέρσαι, ut ſermo fiat de Perſis, non de Pergaeis. Horum non minus quam Perſarum frequenter *Heſychius* meminit. Πέρσαι nimium abit a Περγαῖοι. Praeterea coniecturae obſtat ſeries literarum χ et ψ in vocibus antecedentibus et ſequentibus. Potius ergo Λάψα eſt vox Pergaeorum propria, quemadmodum nonnulla alia ex antiqua Pamphyliorum lingua aut ex vicinis gentibus barbaris allata vocabula habuerunt Pergaei et Sidetae. Ἀβελίην interpretatur *Heſychius* ἡλιακὸν, aitque eam eſſe vocem Pamphyliorum. Poteſt tamen ea e Graeco deduci, ut *Guyetus* obſervat ad vocem ſequentem Ἀβέλιον. Ζειγάρη a Sidetis vocabatur ὁ τέττιξ, teſte *Heſychio*. Nomine Ἀβωβὰς colebatur Adonis a Pergaeis, ut auctor eſt idem *Heſychius*, apud quem, Ἀβωβάς· ὁ Ἄδωνις, ὑπὸ Περγαίων. Sic recte legit *Gronovius* pro eo, quod antea legebatur Περσαίων. Hanc enim correctionem non *Phavorinus* tantum, ſed et Etymologici auctor confirmat. Vox ipſa, quae plane barbara eſt, ex Aſſyriorum ſacris defluxiſſe videtur. Non vero eſt diſſimile, Pamphylios quaedam habuiſſe ex Aſſyriorum ſacris, cum unus ex Magorum et Chaldaeorum magiſtris, Erus nempe, qui et Zoroaſter dicitur, fuerit Pamphylius genere. Vide *Stanleii* Hiſtor. Philoſ. Orient. Lib. I Sect. I c. 2 p. 7. Forte *Abo-*

bas

bas dictus fuit ab אבובא *Abuba*, quod Syris *tibiam* denotat. Nam conſtat, ſacra Adonidis planctu conſtitisſe. De Abuba conf. *Salmaſius* de Lingua Helleniſt. p. 419. Niſi forte magis placuerit ſententia *Triglandii* in Coniectaneis de Dodon. p. 3, et *Relandi* l. c. p. 100 ſq., nomen Ἀβωβάς referentium ad vocem Chaldaicam אבובא, *culmus*, *ariſta*, cum etiam Scholiaſtes *Theocriti* Id. III v. 48 moneat Adonidem dici σῖτον σπειρόμενον. Coniecturis iſtis unam adiungo, ſed eam incertam. Forſitan apud *Heſychium* pro Περσαίων vel Περγαίων legendum Περγασαίων, quae ſcriptura nominis rarioris errori anſam praebuerit. Περσαγὴ erat δῆμος τῆς Ἐρεχθηίδος φυλῆς, monente *Stephano Byz.*, ad q. l. vid. notae. In voce ſequente commemoratur Diana Pergaſaea, de qua *If. Voſſius* ad *Melam* Lib. I c. 14. 11. Τὸν Περγασῆθεν in *Aeliani* Var. Hiſt. Lib. IV c. 23, non verti oportuerat *Perga oriundum*, ſed *Pergaſenſem*. *Homerus* II E. v. 535 dixit Περγασίδην. Malim tamen cum *Gronovio* apud *Heſychium* retinere Περγαίων.

§ 13. *De lingua Piſidarum.*

Lyciis et Pamphyliis finitimi ſunt *Piſidae*, qui ignobiles et barbari ſemper habiti ſunt. *Arrianus* de Exped. Alex. Lib. I p. 76, οἱ δέ εἰσι καὶ αὐτοὶ Πισίδαι Βάρβαροι, *ſunt autem et hi Piſidae Barbari*, loquitur de Telmiſſenſibus. *Plinius* Lib IV c. 27 ſcribit: *Inſident verticem Piſidae, quondam Solymi appellati*, ſed hi ſine dubio barbari [*]. De lingua Piſidarum *Stra-*

[*] *Apollonius* in Lexico Homerico p. 608, Σόλυμοι, ἔθνος βαρβαρικόν. ἔστι δὲ καὶ κατὰ Πισιδίαν ὄρη, Σόλυμα καλούμενα. *Heſychius*, Σολυμοισιν, ἔθνη Σκυθῶν. Legatur ibi *Albertius*, et *Weſſelingius* ad *He-*

Strabo Lib. XII extremo obſervat, eam apud Cibyratas obtinuiſſe; quo loco eam diſtinguit a lingua Graecorum, Lydorum et Solymorum. Exempla vero reliquiarum veteris Piſidarum linguae me apud ſcriptores antiquos reperiſſe non recordor.

§ 14. *De lingua Bithynorum.*

In prima huius Disquiſitionis editione *Bithynos* omittendos monebam, quoniam Phryges ſunt, et Bithynia deinde dicta eſt, quae primum (*b*) Phrygia Maior appellabatur. Quae etſi vera adhuc cenſeo, nunc tamen nonnulla de Bithynis eorumque lingua et vocabulis propriis adiungam. Bithynos fuiſſe Thracum ἀπογόνους, teſtantur ſcriptores antiqui, *Strabo* Lib. XII p. 373 [816], *Plinius* Lib. V. cap. ult. p. m. 240, Auctor Etymologici, Ἀλιζῶνες οἱ Βιθυνοὶ, — οἱ δὲ ἐθνικὸν Θρᾳκῶν, *Syncellus* p. 181, Θρᾷκες ἀπὸ Στρύμωνος διαβάντες κατέσχον τὴν νῦν Βιθυνίαν, τότε Βερβυ-

(*b*) Βιθυνίαν τὴν ἀρχαίαν Φρύγιαν, ſcribit *Euſebius* in Chronico p. 12. Deinde vero ait p. 30, Βιθυνία ἐκτίσθη ὑπὸ Φοίνικος ἡ πρὶν Μαριανδυνὴ καλουμένη, atque in Chronico Latino Lib. I p. 15, *Bithynia condita a Phoenice, quae primum Maryandyna vocabatur.* Conf. *Servius* ad Lib. V Aeneid. v. 373.

Herodotum I. 173, atque viri eruditi ad *Stephanum* v. Πισιδία; ubi οἱ Πισίδαι, πρότερον Σόλυμοι· ἔστι δὲ ἔθνος βάρβαρον, κατοικοῦν κατὰ τὸν Ἀσπένδου καὶ τὴν Κιλικίαν. Alia ad h. l. *Holſtenius.* Reſpexiſſe *Heſychium* ad *Homeri* Il. Z, 204 monet *Albertius*, ſed Σολύμοισι ibidem legitur v. 184; quem citavit *Strabo* lib. XIV p. 983, ubi in Codice Mediceo legitur,

— — Σολύμοις μαχέσσατο κυδαλίμοισιν.

βρυχίαν καλουμένην, quae verba ab interpretibus Latine non recte verſa ſunt. Sed inprimis conſulatur *Herodotus* Lib. VII c. 75. Quod adeo verum (*c*) eſt, ut non obſcure colligi poſſit, Bithynos etiam tractu temporis linguae Phrygiae et Thracicae ſemper conſervaſſe veſtigia. *Pauſanias* itaque in Eliacis I p. 159 [406, ubi Ζυποίτης] Zipoetem Bithyniae Dynaſtam Thracem fuiſſe, ex nomine coniectat. Ζειποίτης Rex Bithynorum memoratur quoque a *Plutarcho* in Quaeſtionibus Graecis p. 302. Iuvat iſtam *Pauſaniae* coniecturam *Heſychius*, qui ſic ſcribit, Ζιβυβίδες· αἱ Θρᾷσσαι, ἢ Θρᾷκες γνήσιοι, quod forſitan a Zibyna, haſtae vel gladii genere, deſcendit, vel a veſtimento quodam peculiari, quo in memoriam priſtinae originis uſi fuerunt. Apud *Heſychium* Ζειπίτις [*] mutari debet in Ζειπίτης vel Ζειπύτης, ſi idem.

(*c*) Arcades tamen iactarunt, Bithynos ſanguine ſuo cretos eſſe. Vide *Ez. Spanhemium* in *Iuliani* Caeſares p. 80, 81.

---

[*] *Heſychianum* Ζειπίτις huc non facit. Legatur tamen *Alberti* in notis, unde etiam apparet, illuſtrem *Bimardum* duos Zipoetas in Regum Bithyniorum ſerie deprehendiſſe. Confirmat id *Memnon* Hiſtoricus apud *Photium* Cod. CCXXIV p 720, 721. In ſcriptura nominis peregrini magna eſt lectionis varietas in codicibus MSS. et editis. In editione *Livii* Drakenborchiana lib. XXXVIII. c. 16, legitur, *devictus* Zyboeta *eſt*, *Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis conceſſit*. Vide ibi interpretes. Eſtne *Zielas*, cuius mentio in *Trogi* Prologo lib. XXVII Hiſt. Phil. p. 759, idem qui *Zipoetas*? Ita viſum quibusdam. Meminit *Athenaeus* lib. XI p. 223 ed. nov. Ζηλᾶ, τοῦ Βιθυνῶν βασιλέως, ſed non patet intelligi Zipoeten. Idem dicendum videtur de *Polybio* XXXVII. 2, ubi notarunt *Valeſius* et *Schweighaeuſerus*.

idem rex innuitur, ſed quod dubium facit adiecta vocis explicatio ὁ περιχύτης, quae huc minus pertinet. *Suidae* Ζειπύτης dicitur ὄνομα κύριον. Hoc autem nomen proprium non ſcio extra Bithyniam in uſu fuiſſe. Haud dubie reſpicitur ad Zipoetem, quo nomine apud Hiſtoricos ille Bithyniae princeps vulgo vocatur. Apud *Stephanum Byzantium* v. Ζιποίτιον dicitur haec urbs Bithyniae nomen habere ἀπὸ Ζιποίτου βασιλέως. Cum autem *Pauſanias* ex hoc nomine coniicit, eum fuiſſe origine Thracem, non id ita intelligendum eſt, quaſi Zipoetes ex Thracia in Bithyniam traiecerit primus, ſed hoc linguae Bithynicae tribuendum eſt, quae Phrygiaca et Thracica fuit. Nam ex hiſtoria novimus, patrem iam huius Zipoetis, quin avum et proavum, Bithyniae imperaſſe. Video *Cellarium* hoc neglexiſſe, cum tamen profiteatur, in introductione ad hiſtoriam veterem, ſe hiſtoriam harum regionum in Aſia minori accuratius multo tradere, quam ante ipſum ab aliis factum erat. Ea vero, quae de maioribus et anteceſſoribus Zipoetis cognita habemus, ut plurimum ex *Memnonis* hiſtoria Heracleënſi apud *Photium* [Cod. cc xxiv] petita ſunt. A tempore Zipoetis regnum iſtud clarius evaſit; et a multis multa peti poſſunt, quae ad hiſtoriam illam faciunt. Quandoquidem Bithyni a Phrygibus deſcendebant, et adeo originem Thracicam habebant, ut iam dictum fuit, mirum nequaquam eſt, vocabula quaedam Bithynis et Thracibus fuiſſe communia, atque veſtigia convenientiae inter utramque hanc gentem etiam aetate adhuc ſeriori conſpicua fuiſſe, ut ſtatim patebit. Videamus igitur de paucis vocibus Bithynicis.

ΑΛΙΖΩΝΕΣ nomen Bithynorum. Vid. *Euſtathius* in Iliadem p. 363, 364, et Etymologici Auctor in v.

BEN-

ΒΕΝΔΙΑΙΟΣ nomen menſis. Nomina omnium menſium Bithynicorum ex MS. Graeco exhibet *Ioſ. Scaliger* Lib. I de Emend. Temp. p. 5, et cum quadam diſcrepantia *Vſſerius* de Anno Macedonum p. 41, etiam *Fabricius* in Menologio p. 61. Sunt ea nomina omnia Graeca, praeter unum Βενδιαῖος, qui menſis a Graecis dicebatur Ἀρτεμίσιος.

BRIAZVS nomen Dei et Templi in Bithynia, teſte *Plinio* Lib. XXXI c. 2.

BYZIS antiquiſſimus Bithynorum rex perhibetur Troiae ἁλώσει antiquior. In Thracia *Byzia* eſt arx regum Thraciae, *Byzas*, fundator Byzantii, conſpicitur in numismate apud *Goltzium*. Vid. *Tournefort* Voyag. Tom. II p. 2.

ΓΆΝΟΣ, ἡ ὕαινα ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Βιθυνῶν, ut ſcribit *Heſychius*. Conf. ſupra § 8 [p. 69, ibi not.] Τὴν Γάνου locum eſſe Thraciae, ex *Artemidoro* monet *Harpocration* h. v. itemque *Suidas*.

ΖΉΛΑΣ ſive ΖΗΪ́ΛΑΣ, nomen regis Bithyniae celeberrimi. In Thracia *Zelam* oppidum invenio. Vide *Plinium* Lib. IV c. 11. Apud *Stephanum Byz.* v. Ζήλα legitur, ἔστι καὶ Ζηΐλα — πόλις Καππαδοκίας, ἣν ἔκτισεν ὁ Νικομήδους υἱὸς Ζηΐλας [confer. ſupra p. 110].

ΛΕΒΗΤΩΝΆΡΙΟΝ, genus veſtis Monachorum, cujus nomen ex Pruſaënſium Bithynorum dialecto derivatur a *Suida*, Λεβητωνάριον· χιτὼν μοναχικὴ ἐκ τριχῶν συντεθειμένος, κατὰ τὴν ἐγχώριον γλῶσσαν τῶν Προυσαέων.

ΣΤΡΥΜΌΝΙΟΙ· οἱ Βιθυνοὶ τὸ πρότερον. *Heſychius* ex *Herodoti* Lib. VII c. 75. [Iunge *Stephanum* v. Στρυμών, ibi not.].

ΤΆΡΑΝΤΟΣ. *Stephanus Byzantius* in v. Τάρας ait, ἔστι δὲ καὶ Τάραντος ἀρσενικῶς λεγομένη πόλις

Bi-

Βιθυνίας, ἔνθα τιμᾶται Ταραντῖος Ζεύς [*].

§ 15. *De lingua Mariandynorum.*

Excipiunt Bithynos *Mariandyni*, qui a multis coloni Scytharum existimantur. Vid. Scholiastes ad *Apollonii Rhodii* Lib. II [v. 140] et *Eustathius* in *Dionysii* Perieg. [v. 788 et seqq.]. *Strabo* vero Thraces fuisse affirmat, Lib. VII p. 204 [453], ubi et de Bithynis. Idem Lib. VIII p. 238 [531] ait Mariandynos ortu esse Paphlagonas. Non mirum est, ab aliis annumerari Scythis, sed ab aliis Thracibus, cum Thraces et Scythae apud veteres fere semper confundantur. Ex Mariandynorum [**] lingua aut pauciora vocabula supersunt, aut saltem ad meam cognitionem pervenerunt.

ΑΔΩΝΙΜΑΟΙΔΟΣ nomen est *cantilenae* Mariandynorum, cuius meminit *Pollux* Lib. IV cap. 7 [†].

ΑΚΟΝΙΤΟΝ *veneni* genus celebratissimum apud eos, ut in *Dionysium* tradit *Eustathius* pag. 117 [ad v. 788]. Hinc fortasse emendari potest *Hesychius*, in

---

[*] Exempla ea omnia recte huc referri, equidem ego non dicam. His vero adiungi potuerant:

ΓΑΛΛΟΣ. Scribit *Thomas Mag.* v. Βάκηλος, σημαίνει δὲ τὸν ἀπὸ τετμημένου τὰ αἰδοῖα· ὃν Βιθυνοί τε καὶ Ἀσιανοὶ Γάλλον καλοῦσι.

ΌΚΝΟΣ χαλκοῦς· βούλεται τοῦτο τοῖς Βιθυνοῖς ἐπιχωρίως δίφρου τι νὸς γυναικείου εἶδος εἶναι. Ita *Suidas*.

ΣΑΡΠΟΥΣ· κιβωτούς. Βιθυνοὶ δὲ, ξυλίνους (f. ξυλίνας) οἰκίας. *Hesychius*. Male quondam editum erat Βιθυνοί.

[**] *Pherecrates* apud *Athenaeum* lib. XIV p. 375 loquitur de τοῖς Μαριανδυντῖς ἐκείνοις βαρβάροις.

[†] Est ea vox suspecta, nec pertinet ad Mariandynos, de quibus Segm. 54. Nunc legitur ᾠδὴν ἰμαιοιδές. Vid. notas.

in quo legitur, Ἀκοντικόν· φάρμακον οὕτω καλούμενον. De *Aconito* vide *Ovidium* Lib. VII Metam. Fab. XXII, *Servium* in Lib. II Georg. v. 152. Graecam vel potius localem vocis etymologiam tradit *Theopompus* apud *Athenaeum* Lib. III p. 85. Conferantur *Plinius* Lib. XXVII cap. 2, Auctor Etymologici M. v. Ἀκόνιτον, Scholia ad *Nicandri* Alexipharm. p. 64, 66, et ad *Apollonium Rhodium* Lib. II v. 354 [*]

ΒΩ'ΡΙΜΟΣ quoddam *cantilenae* genus. Scribit *Pollux* Lib. IV cap. 7 [segm. 54], Βώριμος δὲ Μαριανδύνων γεωργῶν ᾆσμα, ὡς Αἰγυπτίων, Μανέρως, καὶ Λιτυέρσας, Φρυγῶν. Et brevi post, ὁ δὲ Βώριμος ἦν Ἰόλλα καὶ Μαριανδύνου ἀδελφὸς, Οὐπίου βασιλέως παῖς. Haec corruptissima sunt. Lege, Ὁ δὲ Βώρμος ἦν Πριολᾶ, vel Πριολάου, καὶ Μαριανδυνοῦ ἀδελφὸς, Τιτύου, vel Τιτίου, βασιλέως παῖς. Vide quae de his omnibus collegi in Excerptis MSS. Historicis [**] de Regno Mariandynorum. Ceterum in universum de Orientalibus observatur, quod propter segnitiem quandam, sibi a natura insitam, se mutuo ad laborem excitare soleant cantando. Vide locum memorabilem in *Chardinii* Peregrinationibus Tom. I p. 127.

ΔΩΡΟΦΟ'ΡΟΥΣ· τοὺς οἰκέτας, Μαριανδηνοί. *Hesychius.* Conf. *Athenaeus* Lib. VI pag. 263 et *Pollux* Lib.

---

[*] Comparetur inprimis *Stephanus Byz.* v. Ἀκόναι, ibi *Berkelius* et *Hoistenius.* Neque Ἀκόνιτον, neque etiam, quod sequitur Δωροφόρους, voces peregrinae sunt et solis Mariandynis vindicandae.

[**] Excerpta ista non sunt inter mea Iablonskiana. — *Polluci* iungatur *Hesychius*, scribens, Βώρμον θρῆνον· ἐπὶ Βώρμου νυμφολήπτου Μαριανδυνοῦ. Plura ibi interpretes, item *Casaubonus* et *Schweighaeuserus* ad *Athenaei* lib. XIV p. 245, ubi quondam Βῶρκον, nunc Βῶρμον editum.

Lib. III cap. 8 [segm. 8]. Pro Μαριανδηνοί legendum est Μαριανδυνοί. In scriptura huius nominis frequenter peccatum est a librariis. Vide interpretes *Stephani Byzantii* in v. Μαριανδυνία.

ΣΑΓΑΡΙΣ *teli* genus, quod quidam Scytharum et Amazonum, alii Persarum fuisse volunt, sed Mariandynis tribuit *Athenaeus* Lib. XII p. 530. Persis attribuitur a *Brissonio* de Regno Persar. p. 271 et *Relando* Part. II Diss. Miscell. p. 227. *Hesychius* vocem expositi, sed nullius gentis mentionem fecit, Σάγαρις· τελέκιον μονόξομον· φαρέτρα. ἄροτρον. Vox postrema suspecta videbatur *Sopingio*, coniicienti legendum ῥόπτρον. Respexit vero Glossographus ad *Herodoti* locum, bene aut male intellectum, Lib. IV cap. 5, ubi similiter iunguntur ἄροτρον et σάγαρις.

ΧΥΤΡΑΣ appellarunt Mariandyni *nigras Caricas*. Vid. *Athenaeus* Lib. XIV p. 653.

§ 16. *De lingua Paphlagonica.*

Sequitur *Paphlagonia*, cuius regionis populus semper maxime barbarus habitus est. Lingua eius nonnullam cum Cappadocica habuit convenientiam, namque *Strabo* ait Lib. XII p. 381 [830] Cappadociam vocabulis Paphlagonicis scatere, qualia sunt *Bagas*, *Biasas*, *Aeniates*, *Ratotes*, *Zar*, *Doces*, vel cum *Casaubono* legendum una voce *Zardoces*, *Tiberus*, vel *Tibius* ex eiusdem emendatione, *Gasys*, *Ologasus* et *Manes*, quae barbariem huius linguae satis declarant. Hinc Paphlagones pro hominibus rudibus et stultis habiti sunt, teste *Luciano* in Pseudom. p. 856[*]. Scri-

[*] Tom. II p. 217. Notabilior autem est *Luciani* locus in Pseudol. § 14, tom. III p. 173, ubi non tantum linguae Paphlagoni-

Scribit *Euſtathius* in Iliad. B. p. 330, Φυλάττεται δὲ ἡ λέξις εἰσέτι καὶ νῦν, εἰ καὶ μὴ ἀκραιφνὴς, ἀλλ' ὑποβάρβαρος περί που τοὺς Παφλαγόνας, οἱ κρωμάχωτοὺς τόπους τοὺς πετρώδεις καὶ οὐ ῥᾴον ἀναβαινομένους φασί, ſed loquitur ibi ſine dubio de recentiori, Graeca nempe, Paphlagonum lingua. Vocem Βέκ, ſive adiecta terminatione Graeca Βεκός, Phrygibus ſignificaſſe *panem*, pag. 19 [68] annotatum eſt, Paphlagonibus tamen quoque tribuit Scholiaſtes in *Ariſtophanis* Nubes p. 149 [ad v. 397]. *Xenophon*, qui cum exercitu ipſe hanc regionem peragravit, Ἀνάβ. Lib. VI haud ita procul ob initio ait, ſaltationem apud ipſos in uſu eſſe, quam *Sidalcen* appellant. Aliam vocem Paphlagonicam *Heſychius* profert in Ἀπολοκαύτωσις, quem locum, ut qui turpiter eſt deformatus, ſtudio praetermitto [**].

§ 17

---

cae meminit, ſed et eamdem coniungit cum lingua Cappadocum et Bactrianorum.

[**] *Xenophontis* mentem minus recte percepiſſe videtur *Jablonskius*. Non *ſaltationem*, ſed *cantum* ſic appellari, ait Hiſtoricus, neque Paphlagonibus iſtam vocem attribuit, ſed Thracibus; et quae hic narrantur, geſta quidem ſunt in Paphlagonia, ſed a Thracibus, qui erant in Graecorum exercitu. Aliam minorem tunc transeunte. Legendum Σιτάλκαν, nomen regis Thracum, cuius laudes canebantur, et de quo *Thucydides* lib. II c. 29, 95, *Diodorus Sic.* lib. XII c. 50. — Qua in editione *Heſychii* inveniatur Ἀπολοκαύτωσις, equidem ignoro, ſed in Hagenoënſi, Schreveliana et Albertina legitur, Ἀποκολοκαύτωσις· παρ' Ἰνδοῖς ἡ συνουσία· ἡ δὲ παρὰ Παφλαγόσι τινῶν χρειμένων τὰ αἰδοῖα δοκεῖν παρέχειν. Locum difficiliorem varii varie aut illuſtrare conantur aut emendare. Vnus omnium eiusdem interpres optimus videtur *Kuſterus*. Eſt autem ſermo de quodam Paphlagonum ritu, ſed neutiquam de ipſorum lingua, ad quam certe non poteſt referri Ἀποκολοκαύτωσις. — Maiori iure vocibus Paphlagonicis annumerabuntur: Γάγγρα *capra*, apud *Stephanum Byz.* h. v., et Ἰόνδη, quo nomine Paphlagonas appellaſſe τὰ ὕπτια τιμάχη, teſtatur Etymologus v. Σκπίρδας.

§ 17. *De lingua Galatarum.*

Tamdem ſuccedunt *Galatae*, quos *Hieronymus* praeter Graecam linguam ea uſos fuiſſe docet, qua Treviri, ut ſupra iam diximus pag. 15 [44]. Atque id hiſtoria eorum confirmat, quam narrant ſcriptores antiqui Graeci et Romani, *Pauſanias*, *Strabo*, *Memnon* in *Photii* Bibliotheca, *Dio Caſſius*, *Livius*, *Valerius Maximus*, plures alii, e quibus eam *Wernsdorfius* in libro de Republica Galatarum a. 1743 docte illuſtravit [*]. Ex eorum lingua ſuperſunt pauciora vocabula, non certe Graecae originis, ſed barbara. Scribit *Pauſanias* in Phocicis p. 354 [890], τὴν δὲ θάμνον ταύτην Ἴωνες μὲν καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν κόκκον, Γαλάται δὲ οἱ ὑπὲρ Φρυγίας φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφίσιν ὀνομάζουσιν ὖς, *quem Ionas quidem et reliqui Graeci coccum*, Galatae *vero*, *qui ſupra Phrygiam ſunt*, patrio ſermone hys *appellant*. Praeeunte *Turnebo* Lib. XIX Adverſar. cap. 25, *Sylburgius*, pro ὖς legendum cenſet ὕσγη. Sed conſulendae hic ſunt notae interpretis Gallici Abbatis *Gedoyni* Tom. IV p. 246 ſq., qui priſtinam lectionem tuetur, atque etiam obſervat, vocem hanc ex priſco Celtarum ſermone hodieque apud Gallos ſupereſſe [**]. Idem *Pauſanias* in libro citato p. 335 [845] vocem affert Μάρκαν, aitque ſignificare *equum*, atque hinc derivat τριμαρκισίαν. *Sylburgius* in notis monet, *Camerarium* maluiſſe Μάρραν, additque, *merras* ſane vulgus etiamnum

[*] Comparetur erudita *E. A. Borgeri* interpretatio epiſtolae Pauli ad Galatas (L. B 1807) p. 4 ſqq

[**] Auctorem ille habuit *Kuhnium*, praeclarum inprimis ſcriptorum Graecorum interpretem, qui item conſulatur de voce Μάρκα p. 845.

num equas appellare. Apud Gallos Europaeos aliam vocem in usu fuisse, arguit *Plinius*, qui Lib. III c. 17 ait: *Eporedicas Galli bonos equorum domitores appellant*; quod a Germanico idiomate non multum abludit. Alii malunt *Eporedias*. Legendum puto *Eporeditas*. Homo linguae huius ignarus non recte vocem protulit. Ad Μάρσαν ut redeamus, nescio, an huc referendum sit, quod apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XIX. p. 174 relatum legimus, Sarmatas, Limigantes pro signo bellico sive classico usos fuisse hac voce, *Marha, Marha*. Omnis certe harum gentium vis bellica in equis sita erat. *Tacitus* Histor. Lib. I cap. 79: *Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum vis, velut extra ipsos, in equis, nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum.* *Ovidius* Trist. Lib. V Eleg. 7 v. 19,

Sarmaticae maior Geticaeque frequentia gentis.
Per medias in equis itque reditque vias.

Et de Ponto Lib. III Eleg. 1,

Pontica tellus
Finitimus rapido quam terit hostis equo.

Idem affirmant *Thucydides* Lib. II [c. 96] p. 59 edit. Herw., *Valerius Flaccus* Lib. VI Argon. v. 161, *Iustinus* Lib. XLI c. 3. De Thracibus id colligas ex *Xenophonte* Lib. I Ἀναβάσ. p. 152 edit. Gr. Steph. Apud Ausones quoque, sive Oscos, haec vox locum videtur obtinuisse. Commemorat *Aelianus* Lib. IX Var. Hist. c. 16, antiquissimo Ausonum tempore fuisse virum quemdam Μάρην, sic dictum, quod ex dimidio vir, ex dimidio equus fuerit. Vox haec altera sui parte videtur esse truncata. Etenim sive *Mar* equum no-

notat, sive, quod fere malim, virum notaverit, vox non est integra. *Mar* autem Oscorum vetusta lingua virum seu hominem dictum fuisse, ex nonnullis Oscis vocabulis colligo. Sic *Momar* stultus homo, *Casnar* seu *Casmar* est senex homo (*a*). Quae *Hesychius* et alii e Galatarum lingua afferunt, incertum est, sintne ea ad Celtas Asianos, an vero ad Europaeos referenda. Praeterea ex *Hieronymi* testimonio tantum scimus, quantum ad nostram rem erat necessarium.

§ 18. De *lingua Lycaonica. Lycaones eamdem cum Cappadocibus habuisse linguam, adstruitur.*

Quae hactenus disputavimus, sunt nobis cuidam velut munimento, quod adversariorum impetus frangat, nobis vero praesidium et securitatem praestet, ut tutius in hac arena versari possimus. Etenim, ut Phryges, Lydos et Cares taceam, si Mariandyni, si Paphlagones et istius orae gentes semper barbarae perstiterunt, et si istae linguae non e Graecia profectae sunt, quanto magis id de sermone *Lycaonum* dicendum est, qui non modo Graeci commercii expertes fuerunt, sed ne Regi quidem Persarum, cum is totam Asiam in sua fide habuit, obtemperare voluerunt. Quod

(*a*) Parum abest, quin haec retractem, et observationem meam, quae inter scribendum mihi sese quondam obtulit, nunc ipse reiiciam. *Momar* enim videtur ex Sicilia et a Graecis Doribus et Aeolibus in Italiam perveniisse. *Hesychius* ait, Μῶμαρ, μέμψις, ὄνειδος, αἶσχος. Notavit hoc iam *Scaliger* ad *Festum*, cuius verba sunt: *Momar*, Siculi stultum vocant. Scholiastes *Lycophronis* p. 91 [ad v. 1174] et *Eustathius* ad Iliad. A p. 154 Μῶμαρ explicant Μῶμος.

Quod ſcriptor optimus, quique haec ſuis oculis ſubiecit, *Xenophon* teſtatur, Lib. III Ἀναβ. [c. 2 § 14] p. 208, ſive p. 179 ed. Graecae Steph. Λυκάονες δὲ, inquit, καὶ αὐτοὶ εἴδομεν, ὅτι ἐν τοῖς πεδίοις τὰ ἐρυμνὰ καταλαβόντες τὴν τούτου χώραν καρποῦνται, *Lycaones autem ſcimus, occupatis camporum monumentis, impune ex eiusdem*, regis, *agro victum ſibi quaerere.* Quod mirum non eſt, ſiquidem montibus collibusque circumſepta clauſaque tota eſt Lycaonia, niſi qua Cappadocibus patet. Conf. *Strabo* p. 370 [811]. De montibus Iſaurorum, qui Ciliciam inter et Lycaoniam habitabant, in Anthologia MS. Epigr. CCXCVII, v. 10, πετράων τ' ἐφ' ὑπέρθεν ἁλισκάζοντας Ἰσαύρους. Vnde fit, ut ante Alexandri M. tempora rariſſimam gentis Lycaonicae, linguae vero nullam mentionem fieri videas. *Plinius* propterea gentem hanc *ignobilem* vocat Lib. V c. 29: *Conveniunt* (*b*) *Lycaones, Appiani, Eutherpeni, Dorylaei, Midaei, Iulicenſes, et reliqui ignobiles populi* XV, Ad ultimum Lycaones, quamvis eſſent ἴδριες ἐν πολέμοισι, bellicoſi, ut obſervat *Dionyſius* Perieg. v. 857, Alexandro tamen M. non reſtiterunt, ſed potentiae cedentes ſe dediderunt, ut *Curtius* memoriae prodidit Lib. IV cap. 5. Poſtquam Alexander diem ſuum obiit, varios experti ſunt dominos, quorum nonnullos *Arrianus* commemorat, de rebus poſt Alexandrum M. geſtis apud *Photium* Codice XC. Sequentibus vero temporibus Lycaoniam nunc Cappado-

(*b*) Quid per *Conventus* et *Convenire* ſignificet *Plinius*, vide apud eumdem l. c. in antec. et ſeqq. Idem Lib. III c. 4 *Conventus Hispalenſis* p. 135 et paulo poſt, atque c. 3 *Univerſa Provincia dividitur in Conventus ſeptem*, et, *Carthaginem conveniunt populi* LXI.

dociae (*c*) reges, nunc peculiares tyranni tenuerunt ſibi ſubiectam, donec a Romanis ſub Auguſto in Provinciam redigeretur. Quibus ultimis temporibus, ut plurimi Orientis populi, linguam Graecam (*d*) didicerunt, ſic tamen, ut patrium ſermonem retinerent et δίγλωττοι (*e*) eſſent; quod etiam ille Actorum Apo-

(*c*) Filiis Ariarathis, regis Cappadociae Lycaonia et Cilicia datae ſunt, teſte *Iuſtino* Lib. XXXVIII c. 1. De Amynta Principe Lycaoniae videndus *Dio Caſſius* Lib. XLIX p. 411 [592]. Seculo ſecundo poſt C. N. Lycaonia cum aliis Aſiae minoris Provinciis paruit uni Proconſuli. Vide Inſcriptionem memoratam a *Conſtantino Porphyrogenneta*, et ex eo a *Reineſio* relatam in Syntagma ſuum p. 435, ubi notas quoque conſule.

(*d*) Vſum linguae Latinae, poſtquam Lycaonia Romanis paruit, ut narrat *Dio Caſſius* Lib. LIII p. 514 [721], apud Lycaones obtinuiſſe non dubitamus. *Plinius* Lib. III c. 5 de Italia loquens ait: *quae tot populorum diſcordes ferasque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquium* &c.

(*e*) Dicas eos *iam bilingues*, *paullatim a domeſtico externoque ſermone degeneres*, cum *Curtio* Lib. VII c. 5. § 29, vel etiam *trilingues*, uti Siculos appellat *Apuleius* Lib. II Metam. in principio. Poſtremis autem Graecorum et Romanorum temporibus, ſermo Graecus apud populos alioquin barbaros invaluit, ut omnes ferme, praeſertim vero Optimates, ſin minus loqui Graece, at intelligere tamen aut omnia aut plurima poſſent. Hinc dicti ſunt μιξοβάρβαροι et ἡμιβάρβαροι, ut ſupra dixi § 5 [p. 36, ibi not]. Duplici modo ſic dici poſſunt, aut ratione linguae, qua uſi ſunt, aut propter nativitatem e parentibus Graecis et Barbaris. Sic Cyrus dicitur Semi-Perſa. Vide *Apuleii* Apologiam p. 289 edit. Elmenhorſtii. Iunge *Virgilium* VIII Aen. v. 510, qui Evandrum ait miſtum matre Sabella. Sed apud *Agathiam* Lib. III p 69 Ἑλληνογαλάτης τὸ γένος idem eſt, quem Latini appellant *Gallo-Graecum*.

Apoſtol. locus, de quo ſermo eſt, oſtendit planumque facit. Magis etiam Lycaones Graeco ſermoni aſſueviſſe, quando ſancta Euangelii doctrina apud eos incrementa ſumſit, prorſus veriſimile eſt; quod non diu poſt Apoſtolorum tempora contigit. Atque diſcimus ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, Epiſcopum Iconienſem Lycaoniae Metropolitanum in magna auctoritate ab antiquis inde temporibus fuiſſe. Seculo tertio legimus omnes illius orae Epiſcopos Iconium confluxiſſe, ut Concilium haberent, de quo *Baronius* ad annum 258 n. 14 et 15 [*]. Seculo autem quarto in Synodo habita Sidae, quae eſt civitas Pamphyliae, Amphilochius Iconii Epiſcopus ἐξῆρχε τῆς Συνόδου, συνεδρευόντων αὐτῷ καὶ ἑτέρων Ἐπισκόπων κέ, *praefuit Synodo, aſſidentibus aliis etiam Epiſcopis numero* XXV, ut eſt in Excerptis huius Synodi apud *Photium* Cod. LII p. 17 ed. Hoeſchel. [38]. Accenſet quidem *Firmilianus*, in Epiſtola ad *Cyprianum* de Synodo Iconienſi p. 221 ed. Felli Oxon., hanc civitatem Phrygiae, non ſecus ac *Xenophon* Lib. I Ἀναβασ. [c. 2 § 19] p. 147. ed. Steph. Graecae [**]. Sed diverſa ratio eſt. *Firmilianus* enim hoc fecit propter ignobile Lycaoniae nomen, et quod ſenſim obliteratum eſt, adſcribentibus aliis Lycaoniam Phrygiae, aliis Cappadociae. *Xenophon* vero eam civitatem

[*] De tempore habitae Synodi Iconienſis a *Baronio*, *Binio* aliisque diſſentit *Valeſius* ad *Euſebii* H. E. VII. 7. Diſſentiunt pariter *Pagius* et *Harduinus*. Conf. *Manſius* not. ad novam et ampliſſimam Conciliorum Collectionem tom. I p. 909 ſqq

[**] Item ſcriptor Actorum Iuſtini Martyris, in *Ruinarti* Actis Martyrum ſinceris p. 59 § 3, cuius coniectura, ex qua pro *Iconio Phrygiae* legendum *Iconio Lycaoniae*, non probabilis videtur, ut e *Xenophontis* verbis intelligi poteſt.

tem facit terminum Phrygiae ad Lycaoniam. Verum omnes Geographi et ſcriptores alii, *Strabo*, *Ptolemaeus*, *Stephanus*, *Cicero*, Iconium dixerunt eſſe urbem aut ipſam Metropolin Lycaoniae (*f*); et res ipſa loquitur; Iconium non ad Phrygiam, ſed ad Lycaoniam pertinere, ſi has regiones a ſe invicem diſtinguas, quemadmodum *Cellarius* et alii Geographi recentiores recte fecerunt.

Sed quis tamdem ille Lycaonum patrius et avitus ſermo fuit, ſi non e Graecia promanavit, an peculiaris quidam, an vero ex vicinorum dialectis commixtus? Veritatem, ut opinor, aſſecutus eſt illuſtris *H. Grotius*, quem ſupra [p. 7] diximus, linguam hanc habere pro Cappadocica. Nihil eſt, quod iure obiicere poſſimus; ſed et e contrario, quantum vires permittent, pluribus iſtam ſententiam ex *Strabone* ſtabilire conabimur. Id vero non ita accipi velim, ut Lycaones linguam Cappadocicam, antiquam illam, puram conſervaſſe contendam; immo id facile largitus fuerim, ipſos, ut poſt Alexandri M. tempora e ſermone Graeco, ita ex vicinis etiam linguis quaedam accepiſſe. Iconium ſane, ut modo retuli, tamquam extremam Phrygiae urbem intranti Lycaoniam, de-

(*f*) Adſcribam unius *Ptolemaei* locum, Lib. IV cap. 6. Sub Cappadocia complures eius Praefecturas, et inter illas Lycaoniam quoque comprehendit. Commemoratis aliis Cappadociae Praefecturis, tamdem ad Lycaoniam venit; huiusque urbes numerantur Ἀδόπισσος, Κάννα, Ἰκόνιον, Παραλαΐς, Κόρνα, Κάσβια, Βάρκτα. Obſervatu dignum eſt, quamvis huc minus pertineat, *Coniam*, cuius ſaepius fit mentio ab *Abulpharaio*, non differre ab Iconio, et ſeculo XIII ac XIV fuiſſe Metropolin totius Aſiae minoris. Vid. *Herbeloti* Bibliotheca Orientalis, voce *Abaka-Khan*. [t. I p. 5].

deſcribit *Xenophon* Lib. I Ἀναβασ p. 170. Ex quo intelligimus, iis multum cum Phrygibus commercii interceſſiſſe. In eo aſſentior Viro ſummo, patriam eorum et avitam linguam fuiſſe Cappadocicam. *Strabo* Lib. XII ſub initium commemorat, Cappadoces peculiari lingua uti, eosque, qui illa lingua utuntur, verſus meridiem terminari Cilicio Tauro, verſus orientem Armenia et Colchide, verſus Septemtrionem Euxino mari usque ad Halys fluminis oſtia, verſus occaſum Paphlagonica natione et Galatis, Lycaoniam usque et Ciliciam asperam. Videntur hic Lycaones excludi, ſed ſi rem accuratius perpendamus, contrarium nullo negotio ex *Strabone* eliciemus. Etenim ſi e Galatia proficiſcaris, in Lycaoniam venis, et tamdem in Ciliciam asperam. Iam vero ſi Lycaonia eſt terminus, non poteſt eſſe Cilicia aspera, quae Lycaoniam ſequitur, et ab ea Tauro monte dividitur. Itaque Lycaoniam includas, plane neceſſarium eſt, id quod etiam tota illa deſcriptio aliaque inſuper argumenta evincunt. Ita idem *Strabo* ait p. 371 [813], longitudinem Cappadociae ὁμογλώσσου a Lycaonia et Phrygia ad Euphratem usque patere (*g*). At Phrygia pone Lycaoniam ſita eſt. Quodſi itaque ex mente *Strabonis* accurate terminos ponere velis, a Phrygia incipiendum incluſa Lycaonia, et usque ad Armeniam pergendum eſt. Quam late extenditur Taurus et Antitaurus, ſoli Cappadoces et Lycaones habitarunt. Finis Tauri ab altero latere Cappadociam, ab altero Lycaoniam terminabat,

(*g*) Verba *Strabonis* ſunt, μῆκος δὲ ἀπὸ τῆς Λυκαονίας καὶ Φρυγίας κ. λ. Conf. *Herodotus* Lib. IV c. 49, 52. Poteſt ad hunc loquendi modum trahi illa phraſis, quam Poëtis familiarem eſſe obſervat *Strabo* Lib. VIII p. 235 et ex illo *Euſtathius* in Iliad. B. p. 305.

bat, ut adeo hae gentes fere pro una habendae ſint. Et ſic *Strabo* dicto iam Libro XII p. 392 [853], Πλησιάζει δ' ἤδη τούτοις τοῖς τόποις ὁ Ταῦρος, ὁ τὴν Καππαδοκίαν ὁρίζων καὶ τὴν Λυκαονίαν, πρὸς τοὺς ὑπερκειμένους Κίλικας τοὺς τραχιώτας, *ad haec loca iam Taurus accedit, Cappadociam et Lycaoniam diſtinguens a Cilicibus ſupraiacentibus, qui Trachiotae ab asperitate regionis dicuntur.* Tempore Artaxerxis Mnemonis Lycaones etiam cum Cappadocibus uni ſubiecti erant Satrapae, teſte *Xenophonte* Lib. VII Ἀναβάσ. in fine. Legimus autem apud *Strabonem* p. 370 [811], Siſynum, qui Cappadocum regnum affectavit, in montibus Lycaoniae regiam ſuam habuiſſe. Praeterea, ſaepenumero Cappadocum nomine incluſos fuiſſe Lycaones, in priſcis ſcriptoribus facile, qui volet, deprehendet. Vt e multis uno utar exemplo, ſcribit *Plinius* Lib. VIII c. 58, Onagros non tranſire montem, qui Cappadociam a Cilicia dividit, ubi nomine Cappadociae Lycaoniam quoque intelligendam recte monent interpretes, inprimis quia Onagri ſigillatim Lycaoniae attribuuntur. Conf *Varro* de Re Ruſtica Lib. II cap. 6, et ipſe *Plinius* L. VIII c. 44, [*Strabo* lib. XII p. 852.]

Quae quidem omnia ſi ſecum invicem comparentur, et cum aliis ſcriptoribus contendantur, perſpicuum fore ſpero, veram eſſe *Grotii* ſententiam, adeoque linguam Lycaonicam non fuiſſe diverſam a Cappadocica. Quod tamen cum dico, inficias ire nolo, complura in uſu apud Lycaones fuiſſe vocabula, quae Cappadocibus ignota fuerint. Ex eo genere fortaſſe fuit vox Ζάρβα, quam *Relandus* Parte II Diſſ. Miſcell. p. 262 ad veterem Perſarum linguam refert. Mihi videtur Lycaonica ſive Iſaurica. Scribit *Suidas* in v. Μουσουργοὶ, Ψάλτριαι· Αἱ δὲ μουσουργοὶ βάρβαροι ἦσαν γυναῖκες· ὄνομα αὐταῖς ἐπιχώριον Ζάρβα. — ὁ

δὲ

δὲ Ἀβαρζάκιος, lege: Ἀρβαζάκιος, μουσουργοῖς συνέζη. τοσαύταις, ὅσα οὔτ' ἐκείνοις ἀριθμεῖν εἶχεν κ. λ. Hic vero Arbazacius erat Iſaurus, ut idem *Suidas* habet in Ἀρβαζάκιος, ubi tamen et dicitur, quod ex Armenia fuerit.

§ 19. *De lingua Cappadocum, quam fuiſſe vetuſtam Aſſyriacam exiſtimamus.*

Sic fere tamdem ad finem pervenimus. Reſtat unum, ut, quae fuerit *Cappadocum* lingua, breviter disquiramus. Atque id nunc non examinabo, ſitne peculiaris lingua; nam ea, quae modo ex *Strabone* pro lingua Lycaonica afferebam, de hac re nos dubitare non ſinunt [*]. Ceterum, cum pauca admodum de lingua vetuſta Cappadocum comperta nobis ſint, certi aliquid definire vix licet. Quoties vero hac de re cogitavi, ſuſpicatus diu ſum, fuiſſe hanc linguam eamdem cum vetuſta Aſſyria. *Bochartus*, vir inſignis, ita de Cappadocibus ſentit: *non abhorruiſſe eorum ſermonem a Syrio, ſed fuiſſe impuriſſimum*, in Phaleg. col. 535. Cuius ſententiae hanc etiam

[*] Non tantum *Lucianus* iungit linguam Cappadocum, Paphlagonum et Bactrianorum, in Pſeudol. § 14, ſed dicitur etiam *Apollonius Tyanenſis*, et adeo Cappadox, librum de Sacrificiis ſcripſiſſe τῇ ἰανικοῦ φωνῇ, ſermone vernaculo, id eſt, lingua Cappadocum, ut monet *Olearius* ad *Philoſtratum* de V. A lib. IV c. 19. Dialectum vero Atticam intelligendam exiſtimat *Fabricius* vol. IV Bibl. Gr. p. 61. An recte, dubito ob ea, quae de eodem *Apollonii* libro ſcribit *Philoſtratus* lib. III c. 41. Huius autem verba de Vit. Sophiſt. lib. II c. 13, non pertinere videntur ad linguam Cappadocum, ſed ad horum pronunciationem linguae Graecae craſſam et duram: a quo vitio Apollonius fuit immunis, ſi vera narrat *Philoſtratus* lib. I c. 7, 14, 17.

etiam reddit rationem, quod *Leucoſyri* dicantur apud *Stephanum Byzantium*. Si memoria veterem hiſtoriam repetimus, Cappadociam primum Aſſyriae accenſitam fuiſſe cognoſcimus. Docet id vetus isque eruditus *Apollonii Rhodii* Scholiaſtes in Lib. II v. 948, Ἀσσυρίαν εἶπε τὴν Συρίαν τὴν Καππαδοκίαν· ἐκαλεῖτο δὲ πάλαι Συρία, ubi ipſe Poëta loquitur de Sinope urbe Aſſyriaca, quae erat in Paphlagonia (*h*). Idem Scholiaſtes ad v. 966 Aſſyriam, illic memoratam, interpretatur Leucoſyriam. Conf. *Strabo* Lib. XVI init. Cum Aſſyriorum nomen ferme obſoletum eſſet, eique Syriae appellatio ſuccederet, etiam Cappadoces Syri vocati ſunt, et quo a ceteris Syris distinguerentur, Leucoſyri dicti ſunt. De Leucoſyris nihil addam, cum res ex *Strabone*, *Stephano*, Scholiaſte *Apollonii*, *Euſtathio* aliisque nota ſit, praeter hoc *Heſychii*, Λευκόσυρος· Βαβυλώνιος λευκόχροος, et *Photii* in Lexico MS. Λευκόσυροι· οἱ Καππάδοκες, καὶ οὓς οἱ Ἴωνες Σύρους, nempe καλοῦσι. Sunt ergo iidem Cappadoces, Syri, Leucoſyri et Babylonii. Notabilis admodum eſt *Herodoti* locus Lib. I c. 72 ſcribentis, Οἱ δὲ Καππαδόκαι ὑπ' Ἑλλήνων Σύριοι ὀνομάζονται· ἔσαν δὲ οἱ Σύριοι οὗτοι, τὸ μὲν πρότερον ἢ Πέρσας ἄρξαι, Μήδων κατήκοοι, τότε δὲ Κύρου, *Cappadoces autem a Graecis Syri nominantur, et erant hi Syri, antequam Perſae imperitarent, ditionis Medorum, tunc vero Cyro parebant.* Ipſum Cappadociae nomen Perſicum eſt, ſi *Herodoto* aſſentimur, ut equidem facile aſſentior, cuius hic eſt locus Lib. VII cap.

(*h*) Hinc Syri dicuntur tempore Herculis tenuiſſe Sinopen, quibus eam urbem Autolycus Graecus eripuerit. Vid. *Plutarchus* in Lucullo pag. 925, 926 edit. Steph.

cap. 72, οἱ δὲ Σύροι οὗτοι ὑπὸ Περσέων Καππαδόκαι καλέονται (*i*). Certe reges Cappadociae ad Cyrum Perſam retuliſſe genus ſuum, teſtatur *Diodorus Siculus* Lib. XXXI, apud *Photium* Cod. CCXLIV [p. 1157, t. II p. 517 edit. *Weſſelingii*]. Sacra Cappadocum fuerunt etiam Perſica, teſte *Strabone* Lib. XV p. 504 [1065]. Nomina menſium Cappadocicorum perhibentur Perſica eſſe, ut infra dicetur (*k*). De lingua Aſſyria-

(*i*) Verius id iudico, quam quod *Plinius* affirmat Lib. VI c. 3, a Cappadoce amne fuiſſe cognominatos Cappadoces, vel etiam a conditore gentis Cappadoco, ut legitur apud *Stephanum Byz.* v. Καππαδοκία, qui provocat ad *Herodotum*, ſed apud quem id fruſtra quaeritur. Aut lectio corrupta eſt ſubſtituendumque nomen *Herodiani* vel ſimile, aut ipſa *Herodoti* verba, ex gr. Lib. I c. 72, v. 49, VII. 72, exciderunt culpa librariorum.

(*k*) In *Brenneri* Excerptis ex *Moſe Chorenenſi* Armeno p. 7 haec leguntur: *Ipſe*, Aram rex Armeniae, Nino antiquior, *in Cappadociam progrediens pugnaturus obviam habuit* Paiapen Kakam, *virum de ſtirpe Chami, qui tyrannidem ſuam exercebat a Mari Pontico usque ad Oceanum, quem profugatum coëgit Aram fugere in inſulam quandam maris Aſiatici. Reliquit deinde ad cuſtodiam regionis quemdam Armenum Ducem nomine* Miſak, *cum pluribus hominum millibus, ipſe vero rediit in Armeniam, mandans prius ſubiectae regionis incolis, ut Armenice diſcerent. Dux ergo, cum illic civitatem aedificaſſet, eam a ſuo nomine vocavit, quam tamen imperfecta prononciatione dicebant* Maſak, *quae multa poſt tempora a Caeſare dicta eſt Caeſarea.* Cum hac narratione conferri poſſent verba *Strabonis* Lib. I p. 28 et 29 [70, 71] de cognatione Armeniorum, Syrorum et Arabum κατὰ τὴν διάλεκτον, etiam Aſſyriorum, Arianorum et Armeniorum, et Lib. II p. 58 [138, 139], ubi de Semiramide et Nino, Syris dictis, ὧν τῆς μὲν ἡ Βαβυλὼν κτίσμα καὶ βασίλειον, τοῦ δὲ, Νῖνος, ὡς ἂν μητρόπολις, τῆς Συρίας· καὶ τῆς διαλέκτου δὲ μέχρι νῦν διαμενούσης τῆς αὐτῆς, τοῖς τε ἐκτὸς τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῖς ἐντός.

rlaca ſunt, qui dicunt, eam fuiſſe Chaldaicam ipſam, alii argumentis non contemnendis commoti aliter ſtatuunt. Conferatur inprimis *Seldenus* de Diis Syris in Prolegom. cap. 2. Non noſtrum nunc erit, inter ſummos viros tantam litem componere, quae etiam ad rem, de qua agitur, minus pertinet (*l*). Illud ta-

(*l*) Chaldaeorum et Babyloniorum nomen promiscue uſurpatur in Sacris Literis, Ierem. XXXVII et XXXVIII, Ezech. XXXII, 15, 16, 17, Aſſyrii vero a Chaldaeis et Babyloniis diſtinguuntur, Ierem. L. 17, 18, Ezech. XXIII. 23. Recte igitur Babylonii dicuntur ab *Horatio* aliisque, ut in contextu monebo, quamvis *Aelianus* Lib. IV Var. Hiſt. cap. 20 videatur Chaldaeos habuiſſe diverſos a Babyloniis, ſcribens, πρὸς τοὺς Χαλδαίους, καὶ εἰς Βαβυλῶνα, καὶ πρὸς τοὺς Μάγους [ad q. l. omnino legendus *Perizonius*]. Male autem alii Aſſyrios, proprie ſic dictos, cum Babyloniis et Chaldaeis confundunt, *Suidas* v. Ἀσσύριοι, Auctor Etymologici M., *Heſychius*, apud quem Ἀσσυρία· ἡ Χαλδαϊκή· Ἀσσυρίᾳ· τῇ Χαλδαϊκῇ, [et loco alieno poſt vocem Ἀσυρῇ, Ἀσσυρίων· Χαλδαίων]. Iungatur *Origenes* contra Celſum Lib. VI p. 285 [693], coll. Daniele I. 4. Lubens fateor, nomine Aſſyriae antiquiſſimis temporibus non ſolam Aſſyriam fuiſſe ſignificatam, verum et complura alia regna, quorum potiti erant Aſſyrii, non raro comprehenſa fuiſſe. Hinc fit, ut omnis illa Aſiae ora veteribus cognita a Iudaea et Syria ad Indiam usque fere a quibusdam communi Aſſyriae nomine indicetur. Sic Diodorus pater, qui fuit rex Tyrius, dicitur rex Aſſyriorum a *Servio* ad Lib. I Aeneid. v. 646, quem etiam vide ad v. 733. Carrae vocantur Aſſyriae a *Lucano* Lib. I v. 105. Conſiderandus etiam locus *Xenophontis* Lib. VIII Cyrop. p. 128 ed. Steph. Gr. Neque hoc nego, Babylonios ſive Chaldaeos, debellatos ab Aſſyriis, horum nomine aliquando appellatos eſſe. Inde lux affulget verbis Michae v. 5. Pariter largior, ſub lingua Aſſyria nonnumquam intelligi linguam Chaldaeam et Hebraeam, unde *Themiſtius* Orat. VII p. 89 et XI p. 147. Proverbia Salomo-

tamen certum esse existimo, Assyrios literis Chaldaicis usos fuisse. Refert *Athenaeus* Lib. XII p. 529, prope Sardanapali tumulum duas columnas lapideas fuisse, in quibus Χαλδαϊκοῖς γράμμασιν, Chaldaicis (*m*) literis, elogium exaratum fuerit, a Choerilo postmodum metrorum lege ac numeris versu n[*]. *Arrianus* de Expedit. Alex. Lib. II p. 91 [66, 67] eiusdem Sardanapali monumentum commemorat, τὸ, ait, ἐπίγραμμα ἐπιγέγραπτο αὐτῷ, Ἀσσύρια γράμματα· οἱ μὲν Ἀσσύριοι καὶ μέτρον ἔφασκον ἐπεῖναι τῷ ἐπιγράμματι, *inscriptio addita erat Assyriis literis, cui metrum subesse Assyrii dicebant.* Conf. de eâ in-

nis vocat Ἀσσύρια γράμματα [comparentur *Gale* ad *Iamblichum* de Myst. p. 291, et *Perizonius* in Orig. Babyl. p. 10, 66 sqq.]. Vt autem in Sacro Codice, quemadmodum vidimus, Assyrii distinguuntur a Babyloniis sive Chaldaeis, ita etiam a *Xenophonte* Lib. II Cyrop. [c. 2 § 1] p. 23, ὁ δὲ Ἀσσύριος, inquit, ὁ Βαβυλῶνά τε ἔχων καὶ τὴν ἄλλην Ἀσσυρίαν. *Eusebius* in Chronico p. 11 diversam Assyriorum et Chaldaeorum originem refert; Arphaxadum enim Chaldaeos, Assurem Assyrios condidisse, auctor est; et hinc Babyloniam ab Assyria discernit, uti quoque fecit *Origenes* c. Celsum p. 252 [332]. Existimo igitur, veterem Assyriorum linguam fuisse diversam a sermone Babylonico sive Chaldaico.

(*m*) Persae etiam Chaldaicis literis usi videntur, ut colligi potest ex *Herodoto* Lib. IV c. 87, quem locum non neglexit Vir doctissimus *La Croze* in dissertatione, inserta Collectioni Precum Dominicarum Chamberleynianae p. 129, 130. Persicae tamen literae vocantur a *Strabone* Lib. XV p. 502, ἐπίγραμμα δ' εἶναι Ἑλληνικὸν Περσικοῖς κεχαραγμένον γράμμασιν.

---

[*] Eaedem literae Chaldaicae appellantur ab *Aristobulo* Ἀσσύρια γράμματα. Vid. *Athenaeus* lib. XII p. 468, 469. ed. novae.

inſcriptione. *Strabonem* Lib. XIV p. 464 [672], *Athenaeum* p. 529 et 530, *Heſychium* in v. Σαρδανάπαλος [ibi *Alberti*], et alios. Literae Aſſyriacae ab aliis dicuntur Syriae. *Xenophon* Lib. VII Cyrop. [c. 3] p. 127, vel p. 110 ed. Gr. Steph., ſuper tumulum Abradatae Suſiorum Principis atque uxoris eius Pantheae excitatam fuiſſe columnam refert, καὶ ἐπιγεγράφθαι φασὶ τὰ ὀνόματα, Σύρια γράμματα, *atque eorum nomina inſcripta eſſe dicunt Syriis literis.* A Iudaeis vero illa ſcriptura etiam hodie appellatur אשורית *Aſſyriaca* (*n*). Et quid mirum eſt, Chaldaicas literas Aſſyriis uſitatas fuiſſe, cum Chaldaei fuerint ipſorum ſapientes, non aliter ac Perſarum Magi, et Aegyptiorum Προφῆται, ita enim *Heliodorus* et alii appellant, quos *Herodotus* ἱερέας. Chaldaei ſaepenumero propterea Babylonii nominantur. V'd *Diodorus Sic.* Lib. II [c. 29] p. 115. *Horatius* Lib. I Carm. Od. VIII,

Nec Babylonios
Tentaris numeros.

Ita quoque *Macrobius* Lib. I Saturnal. c. 3 Chaldaeos appellat Babylonios. Hinc Magi Babylonii memorantur a *Luciano* In Necyom. [t. I p. 463]. Dicit

(*n*) Vid. *Iſ. Voſſius* de LXX interpretibus p. 13, 14, *Lightfootus* in Matth. v. 18, *Kircherus* in Oedipo Tom. II Parte I p. 81 ſqq., *Rhenferdius* in Operibus Philolog. p. 243. Adderem verba *Plinii* Lib. VII c. 56, *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe*, niſi forte cum *Perizonio* in Originibus Babylonicis [p. 10, cui aſſentitur *Alb. Schultens* Inſtit. Ling. Hebraeae p. 14] legendum eſſet *Aſſyriis.*

Dicit eos *Aelianus* Lib. I Hiſt. Anim. c. 22 Βαβυλωνίους τε καὶ Χαλδαίους σοφούς. Iunguntur Chaldaei et Babyloniorum vates a *Curtio* Lib. V c. 1 § 22. Atque veriſimile eſt, illam linguam Chaldaicam fuiſſe eruditorum in Aſſyria et aulicorum. De communi vero Aſſyria dialecto res dubia manet.

Aut forte lingua Cappadocum antiqua fuit lingua vetuſta Medica. Ita certe ſuſpicabatur Vir eruditiſſimus *La Croze*, ex ipſo Cappadocum nomine, et quibusdam nominibus propriis aliis. Inter populos a Iapheto oriundos non intelligere literas Cappadoces, ſed Medos, ſcribit *Euſebius* in Chronico p. 12. Videntur igitur Medi ſuam linguam in Cappadocia propagaſſe. Diverſitas autem linguae Medorum ab aliis, aut earumdem ſimilitudo aperte docetur a *Strabone* Lib. XV p. 498 et 500 [1054 et 1057]. De Arianis, Perſis, Medis, Bactrianis ſeptemtrionalibus et Sogdianis ait, εἰσὶ γάρ πως καὶ ὁμόγλωττοι παρὰ μικρόν, eſſe eos quaſi eiusdem linguae. Carmanitarum mores et ſermonem, τὴν διάλεκτον, maxima ex parte cum Perſarum ac Medorum moribus et ſermone convenire, auctore Nearcho Geographus affirmat [*].

Sed tempus eſt, ut ad linguam Cappadocicam redeam. Pauca nobis ex illa ſunt reliqua, plura tamen procul dubio, quam a me afferri poſſunt, qui olim ob aetatis imbecillitatem, poſtea propter temporis anguſtiam et negotia alia, rem hanc ea induſtria et ſolertia, qua oportebat, idoneus non ſum accurate proſequi.

De

[*] Damis Ninius apud *Philoſtratum* de Vita Apoll. lib. I c. 19, τὰς φωνὰς τῶν βαρβάρων, ὅπόσαι εἰσὶν, εἰσὶ δὲ, ἄλλη μὲν Ἀρμενίων, ἄλλη δὲ Μήδων τε καὶ Περσῶν, ἄλλη δὲ Καδουσίων, μεταλαμβάνω δὲ πάσας.

De origine linguae Cappadocicae hactenus diximus. Mutationem posthac variam perpessam esse, quis negaverit? Nam, ut Aegyptiorum, Scytharum Persarumque imperium taceam, ex sola Paphlagonum lingua in Cappadocicam linguam multa defluxisse, *Strabo* docet Lib. XII p. 380, 381 [830].

AMBROSIA, quatenus est nomen alicuius *herbae*, de qua *Plinius* Libr. XXVII c. 4 et 8, videtur vocabulum Cappadocum.

ARGAEVS mons est Cappadociae, quem pro Deo coluerunt Cappadoces, de quo multa viri eruditi iam annotarunt.

ARMALA. Hoc nomine Cappadoces *rutam hortensem* appellarunt. Vid. *Apuleius* de Herbis cap. 89. Confer *Bochartum* in Geographia S. p. 754. Syris *Harmala* tribuit Auctor Appendicis *Dioscoridis* Lib. III cap. 53.

'ΑΠΟΜΕ'ΝΑΜΑ nomen *mensis* Cappadocicum. Nomina mensium omnium Cappadocibus [*] usitata ex antiquo scriptore *H. Stephanus* in Thesaurum Graecum retulit. Ea vero esse plane Persica existimat *Relandus* Part. II Diss. Miscell. p. 129.

'ΑΡΑΙΟ'ΤΑΤΑ est nomen *mensis* apud Cappadoces. Non audeo affirmare, eumdem mensem dictum fuisse aut 'Ατρτᾶ, aut 'Αρατατᾶ. Sextum Ianuarii Romanorum diem respondere decimo tertio 'Ατρτᾶ Cappadocum, observat *Epiphanius* Haeresi LII § 24, ibidem-

[*] Conferatur *Fabricii* Menologium p. 71, 72. Si omnia mensium nomina Cappadocica, quorum facta mentio est, sedulo animadvertimus, necesse est, existimemus aut plures menses, quam vulgo, numeratse Cappadoces, aut potius unum eumdemque mensem pluribus nominibus appellatum esse. Cuiusmodi exempla apud plerasque gentes in Oriente et Occidente exstant complura.

demque notat, VI Id. Novemb. Romanorum reſpondere decimo quinto Ἀραταταῖ Cappadocum.

ΑΡΘΡΑ
ΑΡΤΑΕΣΙΝ
ΑΡΤΑΝΙΑ

} nomina *menſium* in Cappadocia erant.

ASBAMAEVS *Iupiter* apud eos appellatus fuit, quod nomen ex Syrorum lingua explicare aggreditur magnus *Bochartus* l. c. p. 535. Rem commemorat *Ammianus Marcellinus* Lib. XXIII [cap. 6 vel 19] p. 269: *Apud* Asbamaei *quoque* Iovis *templum in* Cappadocia, *ubi ampliſſimus ille Philoſophus Apollonius traditur natus prope oppidum Tyana, ſtagno effluens fons cernitur* &c [*].

DATHVSA nomen *menſis* lingua Cappadocum. In excerptis e *Cyrilli* libris contra *Theodorum Mopſueſtenum*, in Actis Concilii Quinti, apud *Labbeum* Tom. V p. 476 haec proſtant: *Adhortatur enim magis Tyanenſem Epiſcopum ad Martyrum feſtivitatem pervenire, quae in Arianzis, praedio eiusdem Sancti Gregorii celebratur in menſe, quem ipſe Cappadocum lingua* Dathuſa *vocat;* item pag 478: *menſis autem apud Cappadocas provinciali vocabulo* Dathuſa *adiicitur.* Forte idem menſis indicatur, quem appellari Τετουσίαν infra videbimus.

ΔΑΚΙΗ apud Cappadoces *Pontificatus Iovis* dicebatur, teſte *Strabone* Lib. XII p. 569 fin. [810]. Poſſet

[*] Ipſe ille fons, Iovi ſacer, vocatur Ἀσβαμαῖος a *Philoſtrato* de V. Apoll. lib. I c. 6. Neque in *Ammiano*, neque in *Philoſtrato* nomen barbarum mutandum. Comparentur notae *Valeſii* et *Olearii*, item *Kuſteri* ad haec *Suidae* verba, Ἀσβαμαῖον· ὕδωρ οὕτω καλούμενον.

set quis suspicari, legendum Διαγίη. Pergaei enim ἄγον sive ἀγόν vocabant foeminam Sacerdotem Dianae, ut duobus locis *Hesychius* annotavit. Sed tum haec vox esset Graeca. Manum itaque melius ab istis abstinemus, quae propter obscuritatem non capimus [*].

DESANAVS, *Hercules.* Scribit *Freculphus* in Chronico Tom. I Lib. II c. II: *Hercules autem* Desanaus *cognomine in Phoenice clarus habetur, inde ad nostram usque memoriam a Cappadocibus et Elienſibus,* lege *Ilienſibus, adhuc dicitur* Et sic prorsus eodem modo *Eusebius* in Latino Chronico p. 14: *Hercules cognomento* Desanaus *in Phoenice clarus habetur. Vnde et ad nostram memoriam a Cappadocibus et Elienſibus* Desanaus *adhuc dicitur.* Vide notas *Schurtzfleischii* in Notitia Bibliothecae Vinarienſis p. 102. In Graecis vero *Eusebii* p. 29 locus ita concipitur, Ἡρακλέα τινές φασιν ἐν Φοινίκῃ γνωρίζεσθαι Διῴδαν ἐπιλεγόμενον, ὡς καὶ μέχρι νῦν ὑπὸ Καππαδόκων καὶ Ἰλίων, lego Ἰλιέων, κεκλῆσθαι, forte κέκληται. De hoc Desanao etiam quaedam notant *Vossius* de Idololatria Lib I c. 22, et *Seldenus* de Diis Syris p. 187, 188. Videndum, an Hercules Thasius, cuius *Herodotus* meminit Lib. II c. 44, huc facere possit. Sed locum bene perpende [**]. Quid si Desa-

[*] Ex ipso *Strabone* satis apparet, Δακίην esse nomen cuiusdam regionis in Cappadocia. In Codice autem Mediceo legi Διὸς Δακίου, exemplo meo *Gronovius* adscripsit.

[**] De cultu Herculis apud Thasios testantur numi antiqui. Vid. *Holstenii* notae in *Stephanum* p. 133. Sed qui verba *Herodoti* bene perpendat, protinus videbit, Herculem Thasium, de Thaso insula dictum, huc non pertinere. Originatio autem Aegyptiaca magis ingeniosa mihi videtur, quam probabilis.

ſanaus ſit ⲦⲈⲀⲤⲈⲚ, *Tiaſan*, vel *Deaſan*, ſic ſaltem pronunciant hodie Aegyptii, id eſt ὑπεραστίζης?

ΚΑ'ΡΔΑ, *virile*, *bellicoſum*. *Strabo* loquens de Cardacibus, hominibus ad rapinam aſſuetis, qui Cappadociam inhabitant, ait, κάρδα τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολέμικὸν λέγεται, p. 504 [1067, ſed illic de Perſis.] Mihi tamen vox haec videtur originis Scythicae. Vide Scythica mea MSS. [mihi non viſa. Conf. vero notae ad *Heſychium* v. Κάρδακες].

ΚΟΜΑ'ΝΑ, nomen *Deae* alicuius. Praeter Iovem Cappadoces coluerunt Deam, quam plurimi Bellonam fuiſſe volunt. *Strabo* a loco *Comanam* appellat, Lib. XII p. 369, 385 et 395 [809, 835]. *Plutarchus* in Sylla p. 457 dubitat, ſitne Bellona, an Luna, an vero Minerva nuncupanda [*].

ΚΟ'ΝΔΥ *poculum* Cappadocicum memoratur a *Menandro* apud *Athenaeum* lib. X p. 434 et XI p. 477. Hic Κόνδυ vocat ποτήριον Ἀσιατικόν. Ab *Hipparcho* ibidem attribui videtur Perſis, et a *Nicomacho* p. 478 aperte dicitur Κόνδυ Περσικόν. *Heſychius* ait, Κόνδυ eſſe ποτήριον Βαρβαρικόν, *poculum Barbaricum* [**], quod

[*] Dea *Comana* fuit numen Topicum in Cappadocia, ſive Diana, ſive alia quaecumque. Pertinent huc verba *Pauſaniae* in Laconicis p. 249, ἀμφισβητοῦσι μὲν Καππάδοκες τὸ ἄγαλμα (τῆς Ταυρικῆς θεοῦ, Tauricae Dianae) εἶναι παρὰ σφίσιν, et *Dionis Caſſii* lib. XXXV § 11, τὰ δὲ δὴ Κόμανα τῆς τε νῦν Καππαδοκίας ἐστὶ, καὶ ἐδόκει τό τε τῆς Ἀρτέμιδος τὸ Ταυρικὸν βρέτας διῦρο ἀεὶ ἔχειν, ad q. l. *Reimarus* notavit. *Origenes* lib. VI c. Celſum c. 22 p. 647 memorat myſteria Καππαδοκῶν περὶ τῆς ἐν Κομάνοις Ἀρτέμιδος.

[**] *Pollux* lib. VI ſegm. 96 ſcribit, Κόνδυ eſſe poculum Καππαδοκικόν. Vox videtur origine Perſica. Conf. *Caſaubonus* et *Schweighaeuſerus* t. VI Animadv. in *Athenaeum* p. 146, 147, atque viri eruditi ad *Heſychium* v. Κόνδυ. Eſt animadverſione dignum, nec ab aliis praetermiſſum, peregrinam hanc vocem uſurpaſſe Interpretes Alexandrinos V. T. Gen. XLIV. 2 ſqq. et Iſ. LI. 17.

quod de Cappadocibus aeque, atque de Perſis capi poteſt.

ΑΥ'ΤΑΝΟΝ. In fragmento *Savilii* apud *Vſſerium* de Anno Macedonum p. 40 et 41 annotatur, hoc nomine *Ianuarium* dici Cappadocibus. Quod an ſatis certum ſit, dubito, cum ille Romanorum menſis nomine Cappadocico alio appelletur in catalogo menſium, de quo ſupra dictum. Sed illic

MA'TA ut nomen *menſis* occurrit.

MAZACHA ſive MAZACA, nomen urbis proprium, ſub Argaeo ſitae, quam *Solinus* cap. 45 ait ab incolis *matrem urbium* appellari. An hinc nomen factum ſit urbi, an vero Metropolin eſſe indicare voluerit *Solinus*, dicere non ſuſtineo [*]. *Bochartus* ab equis dictam vult, quibus Cappadoces celebrantur. *Conſtantinus* de Them. Lib. I n. 2, ut obſervant *Holſtenius* p. 154 et *Pinedo* in *Stephanum Byz.*, memoriae prodidit, appellatam fuiſſe ἀπο Μουσὼχ τοῦ τῶν Καππαδοκῶν ἀρχηγόνου, *a Moſoch Cappadocum primo auctore.* Moſoch ille (*o*) eſt filius Iapheti, ab

(*o*) Similiter quidem מֹשֶׁךְ Geneſ. x. 23 vocatur Μοσόχ, non vero ille, ut in prima huius libelli editione ſcripſi, ſed hic intelligendus eſt. Conf. *Hieronymus* in Quaeſt. Hebr. ad Geneſ. x. 2.

[*] Poſterius unice verum eſt. *Strabo* lib. XII p. 811, Ἐν δὲ τῇ Κιλικίᾳ καλουμένῃ Μάζακα (in Cod. Med. Μάξακα) ἡ μητρόπολις τοῦ ἔθνους, et lib. XIV p. 979, Εἰς Μάζακα (iterum in eodem Codice Μάξακα) τὴν μητρόπολιν τῶν Καππαδοκῶν. *Procopius* lib. V de Aedific. c. 4, Εἰς μητροπόλεως ἀξίωμα ἦλθεν, οὕτω γὰρ πόλιν τὴν πρώτην τοῦ ἔθνους καλεῦσι Ῥωμαῖοι. Loquitur autem de Mazaca, deinceps dicta Caeſarea. In Numis quoque dicitur Μητρόπολις. Vid. *Holſtenius* ad *Steph. Byz.* p. 154. Non tantum erat civitas Cappadociae maxima, ut appellatur a *Sexto Rufo* c. 11, aliisque, ſed et ſedes Regum, monente *Strabone* Lib. XII p. 813. Quemadmodum vero Mazaca, ita Nicaea dicitur μητρόπολις a *Strabone* lib. XII p. 848, *mater urbium* ab *Ammiano Marc.* lib. XXVI c. 1.

ab Hebraeis מֶשֶׁךְ Geneſ. x. 2 dictus, ubi Septuaginta interpretes habent Μοσόχ, qua ratione forſitan et apud *Conſtantinum Porphyrogennetam* legendum eſt. Longe foedius mendum inſedit *Iſidorum*, apud quem Lib. IX Etymol. cap. 2 p. 1037 haec nullo ſenſu leguntur: *Moloch, ex quo Cappadoces ſunt, unde et urbs apud eos usque hodie* Maleca *dicitur.* Corrigenda haec ita ſunt: *Moſoch, ex quo Cappadoces ſunt, unde et urbs apud eos usque hodie* Mazeca (*p*) *dicitur.* Niſi forte origo ex Parthorum lingua ſit repetenda, qui Μαζάκιν *haſtam* dicebant, auctore *Heſychio.* Sic etiam Romani Quirites dicti ſunt a Curi, quod Sabinorum lingua haſta erat. Poſtea haec urbs *Euſebia* et *Caeſarea* nuncupata eſt (*q*).

MELITA eſt alia Cappadociae urbs, quam Semiramis condidiſſe a *Plinio* perhibetur Lib. VI cap. 3. Origo vocis videtur eſſe Aſſyriaca. Aſſyrii enim Venerem *Mylittam* appellabant, ut ex *Herodoto* Lib. I c. 131 et 199 conſtat. De ea *Scaliger* et *Seldenus*

(*p*) Olim coniiciebam *Mazaca*, ſed *Mazeca* propius accedit ad vitioſum *Maleca.* Sic etiam apud *Hieronymum* in Quaeſt. Hebr. ad Geneſ. x, 2: *Moſoch Cappadoces, unde et urbs usque hodie* Mazeca *dicitur.* *Hieronymum* autem inprimis compilavit *Iſidorus.* Mazaceni Cappadoces dicuntur Μοσοχηνοὶ ὑπὸ Μοσόχου κτισθέντες, apud *Fl. Ioſephum* Lib. I Antiq. c. 6. Conf. *Hieronymus* Lib. XVIII in Eſaiam col. 507, Lib. VIII in Ezech. col. 884. Adeundus quoque *Schroederus* Diſſert. Praelim. in Grammaticam Armenicam p. 64, et huc referendus locus e *Moſe Chorenenſi* ſupra [p. 128] iam citatus. Pro Μοσόχ apud *Euſtathium* in Hexaëmeron p. 51 vitioſe legitur Ὀσόχ.

(*q*) *Stephanus Byzantius*, Καισάρεια, μητρόπολις τῆς Καππαδοκίας, ἡ πρὶν Εὐσέβεια, καὶ Μάζακα, ὡς Στράβων [ibi *Berkelius*]. Conf. *Salmaſius* Exercit. Plinian. T. II, p. 626, et *Cellarius* Lib. III Geogr. Antiq. c. 8 p. 210.

nius [*] quaedam notarunt. Forſitan ipſa Semiramis *Mylitta* dicta eſt, nam divinis honoribus poſt mortem eam ab Aſſyriis cultam eſſe, *Diodorus Sic.* ſcriptum reliquit Lib. II [c. 20] p. 107. Aut vero in honorem Veneris et in memoriam ſuae originis hanc urbem a ſe conditam Melitam nuncupavit.

MOLY appellarunt Cappadoces *rutam hortenſem*, teſte *Apuleio* de Herbis c. 89.

ΝΆΒΛΑ dicitur *inſtrumentum Muſicum* Cappadocum, a *Clemente Alex.* Lib. I Strom. p. 307 [363]. Alii tamen aliis gentibus, ex. gr. Phoenicibus ſive Hebraeis, Syris, Aſſyriis, tam inſtrumenti inventionem, quam nomen adſcribunt. Vide *Strabonem* Lib. X p. 387 [722], *Athenaeum* Lib. IV cap. 23 [p. 179, 180 ed. nov.], *Bochartum* in Geogr. S. p. 807, 808 [**].

ΝΗΕΞΙΣ *animal* eſt Cappadocicum. *Heſychius*, Νήεξις· ἐν Καππαδοκίᾳ γενόμενος μῦς, ὃν σκίουρον τινὲς λέγουσιν, *Neëxis mus eſt, qui in Cappadocia reperitur, quem ſciurum*, ſeu *nitelam, quidam dicunt.* Videtur eſſe animal illud, quod hodie in regionibus illis vocatur *Zits-jan.* Effigiem illius et deſcriptionem vide apud *Corn. de Bruyn* Tom. V Itinerarii p. 203 editionis Gallicae. Confer etiam, quae de nitelis volantibus referuntur in Transactionibus Societatis Anglicae atque ex illis in Diario eruditorum Gallico, Jour-

---

[*] Multi alii, laudati a Cl. *Weſſelingio* ad *Herodot.* I. 131. Quae autem dicuntur de origine nominis *Melita*, valde dubia ſunt. Si Veneris habenda ratio eſſet, haud negligendum foret, apud *Heſychium* inveniri Μιλίττης· Ἀφροδίτης, ſi ſana ea lectio eſt, et hoc nomen *Theocrito* Id. X v. 94 recte a *Salmaſio* redditum.

[**] Comparentur docti homines ad *Heſychium* v. Νάβλα et Ναβλάς, *Valckenarius* in *Callimachi* Elegiar. Fragmenta

Journal des Sçavans, Avril 1740 Art. III p. 511, 512. Legantur item *Gmelini* Itinerarium Sibericum Tom. II p. 233, 234, *Stalenbergius* in Asia et Europa Septemtrionali et Orientali p. 350, 395, de muribus vel nitelis in regionibus circa Caucasum *Olearius* in Itinerario p. 740 edit. Germanicae, et de iisdem circa Pontum Euxinum *Chardin* Voyages Tom. I p. 119. Eiusmodi sunt mures, de quibus *Aelianus* de Animal. Lib. XVII c. 17, ex quibus vestes confectae dicebantur καύνακες sive καυνάκαι. Vide *Pollucem* p. 339 [lib. X segm. 123, ibi perexiniam *Hemsterhusii* annotationem], *Hesychium* v. Καυνάκαι [c. n. *Alberti* et aliorum], *Scaligeri* Coniectanea in *Varronem* de L. L. p. 67. Hinc forte vestes Armeniorum appellantur μυωτοί, ex murium, nempe pellibus confectae, apud *Pollucem* Lib. VII c. 13 [segm. 60, et *Hesychium* v. Μυωτός]. Vide omnino les Voyages de *Tournefort* Tom. II p. 113, 197. *Plinius* Lib. VIII cap. 37 mentionem facit murium Ponticorum, qui forte iidem sunt, et de quibus eorumque similibus, ex quorum pellibus vestimenta contexuntur, quaedam habet *Eustathius* in Hexaëm. p. 96, 97, et *Is. Vossius* Comment. in Catullum p. 190. Iungantur Anonymus in Expositione totius mundi, in *Hudsoni* Geographis Minor. Tom. II p. 10, et Relation de la Tartarie par *Martini* p. 147, ubi haec verba: *des souris de Moscovie, que nous appellons communement martes Zibellines.*

ΞΑΝΑΝΘΗΡΙ nomen *mensis* Cappadocici.

ΠΕΡΑΣΙΑ cognomen *Dianae* Cappadocicum. Vid. *Strabo* Lib. XII p. 370 [811].

PHENGITES *lapis* in Cappadocia. *Isidorus* Lib. XVI c. 4. Sed rectius forsitan nomen Graecum videbitur, conveniens proprietati lapidis, qui illic describitur.

ΣΟΝ-

ΣΟΝΔΑΡΑ *menſis* Cappadocicus.

ΤΕΤΟΥΣΙΑ itidem nomen *menſis*, forte non diverſus a *Dathuſa*, de quo brevi ante diximus.

ΤΙΡΙΞ
ΩΣΜΩΝΙΑ } ſunt quoque nomina duorum *menſium* in Cappadocia.

§ 19 *Concluſio huius Diſquiſitionis.*

Cum iam prima huius Diſſertatiunculae folia Typographo commiſiſſem, amicus quidam meus, Lipſia rediens, mecum communicavit Viri Rever. et Magnifici *C. F. Boerneri* eruditam Diatriben, qua Acta Lycaonica inſigniter illuſtravit [*]. Summopere vero mihi gra-

[*] *Boerneri* Disputatio recuſa eſt in Theſauro Novo Diſſertationum ex Muſeo Haſaei et Ikenii, tom. II p. 625—637. Paucis tantum verbis p. 633 ſignificat, displicere ſibi ſententiam eorum, qui linguam Lycaonicam putant fuiſſe linguae Graecae dialectum, ſed contra probare ſe *Bentleii* aliorumque opinionem, Lycaonas peculiarem et a Graeca diſtinctam linguam habuiſſe exiſtimantium. *Boernerianam* excipit illic p 638—648 Disquiſitio *Iablonskiana*. Huic ſubnectitur p. 648—657 Diſſertatio *Pfizeri* de Apotheoſi Pauli et Barnabae a Lyſtrenſibus fruſtra tentata. Non negat is, quod *Grotius* affirmarat, linguam Lycaonicam fuiſſe Cappadocicam, ſed adiungit: *Cumque in minori Aſia Graecae Linguae uſus obtineret, ſine dubio peculiaris eius dialectus fuit, ut in aliis regionibus Dorica, Ionica etc.* Nihil illic amplius de lingua Lycaonum. Maius habet momentum maiorique eruditionis copia eſt ſcripta Diatribe *Guhlingii*, in eodem Theſauro Haſaeo-Ikeniano repetita, p. 657—661, de lingua Lycaonica a Pelasgis Graecis orta. Negat, ſermonem Lycaonicum eumdem fuiſſe, qui Cappadocum, aut vulgarem quamdam linguae Graecae dialectum. Diſſentit a *Iablonskio*, cuius tamen Diſſertationem, quamquam multa quaeſitam cura, et e *Wolfii* tantum Curis Philologicis notam, non viderat, ut ſcribit § v. Quod profecto mirum videatur, cum *Guhlingius* biennio poſt *Iablonskium* ſcripſerit, fueritque iſto tempore Theologus et Philologus Chemnicenſis, iam antea diſputationi-

gratulor, Virum doctiſſimum et ita mecum ſentire, linguam Lycaonicam non eſſe Graecam, et *Richardi* quoque *Bentleii* argumentis tantum auctoritatis tribuere. Quantum enim abhinc ponderis meae ſententiae accedat, facile intelliget, quisquis *Boerneri* ſummam eruditionem, cum incredibili quadam animi vi et perſpicacia coniunctam, perpenderit [*].

Atque haec ſunt, quae de lingua Lycaonica, pariterque de finitimis, hactenus comperta habeo. Nihil reſtat, quam ut rogitem aequos benignosque lectores, aequi bonique haec qualiacumque conſulant, et tenues meos conatus favore ſuo promoveant.

---

onibus non vulgaris argumenti nominis famam conſecutus, monente Cl. *Saxio* P. VI Onom. p. 366. Quidquid id eſt, ipſe exiſtimat § VII, *Lycaonicam linguam ab origine omnino Gracca dimanaſſe, migratione tamen, coalitione cum aliis gentibus communitateque, imo ipſa longinquitate temporis, natura regionis, arte vel negligentia incolarum, varia mutaſſe ratione, atque ab prima ſtirpe, more linguarum communi, defeciſſe.* Quam ille ſuam ſententiam docte illuſtrare et confirmare conatus eſt. Rectene, an ſecus, poterunt iudicare, qui libellos *Iablonskii* et *Guhlingii* diligenter comparent.

[*] Honorificum hoc de *Boernero* teſtimonium confirmant, cum multi alii, tum praeclari illi verae eruditionis exiſtimatores, *Erneſtius* in Opuſc. Theolog. p 7, et *Saxius*, qui ſibi etiam, Lipſiae olim in literas incumbenti, ſatis conſtitiſſe ſcribit, P. VII Onom. Lit. p. 63, 64, *Boernerum* formularium duntaxat Theologum haudquaquam fuiſſe.

THESES

THESES THEOLOGICAE CIRCVLARES [*], QVIBVS GENVINVS SENSVS CAPITIS IX EPISTOLAE PAVLI AD ROMANOS MODESTE EXPENDITVR.

Theſis I.

Inter omnes Epiſtolas *Pauli* Apoſtoli Canonicas non eſt, quae legentibus maiores difficultates obiiciat, illa, quae ad Romanos ſcripta extat; et in Epiſtola hacce, capita reliquis difficiliora intellectu ſunt cap. IX, X et XI.

2.

Hoc veteres et recentiores aut obſervant, aut obſervatum largiuntur, idque ipſe iam *Petrus* innuere etiam videtur, 2 Pet. III. 16.

3.

[*] In Academia Francofurtana ad Viadrum *Circulares* ſive *Periodicae* dictae ſunt Theſes ac Diſſertationes, quas, e mandatu Regis, ſuo quisque ordine Profeſſores conſcribere debuerunt et publice defendere. Sunt ex iſto genere hae Theſes, item nonnullae aliae Diſſertationes, quae in Opuſculis *Iablonskianis* recudentur. — De conſilio autem Pauli atque vera mente totius capitis IX Epiſtolae ad Romanos, quantum ſit ſententiarum divortium, et quam diverſum contrariumque interpretum veterum et recentiorum iudicium, nemo Theologorum ignorat. Viam mediam ingredi voluiſſe videtur *Iablonskius*, ut apparet e collatione theſium 9, 12, 34, et ceterarum omnium.

3.

Difficultates illae oriuntur cum ex ſtylo, quem hic deprehendimus conciſum valde et vehementem, teſtem uberrimi, qui tum mentem eius agitabat, affectus, tum ex re ipſa, quam proponit Apoſtolus.

4.

Illae difficultates tamen tantae non ſunt, ut pium et diligentem Scripturae lectorem abſterrere debeant. Adhibito namque ſtudio debito, et argumentum, quod Apoſtolus hic illuſtrandum ſuſcepit, et vera eius ubique mens et ſententia, perſpici omnino poteſt.

5.

Argumentum generale omnium horum capitum eſt *reprobatio Iudaeorum*, qui quondam ſoli fuerant populus Dei, et *electio Gentilium*, qui huc usque a privilegiis populi Dei excluſi fuerant, quod admirandum Dei conſilium, olim a Prophetis ſaepe et luculenter praedictum, tempore vero Apoſtolorum ipſo eventu comprobatum erat.

6.

Itaque I. Apoſtolus ad dubia, quibus conſilium hocce Dei impugnabant Iudaei, reſpondet, eaque ſolvit cap. IX. II. veram conſilii hujus Divini, magnique illius eventus rationem Iudaeis aperit cap. X. Et denique III. Doctrinam propoſitam obſervationibus nonnullis illuſtrat cap. XI.

7.

Quae ſi recte et meditate expendantur, facile apparebit, Apoſtolum proprie et directe de illa *Praedeſtinatione* hic non differere, quae in ſcholis noſtris ſpeciatim ita vocari ſolet, quae nempe verſatur cir-

circa ſalutem et condemnationem omnium et ſingulorum hominum.

8.

Nihil ſane in omnibus hiſce capitibus, poſt attentam lectionem et meditationem reperire poſſum, quod de electione ſingularium hominum ad ſalutem et aliorum reprobatione ad aeternum exitium, neceſſario intelligendum et explicandum veniat.

9.

Si quis tamen omni contentione aſſerere velit, Apoſtolum noſtrum c. IX. v. 23. 24. et c. XI. v. 5. de *electione ſpeciali* ad aeternam gloriam omnino loqui, illi regeram, *Paulum* in iſtis locis a primario ſuo argumento digredi ad aliud, ſed cognatum, de Praedeſtinatione, et ex poſteriori prius illuſtrare.

10.

Singuli fere capitum horum verſus clare teſtantur, differere Apoſtolum de *electione integrorum populorum*, ex quibus tamen, durante illo electionis ſtatu, non omnes ſalutem aeternam conſecuti ſunt, et de *reprobatione* pariter *integrorum populorum*, ex quibus tamen etiam, durante illo reprobationis ſtatu, non omnes periere.

11.

Eſt itaque Praedeſtinatio illa, de qua Paulus in capitibus illis proprie et directe loquitur, non *Praedeſtinatio ſpecialis* ad ipſam ſalutem, ſed *Praedeſtinatio generalior*, et antecedens, ad ſalutis media, quae Deus in vera Eccleſia hominibus offert, quae ad ſalutem ducunt, ſed quorum tamen uſus non ſemper cum ſalute certo cohaeret. Vno verbo, loquitur Apo-

ſtolus de electione ad externam verae Eccleſiae communionem, et de excluſione ab eadem.

12.

Quae etſi omnino ita ſe habeant, negari tamen nequit, argumenta, quibus Paulus hic utitur, praeſertim cap. IX. ad doctrinam quoque de Praedeſtinatione ſpeciali transferri et rite applicari poſſe. Eſt enim duplex illa Praedeſtinatio, de qua Theſi 11. dixi, admodum inter ſe cognata, unaque alteri ſubordinata eſt. Quae porro Apoſtolus de iure et poteſtate Dei in genere adverſus Iudaeos urget, in Decreto Praedeſtinationis ſpeciali, locum ſine dubio etiam habent.

13.

Vbi tamen cenſemus, diſtingui oportere inter id, quod Deus pro iure ſuo facere poteſt, atque id, quod eum actu voluiſſe et decreviſſe, ex revelatione conſtat. Ipſum Paulum ita diſtinxiſſe, ex attenta lectione cap. IX. et eius cum cap. XI. collatione, probari poteſt. Id ipſum igitur in Doctrina de Praedeſtinatione tenendum quoque ſemper eſt.

14.

Vt vero ad genuinum ſenſum capitis IX. ſigillatim excutiendum propius accedamus, *Paulus* argumentum aggreſſurus Iudaeis fratribus ſuis moleſtiſſimum, ante omnia propenſiſſimum ſuum in eos amorem ipſis prolixe teſtatur, vs. 1—6.

15.

Idque non tantum praerogativas excellentiſſimas, populo huic ſoli a Deo olim conceſſas, libenter agnoſcendo, ſed ſe ipſum etiam, dummodo id Deo acceptum ſit, pro ipſorum ſalute devovendo, vs. 3.

16.

16.

Vbi videtur haec esse mens Apostoli, se paratum esse, enixis precibus a Christo contendere, ut sinat se sacrum esse et devotum, vel malis omnibus in hoc mundo expositum, dummodo sic salutem fratrum suorum impetrare possit.

17.

Ex eodem illo Apostoli affectu ratio non incongrua reddi potest, quod primarium et proprium orationis suae argumentum, *de reprobatione Gentis Iudaicae, deque substitutione Gentilium in illius locum*, non illico distincte exprimat, sed ex rerum insequentium contextu, lectori divinandum relinquat.

18.

In eo situs est nervus omnis orationis Paulinae, ut querelas et obiectiones Iudaeorum, adversus hocce Dei consilium, aut adversus suam ea de re doctrinam, diluat et repellat.

19.

Id igitur primo agit, ut gravissimum illud Iudaeorum praeiudicium, quod animis ipsorum alte insederat, tamquam promissiones Dei, amoris et gratiae plenissimae, Abrahamo et semini eius in aeternum factae, posteros carnales Abrahami omnes sine ullo discrimine spectaverint, radicitus evellat, v. 6—15.

20.

Contrarium illius luculenter demonstrat, primo, exemplo Ismaëlis et Isaaci, filiorum Abrahami, quorum tamen posterior tantum filius promissionis extitit, priori ab hoc beneficio excluso, deinde, exemplo Esavi

et Iacobi, filiorum Iſaaci; uno eodemque partu ex Rebecca ſuſceptorum, ex quibus tamen minori tantum Deus bona Foederis et promiſſionis deſtinaverat.

21.

Ex eo Paulus evidenter infert, promiſſiones Dei, factas Abrahamo et ſemini eius, firmas quidem eſſe atque certiſſimas; ſed per illas tamen Deum non obligari, ad beneficia promiſſa, omnibus ac ſingulis Abrahami poſteris, promiſcue diſpenſandum.

22.

Vt vero hic aliquo ſolamine Iudaeos demulceat, ſpem eos concipere iubet, fore, ut ſemper aliquod Abrahami ſemen, etiam carnale ſuperſit, heres iucundiſſimarum promiſſionum Foederis Dei. Qua de re prolixe et exquiſite diſſerit cap. XI.

23.

Quando Apoſtolus v. 7 et 8. innuit, ex pluribus Abrahami filiis unum Iſaacum a Deo electum, Iſmaëlem vero et reliquos huius fratres reprobatos fuiſſe, nolim aſſerere, omnes illos aeternum periiſſe. Multo minus id de omnibus eorum poſteris dicere, conſultum aut veritati conſentaneum videtur.

24.

Quando praeterea Apoſtolus de Eſavo, Iſaaci filio, addit, eum odio habitum fuiſſe, ex eo non ſequitur, eum omni gratia Dei, et ſalute excidiſſe. Ego certe Eſavum damnatorum gregi adſcriptum fuiſſe, nullo argumento alicuius ponderis colligere poſſum.

25.

Nempe ſecundum Scripturae ſtylum, ſaepe is dicitur

tur odio haberi, qui alteri postponitur; et in quem pauciora ac leviora benevolentiae argumenta extant. Genes. XXIX. 31, Matth. VI. 24, ubi locutio haec optime declaratur, Luc. XIV. 26, collat. cum Matth. X. 37.

26.

Eodem sensu et hic odium in Esavum accipiendum esse, facile ex Malach. c. I. v. 2, 3, 4, unde Paulus verba desumsit, intelligi potest. Nempe, ut ipse Apostolus mentem suam declarat, ex Gen. XXV. 23, id erat odium Dei in Esavum, quod ipsum fratri suo natu minori postposuisset, et inferiorem esse voluisset, v. 12. 13.

27.

Ex iisdem Pauli verbis colligendum necessario est, sermonem hic non esse de Esavo et Iacobo solis, sed de utroque in et cum posteris suis spectato. Est vero illud observatione cumprimis dignum, ea omnia, quae hic de fratribus illis dicuntur, posteros eorum magis respicere, quam ipsos. Vide Genes. XXV. 23, XXVII. 31, 42, quae quidem non nisi in posteris eorum impleta fuisse, ex Historia certo constat.

28.

Quem vero potest latere, ex posteritate illa Esavi, quam Deus dicitur odio habuisse et reprobasse, multos extitisse ante Mosen, et circa Mosis tempora, verum Deum cognoscentes, et pie colentes? quod vel ex sola historia Iobi evidenter colligitur.

29.

Fuerunt etiam durante tempore illo, quo Deus Esavum odio habuit, eumque Iacobo postposuit, per-

multi ex ipsius posteris, qui in tentoriis Iacobi habitarunt, et unius veri Dei cultum sancte amplexi sunt. Et quis dixerit, eos communione salutis aeternae privatos fuisse?

30.

Quia autem Paulus docuerat, Deum bona gratiae, Abrahamo et semini eius promissa, non in omnes ex Abrahamo natos promiscue, sed cum certo discrimine contulisse, adstruit etiam, Deum ita faciendo, nihil iustitiae, aut aliis perfectionibus suis contrarium egisse, sed iure suo usum fuisse, v. 15—19.

31.

Eam in rem Iudaeis in memoriam revocat verba ipsius Dei, testantis, se pro solo voluntatis suae arbitrio nonnullorum misereri, Exod. XXXIII. 19, eoque aliorum non misereri, aliquos etiam indurare, Exod. IX. 18.

32.

Etsi autem duo illi actus, ad probandum ius Dei summum a Paulo hic adducantur, quorumdam miseratio, et nonnullorum induratio, diversissimo tamen modo, Deum in utroque illo actu ius suum exseruisse, omnibus palam est. Miseratio enim favor erat, omni modo indebitus. Induratio vero Pharaonis, in rege hoc impio, non modo magnam criminum et vitiorum congeriem praesupponebat, sed et praecedentem sui ipsius indurationem, Exod. VII. 26, VIII. 19, IX. 7, quam deinde poenae loco insecuta est induratio a parte Dei, Exod. cap. IX. 12.

33.

Observatu praeterea dignum est, miserationem Dei, de

de qua ex Moſe loquitur Paulus, hic proprie non ſignificare illam voluntatem Dei, quae homini aeternam ſalutem certo decernit. Sive enim verba illa, Exod. XXXIII. 19, de Populo Iſraëlitico, ſive etiam de Moſe interpreteris, rationem non video, cur Decretum Electionis deſignare debeant.

34.

Non magis per indurationem Pharaonis intelligi hic poteſt ſpeciale illud Dei Decretum, quod verſatur circa iuſtam peccatoris damnationem aeternam. Pharao enim ante indurationis actum aeterno ſupplicio dignus, eique maturus iam erat. Et finis indurationis huius proximus, non erat iudicium in Gehenna aeternum, ſed iudicium temporale, cum gloria nominis Divini coniunctum, Exod. VII. 3, 4, 5, IX. 16.

35.

Exemplum vero Pharaonis indurati tanto opportunius ab Apoſtolo adfertur, quia ille verba et miracula Moſis ſpernens, et iuſſibus Dei praefracte obnitens, imago profecto ſimillima erat populi Iudaici, Chriſtum ipſum cum doctrina et miraculis impie reiicientis, et dura cervice ſeſe ab illo avertentis.

36.

Ius illud Dei, quod Paulus adſtruxit, agendi cum Iudaeis pro beneplacito voluntatis, docet idem, neceſſario quoque fluere ex ſummo Dei dominio in creaturas, quae omne quicquid ſunt, unice a Deo ſunt, v. 19—24.

37.

Quae Doctrina Pauli ita ſine dubio eſt intelligenda, ut cum ſumma Dei bonitate et ſanctitate conciliari

queat. Etſi enim id dubio careat, Deum omnia poſſe quae vult, ea tamen velle non poſſe cenſendus eſt, quae perfectionibus eius repugnant, vel quae Deum facerent non Deum.

38.

Ipſum Paulum habemus clarum huius ſuae doctrinae interpretem. Quando enim ſummum Dei ius et dominium, etiam in eos, qui graviſſimis poenis afficiuntur, adſtruit, hos nobis repraeſentat, ut *vaſa irae*, qui nempe obiectum ſint legitimum iuſtitiae Dei iudicialis, vindicativae, et per cumulum peccatorum ad interitum maturi v. 22. Quod praeterea ex hiſtoria Populi Iudaici, quem hic Paulus unice deſignat, abunde illuſtratur et confirmatur.

39.

Per *gloriam*, ad quam Paulus Romanos ſuos ait praeparatos et vocatos eſſe, v. 23, 24, recte omnino intelligi poteſt gloria futurae vitae beatae. Quem ſenſum ſi admittimus, Paulus eos recordari iubet Praedeſtinationis ſuae ſpecialis, id eſt, electionis ad vitam aeternam.

40.

Nihil tamen impedit, quo minus per gloriam illam intelligamus ſtatum Eccleſiae N. Teſtamenti, quem glorioſum inprimis fore, praedixerunt Prophetae, Ieſa. XL. 5; LX. 1, 2, 3, Hagg. II. 8, 10, annunciarunt Angeli Luc. II. 14, docent Apoſtoli. Dicendum tum eſſet, Apoſtolum hic loqui de Praedeſtinatione, quam ſupra generaliorem vocavi. Mihi videtur, hoc poſtremum eſſe ſcopo Apoſtoli congruentius.

41.

41.

Etsi autem Paulus ita asseruisset, potuisse Deum pro iuris sui plenitudine, ex solo beneplacito, Iudaeos reprobare, eumque ad rationem huius sui consilii cuiquam reddendam non teneri, tamdem tamen monet, esse re ipsa rationem reprobationis eorum gravissimam, quae Deum ad hoc impulerit, Iudaeorum nempe incredulitatem, quodque a Christo redemtore, et a iustitia fidei fuerint manserintque semper alieni, v. 31, et ad finem capitis.

42.

Paulus itaque eo ipso, quo summam iuris et potestatis Dei amplitudinem fortissime adstruit et graviter urget, nos tamen in doctrina de Praedestinatione, non tam ad id, quod Deo facere licet, quam ad id quod re vera vult, et quod se velle declaravit, attendere iubet.

DISQVISITIO

DE FVTVRA IVDAEORVM CONVERSIONE ILLVSTRI, EX EPIST. AD ROM. C. XI.

§ 1. *Occaſio et argumentum Diſſertationis huius conſcribendae.*

Cum non ita pridem caput XI. Epiſtolae *Pauli* ad Romanos publicis Praelectionibus explanarem, inque hoc curriculo ad eum locum perveniſſem, in quo magnus ille Gentium Apoſtolus de futura Gentilium converſione exquiſite diſſerit, totum hocce perquam nobile argumentum, quod teſte ipſo Spiritu S. *Myſteriis* regni coelorum, nobis a Deo revelatis, annumerandum utique eſt, ea qua poteram mentis attentione expendendum, omnique ope excutiendum eſſe duxi. Scripturam itaque cum Scriptura ſollicite et meditate contuli, conſului praeſtantiſſimorum Theologorum, qui ad manus erant, commentarios, quaeſivi quidquid hiſtoria Eccleſiaſtica mihi ſuppeditare poſſe videbatur, et tamdem non potui non in ea cum aliquo certitudinis et evidentiae ſenſu acquieſcere ſententia, ſperandam adhuc eſſe converſionem gentis Iudaicae univerſalem, illumque populum, qui quondam invito Deo,

Deo, et cum contemtu imperii eius immediati, Saulem ſibi regem elegerat, eique *oſculum* obedientiae per Samuelem obtulerat, 1 Sam. x. 1, ſub ultima tempora *Filium Dei oſculaturum*, et cum primoribus ſuis eius imperio ſe eſſe ſubmiſſurum Ps. II. 12. Videtur hoc ex compluribus vaticiniis cum Prophetarum V. T. tum ipſius Domini noſtri non obſcure colligi. Sed diſſertatio illa Pauli, quae occaſionem dedit noſtrae huic disquiſitioni, exceptione quavis, ſi iudicando aliquid valeo, maior eſt, dubiumque omne penitus tollit. Illi igitur potiſſimum nunc inhaerebo, aliis tamen quibusdam argumentis, quae doctrinam hanc Pauli illuſtrant, non penitus neglectis.

§ 2. *Qualem hic intelligi univerſalem Iudaeorum converſionem cupiamus.*

Antequam autem ad adſtruendam doctrinam noſtram, aut potius doctrinam Prophetarum et Apoſtolorum, me rite accingam, diſtinctius hic in anteceſſum declarare operae pretium erit, qualemnam ego futuram Iudaeorum converſionem univerſalem intelligi velim. Inter eos enim, qui rem ipſam agnoſcunt, aliqua tamen occurrit ſententiarum diſcrepantia, quarum nonnullae Theologis noſtris minus probantur, quam reliquae. Omnia verbis doctiſſimi cuiusdam Theologi complectar (1): *Quidam*, inquit ille, *haec intelligunt de ordinaria Iudaeorum converſione, ut nempe, quemadmodum in ipſis N. Teſtamenti initiis, multi ex hoc populo ad Fidem Chriſti acceſſerint, ita idem*

(1) Venerandus *Walchius* in der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Lutheriſchen Kirche, II. Theil, p. 200.

idem poſtea quoque evenerit, hodieque eveniat, et in poſterum quoque eventurum ſit, ut ſemper aliqui, agnitis erroribus Eccleſiae Iudaicae, ad veram Eccleſiam ſeſe adiungant. Sunt praeter hos alii, quibus Scriptura Sacra de iſto negotio videtur tanta efficacium phraſeon copia loqui, ut evidenter appareat, indicari et praedici converſionem populi Iudaici ſpecialem et ſolennem, quae adhuc futura ſit. Et hi quidem ipſi in duas rurſum diverſas partes opinionesque diſcedunt. Etenim nonnulli ex ipſis aſſerunt, fore, ut populus Iſraëliticus totus, nemine excepto, ad Fidem Chriſti accedat, ſiquidem in Vaticiniis Prophetarum ſermo ſaepe ſit de gente integra; Paulus etiam Rom. XI. 25. etc. *aſſeveret, poſt intromiſſam in Eccleſiam plenitudinem gentium, totum Iſraëlem ſalvatum iri; alii contra in hiſce locis deſignari exiſtimant tantam Iudaeorum multitudinem, ut reliquorum in incredulitate perſiſtentium nulla fere ratio haberi poſſit, uno verbo, volunt illi tantum, permagnam et ſolennem Iudaeorum converſionem expectandam adhuc eſſe, quibus calculum ſuum adiicit B. Spenerus.* Non deſunt etiam (2), qui Iudaeos, ad Chriſtum Dominum conver-

(2) Tale quid *B. Spenero* aliquando excidiſſe, obſervatur. Vide *Walchium* Lib. cit. p. 213. Sed aperte rem hanc ſaepius adſtruxit *Peterſenius* omnibus notiſſimus. Vide eund. *Walchium* Lib. cit. p. 599, 606, 607, 620, etc. Ex noſtris Theologis non pauci, praeſertim in Belgio, vaticinia Prophetarum nonnulla de reductione Iſraëlis in terram promiſſam, explicare iubent de populi huius converſione ultima etiamnum expectanda. Sed probant illi tamen utique hocce celeberrimi *Witſii* iudicium: *Vtrum tamen de urbe materiali agatur, an vero ſpirituali, qualis Ezechieli praefigurata eſt, et Iohanni in ſua Apocalypſi, nefas non ſit ignorare, donec fata ipſa ſe rerum eventu explicent,* in Diſſert. *de decem Tribubus Iſraëlis* cap. XI. § 18. Plu-

ri-

verſos, Iudaeam ac Hieroſolymam repetituros, ibique aliis Chriſtianis permixtos regnum ſanctum reſtituturos eſſe, perſuaſum habeant. Ego ex teſtimoniis Scripturae id liquido conſtitui poſſe opinor, populum Iudaicum, nunc per omnes fere totius mundi gentes diſperſum, cum Doctoribus ſuis et Principibus gentis, ſic in gremium Eccleſiae Chriſti tranſiturum eſſe, ut dici vere queat, diſcrimen omne inter gentes Chriſto ſubditas et Iſraëlem re ipſa ſublatum eſſe, et duos hoſce greges, hucusque ſibi tantopere adverſantes et contrarios, in unum gregem coaluiſſe. Reliqua relinquimus Providentiae Dei, et ſapientiſſimo voluntatis eius conſilio. Sed ea de re in ſequentibus nonnulla etiam addenda venient.

§ 3. *Loca Prophetarum Vet. Teſt. converſionem futuram Iſraëlis praedicentia.*

Deum conſilium hocce ſuum de ſolenniter convertendo ultimis temporibus populo Iudaico, ſub Veteri iam Teſtamento per Prophetas ſuos aperuiſſe ac declaraſſe, dubio omni carere debet. *Non enim facit Dominus Iehovi quidquam, niſi cum revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis*, Amos. III. 7. Quis non videt, obſervationem iſtam Prophetae hic cumprimis locum habere, ubi de huiusmodi conſilio Dei agitur, quod non modo populum Iſraëliticum ſpectat, verum quod etiam coronidem promiſſionum omnium Iſraëli factarum, ſummamque eius gloriam complectitur? Idque

ribus autem Theologus ille iudicii perpoliti ſuam hancce ſententiam exponit in eadem Diſſert. toto cap. XIII. Et omnes illi Theologi nolunt hic cogitari de qualicumque Iudaismi reſtitutione.

que *Paulus* Apoſtolus abunde confirmat, quando propoſitum hoc Dei, Eccleſiae N. Teſtamenti clare et perſpicue expoſiturus, ad vaticinia Prophetarum provocat, eorumque ſuffragio doctrinam ſuam comprobat Rom. XI. 25, 26, 27, ubi Oraculum illud *Ieſaiae*, quod extat c. LIX. 20, *et advenerit Tzioni vindex, et converſis a defectione in Iacobo, dictum Iehovae*, itemque illud, quod legitur c. XXVII. 9, *Amovebitur peccatum Iacobo*, de ultima Iudaeorum converſione adhuc futura intelligendum eſſe docet. Quis igitur merito viris doctiſſimis vitio verterit (3), quod veſtigiis his Apoſtoli inſiſtentes, alia quoque Prophetarum loca, conſimilem ſenſum mentibus noſtris offerentia, ad idem Dei conſilium applicent, dummodo id non evidentiſſima prohibeat ratio? Talia vaticinia deſumuntur ut plurimum ex *Moſe* Prophetarum primo, et quidem ſpeciatim Levit. XXVI. 16, ad finem capitis. Deuter. XXX. 1—10, uti nec minus ex Prophetis aliis, *Ieſaia* VI. 13, XI. 11, 12, 13, XXIX. 22, 23, 24, XLIII. 28, cum XLIV. 1. etc. XLIX. 14. etc. LIV. 1, 4. etc. LXIII, LXIV. *Ieremia* XXIII. 5, 6, etc. XXXI. 1, 27, 28, XXXII. 37, 38, etc. LI. 5. *Ezechiele*, apud quem plurima huc ſpectantia reperiuntur, praeſertim XVI. 53. etc. XX. 40. etc. XXXVI. XXXVII. XXXIX. 25. etc. *Hoſea* II. 13. III. 3, 4, 5. *Zacharia* VIII. 14. X. 3, 6. XII. 10. ac denique ex *Pſalmis* XIV. 7. LXIX. 36. LXXVII, LXXXV. A quibus omnibus et ſimilibus aliis locis prolixius nunc evolvendis et illuſtrandis mihi abſtinendum neceſſario eſſe, anguſti illi, quibus Dis-

(3) Vide praeter alios *Iac. Altingii* uberrimam expoſitionem cap. XI. ad Rom. Operum Tom. IV, *Herm. Witſii* Diſſertation. de decem Tribubus Iſraëlis cap. IX. X. XI. XII XIII, *H. Venema* Diſſert. Sac. Lib. I. c. XI. § 20, 21. etc.

Diſſertatio haec circumſcripta eſt, limites teſtatum ſatis faciunt. Ad haec a (4) viris doctiſſimis graviſſimis de cauſis monitum et probatum quoque fuit; permulta ex locis hic adductis alium et commodiſſimum quidem ſenſum pati, quaedam etiam, ſi curate perpendantur et ſollicite ab omni parte verſentur, ad ultimam illam Iudaeorum converſionem vix ac ne vix quidem transferri poſſe. *Multa* enim ex vaticiniis illis praedicunt reditum Iudaeorum ex Babele et finem illius captivitatis, ac beneficia tum in populum Dei accumulanda. Alia reſpiciunt ſtatum Iſraëlis ſpiritualis, ſeu Eccleſiae N. Teſtamenti ex Iudaeis et Gentilibus collectae, illiusque ſplendorem et gloriam. Alia denique menti noſtrae obiiciunt beneficia quaedam credenti et electo ſemini Iſraëlis hoc tempore ſpecialiter a Deo deſtinata, quod ipſe *Paulus* etiam nos obſervare iubet, Rom. IX, XI. Cum praeterea Oracula Prophetarum plerumque ſtylo aenigmatico conſcripta, multisque dictionibus myſticis referta ſint, in quibus aberrare facillimum eſt, niſi ipſe rei praedictae eventus lucem certiſſimam praeferat, huius vero Divini conſilii circumſtantiae (5) non ita liquido et clare nobis a Spiritu Dei proditae ſint, vaticiniorum illorum uberiorem et luculentiorem interpretationem (6) *tempori illi quod Deus potentiae ſuae reſervavit*, relinquendam eſſe credimus. Nobis ex teſtimo-

(4) Vide *Vitringae* Commentar. ad loca *Ieſaiae* citata, et inprimis celeberrimum Theologum Franekeranum, *H. Venema* Obſervat. Sacr. Lib. I. cap. XI. § 6, 7, 8, et ſeqq. [in Comm. ad *Ier*., *Ezech*., *Zachar*., et *Pſalm*. l. c. *Manger* in *Hoſeam*.]

(5) Vide *Witſium* l. c. cap. XIII.

(6) Act. I. 6, 7.

monio *Pauli* diſerto ſufficit obſervaſſe, Deum conſilium hoc ſuum per Vates ſacros re ipſa praedixiſſe, etiamſi tamen idem Apoſtolus negotium hoc ſuo tempore conſiderari voluerit, ut *myſterium*, nunc demum clare patefactum.

§ 4. *Vaticinia Chriſti Domini de eadem re.*

Transeo iam ad ea, quae optimus Servator, futura Eccleſiae ſuae in his terris fata diſcipulis ſuis Prophetico more praenuntians, etiam de converſione Iudaeorum univerſali ſigillatim praedixiſſe deprehenditur. Monuerunt eruditi quidam viri, in Parabolis Domini, quibus ille res Eccleſiae ſuae futuras, eas praecipue, quae ſtatum Iudaeorum et Gentilium ſpectant, veluti in imagine quadam adumbrare ſolet, nullam eventus illius, de quo hic diſſerimus, mentionem fieri. Sed neque id diſſimulabo, non obſtantibus iis, quae hactenus ſummi Theologi de argumento Parabolarum Prophetico, docte, copioſe, et ingenioſe commentati ſunt, graviſſimos mihi adhuc ſupereſſe ſcrupulos, qui credere vetant, ſenſum arcanum Parabolarum omnium eſſe Propheticum. Si ductum imaginationis in ſenſum Propheticum directae ſequi, illique impetum mentis incaleſcentis permittere conſultum eſſet, non deeſſent forte rationes veriſimiles valde, quibus etiam iſtum eventum, de quo quaerimus, ex Parabolis Domini exſculpere poſſem. Verum ego ita cenſeo, in huiusmodi interpretationibus, ubi ab imaginationis vi plurimum pendet, ſumma cautione opus eſſe, earumque fundamento certo et indubio perſpecta eſſe debere, ne, pro genuino ſenſu orationis Domini, ingenii noſtri fictiones, ſpecioſo amictu indutas, aliis offeramus. Itaque Prophetias Parabolicas ſuo loco nunc relinquo. Sed conſervatos ab Evan-

Evangeliſtis habemus alios Domini ſermones, in quibus Iudaeis futurae aliquando reſtitutionis in ſtatum gratiae et amicitiae Divinae ſpem facere dedignatus non eſt, etſi (7) propter cauſas magni momenti parcius id quidem facere ſoleret. Eo referendum eſſe putem, quod Servatorem dixiſſe Iudaeis legimus Iohan. x. 16, *alias etiam oves habeo, quae non ſunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient: fietque unus grex et unus paſtor.* Hujus certe vaticinii verum et perfectum implementum hucusque nondum vidimus. Sunt etiamnum duo greges, nomine, fide et profeſſione, toto coelo inter ſe diſtincti, quorum uterque in Deo Abrahami gloriatur. Sed aliquando duo hi greges in unum coaleſcent, quo tempore (8) *Iehova erit rex ſuper totam terram: die illo erit Iehova unus et nomen ejus unum.* Eodem (9) a Theologis eruditis refertur merito, quod Servator aliquando Iudaeis in Galilaea vaticinatus erat, *Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Amen autem dico vobis, non videbitis me, usque dum venerit tempus, quo dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Luc. XIII. 5. Quae ipſa verba poſtea Hieroſolymae in templo repetiiſſe, atque Phariſaeis ibi ſerio expendenda inculcaſſe legitur Matth. XXIII. 38, 39. Significat nempe Servator, ſe nunc a Iudaeis reiectum, ultimis temporibus ab iisdem cum teſtificatione profundiſſimae reverentiae, ſummique gaudii, ut benedictum ipſo-

(7) Vide *H. Venema* Obſervat. Sacr. p. 223, 224.

(8) Zach. XIV. 9. ceterum etiam B. *Lampius* verba Chriſti ita interpretatur, Comment. in Ioann. X p. 674.

(9) Vide *Sal. à Til* Comment. in Matth. XXIII. 39. *H. Venema* Diſſert. Sacr. p. 224, qui et ipſe ibidem alia quaedam loca addit.

ipſorum regem agnitum et exceptum iri. Alia eiusdem ſenſum offerentia omitto. Memorabile tamen eſt, ſapientiſſimum Servatorem, ſuper hoc argumento a diſcipulis interrogatum: *Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Israëli?* rem ipſam quidem minime negaſſe, vaticiniis quippe Prophetarum praedictam, ſed rationem tamen veram et tempus, quo Deus conſilium hoc ſuum executurus eſſet, ipſis tum nondum aperire voluiſſe, *Dixit autem ad illos, non eſt veſtrum noſſe tempora ſive opportunitates quas Pater in ſua ipſius auctoritate ſtatuit*, Act. 1. 6, 7. Quodſi Servator ne tunc quidem rem hanc diſcipulis ſuis clare eloqui voluit, quid putabimus eum antehac feciſſe, cum multo minus rebus huiusmodi ferendis pares eſſent? Ioh. XVI. 12. Satius omnino erat, pro genio illius temporis, bonos diſcipulos de abrogatione Vet. Teſtamenti, totiusque Iudaismi in univerſum et perpetuum erudire, quam de reſtitutione populi Israëlitici multa promittere.

§ 5. *Tranſitur ad cap.* XI. ep. ad Rom., *ubi conſilium hoc Dei clare manifeſtatum eſt.*

Verum enim vero *Paulus* Apoſtolus, ſcribens ad Eccleſiam Romanorum ex Iudaeis et Gentibus collectam, iisque conſilium Dei de reprobatione Iudaeorum, deque electione Gentilium exponens, conſultum quoque duxit, ipſis Myſterium de futura converſione Iudaeorum univerſali et folemni aperte et diſtincte explicare. Poſtquam enim cap. XI. rem hanc paulo obſcurius iam ſubinnuſſet, eam tamdem clare ita tradit, v. 25, 26, *Nolim enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, ut ne ſitis apud vosmet ſapientes, obdurationem ex parte Israëli eveniſſe, tantisper dum plenitudo gentium introierit, et ita totum quoque Israël*

lem

lem ſalvatum iri. Verba haec mihi adeo plana et perſpicua, adeoque errori omni et ambiguitati portam praecludere videntur, ut capere prorſus nequeam, quomodo in tanta luce doctiſſimi Theologi et interpretes haeſitare, aut luculenta Pauli verba in alienum ſenſum inflectere potuerint. Nemini enim obſcurum eſſe poteſt, eorum plerosque, ſuperiori praeſertim tempore, in hac fuiſſe opinione, deſignari hic eam conversionem illam Iudaeorum, quae facta eſt tempore Apoſtolorum, inprimis poſt excidium Hieroſolymitanum, quaeque et numeroſa valde et illuſtris fuerit, aut eam, quae poſt praedicatum Evangelium ſucceſſive ſemper hucusque facta eſt, fierique usque ad conſummationem ſeculi. Hanc vero nec eſſe, nec eſſe omnino poſſe genuinam Apoſtoli mentem, argumentis nonnullis, quae omni exceptione majora mihi videntur, nunc B. C. D. adſtruere conabor, huiusque doctrinae uſum praeterea oſtendam. Fateor perquam libenter, me, iſta meditatione occupatum, in eruditiſſimorum virorum, qui idem argumentum cum laude perſecuti iam ſunt, ſcripta incidiſſe. Et eorum quidem obſervationibus, quas textus ipſe Paulinus nobis omnibus ſuppeditat, cum gratitudinis profeſſione utar, ſed ita tamen, ut aequus lector facile intelecturus ſit, me et argumenta ipſorum hinc inde nova quadam luce perfudiſſe, et iisdem alia quoque addidiſſe, quae communem noſtram doctrinam ſtabitura ſint.

§ 6. *Paulum praedicere futuram aliquam ſolemnem converſionem Iudaeorum, oſtenditur. I. ex eo quod hanc doctrinam Myſterium vocet.*

Et omnium primo quidem id mecum ſine dubio ur-

gebunt omnes, qui pericopam hanc Paulinam attenta meditatione perſequentur, Apoſtolum doctrinam illam, quam nunc Romanis traditurus erat, nuncupare *Myſterium*, nunc demum plene revelandum. Haec enim ſunt eius verba v. 25, *Nolo enim vos, fratres, ignorare myſterium hoc, ut ne ſitis apud vosmet ipſos ſapientes.* Obſervare ad haec verba non inutile fuerit. 1) doctrinam de Iudaeorum converſione futura, ab Apoſtolo nunc tradendam, vocari *Myſterium*, id eſt, uti *Grotius* ipſe, quantumvis ſententiae noſtrae plane adverſetur, explicat, *rem arcanam, quam homines, niſi Deo dante, ſcire nequeunt.* Quam in rem provocat ad loca ſequentia, 1 Cor. xv. 51, Apoc. x. 7, et xvii. 7, Dan. ii. 18, 19, 27, 28, 29, 30, 47, et iv. 6. Et res eſt omnibus notiſſima. Vno verbo, *Paulus* Romanis ſuis aperit arcanum Dei conſilium, de quo nihil, niſi ex ipſius revelatione, certo ſciri poterat. 2) Myſterium illud nunc demum Romanis clare et dilucide expoſitum iri. Ait enim, Apoſtolus: *Nolo vos ignorare hoc Myſterium.* Quorum verborum non videtur alius eſſe poſſe, quam iſte ſenſus: *Ea, quae nunc ex revelatione et inſpiratione Spiritus Dei ſcribo, efficient, ut ne conſilium Dei, alioquin arcanum de futura Iudaeorum converſione et ſalute, vobis poſthaec incognitum aut obſcurum eſſe poſſit.* Et ſane in confeſſo apud omnes eſt, numquam antea conſilium illud Dei adeo luculenter ac perſpicue declaratum fuiſſe, atque ab Apoſtolo factum eſt. 3) Rationem, cur Myſterium illud nunc ipſis revelaretur, hanc eſſe, *ne ſint ſapientes apud ſe ipſos*, vel, ut bene *Grotius* interpretatur, *ne ſint ſibi ſapientes.* Iudaei pariter ac Gentiles multum in hoc negotio iudicio rationis ſuae tribuebant, plurimisque ſuſpicionibus vanis ac male digeſtis indulgebant. Videmus Apoſtolum cap. ix et xi complures huiusmodi ina-

nes

nes ipſorum ratiocinationes detegere et repellere. Ne vero poſthaec idem ipſis porro eveniret in re, quae unice ex voluntate Dei ſuſpenſa erat, voluntatem hancce Dei, quae omnem ſuper hac re cogitationum diſcordiam componere poterat, ipſis clare aperit. Haec omnia de ſucceſſiva Iudaeorum converſione dici minime poſſunt. Illa profecto Myſterium abſconditum non erat. Eccleſia primo ex Iudaeis erat collecta, et aliquot annos in ſola hac gente ſubſiterat. Ex Iudaeis hactenus magna multitudo, non modo in Iudaea, ſed per totum paene orbem, uti nec minus Romae, ad Fidem Chriſti erat converſa, et quotidie etiam nunc convertebatur. Illa omnium oculis erat expoſita. Et illo tempore prorſum omnino erat coniicere, id quod hactenus factum erat, etiam poſtea ſemper factum iri. De ea itaque Paulus non loquitur, ſed de re adhuc arcana hominibusque abſcondita.

§ 7. *Secundo, quia res illa, quam annuntiat, poſtea demum futura erat.*

Res illa porro, quam *Paulus* Myſterium vocat, ſpectabat neque tempus praeteritum, neque praeſens, ſed futurum. An non enim res illa hactenus omnibus fuerat ignota et abſcondita, ſed quam *Paulus* Romanos ſuos iam nunc amplius latere nolebat? Hoc verba Apoſtoli indubie teſtantur. Sed et alia, quae Apoſtolus ibi diſſerit, id ipſum plane evincunt. Docet enim, eos qui nunc *abjecti* ſunt, aliquando in gratiam eſſe *recipiendos* v. 15, *ramos* nunc *defractos*, olim eſſe arbori, ex qua deciderant, rurſus *inſerendos* v. 20, 23, *totum Israëlem ſalvatum iri* v. 26, ipſos poſt gentes *miſericordiam conſecuturos eſſe* v. 30, 31. Quaero igitur, quonam tempore myſterioſum hocce atque arcanum Dei conſilium, poſthaec executioni

datum, ipſoque eventu comprobatum fuerit? An ſufficiet reſpondiſſe, Iudaeos ſemper aliquos poſt obitum *Pauli* reliquorumque Apoſtolorum, ad Eccleſiam Chriſti ſeſe adiunxiſſe? Hoc certe non eſſe Myſterium illud, quod hic a *Paulo* retegitur, modo probavi. Neque etiam res illa dicenda fuiſſet futura, ſed potius praeteriti et praeſentis continuatio. Sed ecce nobis *Grotium*, qui, quo erat ingenii acumine, argumenti noſtri vim facile perſpexit, ſed illam hac reſponſione (10) enervari poſſe credidit: *Invaluit adeſſe tempus, quo non pauci, ut antea, ſed magna quaedam multitudo Iudaeorum Chriſtum eſſet amplexura. Id autem evenit primum, cum videre Iudaei impletum, quod Chriſtus dixerat, Idola Romanorum, id eſt, ſigna militaria apparitura in conſpectu Templi, Matth. XXIV. 15. . . . . Poſt id vero excisa urbe, exciſo templo, cum iam multo clarius veritas vaticiniorum Chriſti appareret, ſervitutis etiam perſonalis onus multorum fregiſſet ferociam, quod et in Babylonio olim exilio evenerat, multi plane Iudaei Chriſtum amplexi ſunt, Veſpaſiano et Tito id nondum impedientibus.* Verum enim vero, etſi haec nondum abſolvere poſſint abſcondirum illud Myſterium, cuius executionem *Paulus* expectandam eſſe docuerat, aliquid tamen *Grotius* dixiſſe videri poterat, ſi ea, quae dixit, cum hiſtoria Eccleſiae Chriſtianae congruerent. At, magnus ille vir, iſta ſcribens, non hiſtoriam conſuluit, quae ipſum iuvare non poterat; ſed coniecturas ſuas nobis obtulit, ut profecto miser, fuiſſe viros undecumque doctiſſimos, qui verbis eius ita faciles aures praeberent. Monumenta Eccleſiae illius aevi, quae aetatem tulere, nihil omnino huiusmodi loquuntur.

(10) Notis in Rom. XI. 26.

tur. *Iustinus Martyr* (11) loco illo, quo coniecturam ſuam nititur confirmare *Grotius*, de Iudaeis ſui temporis nihil aliud quam hoc teſtatur, *indies adhuc* nonnullos *diſcipulos factos in nomen Chriſti, et viam erroris relinquentes*, quale quid et tempore Apoſtolorum et ſemper poſtea in hodiernum usque diem factum eſſe, nemo ambigit. At auctor ille idem (12) alio loco *totum Israëlem*, quem *Paulus* dicit ſalvatum iri, compellans, haec ipſi objicit: *Ad haec, capta quoque urbe veſtra, et terra vaſtata, non reſipiſcitis, diris eum, et credentes in eum univerſos, exſecrari audentes.* Vt iam taceam, πόρωσιν, *obſtinatam cordis indurationem* populo huic ab eodem ſancto martyre toties exprobratam, de qua ſuo loco quaedam adhuc dicenda mihi eſſe video. Quantopere vero externus adſpectus Eccleſiae Chriſtianae ratione Iudaeorum poſt excidium urbis et Templi in deterius fuerit mutatus, vel ex eo ſatis aeſtimare licet, quod cum antea Doctores Eccleſiae plerique, certe illuſtriores, Iudaei fuerint, poſt illud tempus, per integrum ſeculum in hiſtoria Eccleſiaſtica vix unus aut alter occurrat ex viris celebrioribus, quem origine Iudaeum fuiſſe conſtet.

§ 8. *Tertio ex imagine ſtatus Iudaeorum praeſentis, qualem Paulus ibi repraeſentat.*

Vt vero haec tanto evidentius intelligantur, monendum eſſe duco, Apoſtolum hic liquido diſtinguere in-

(11) In Dialogo cum Tryphone Iudaeo, Operum p. 257, 258.

(12) In eodem Dialogo, p. 335.

inter ſtatum Iudaeorum praeſentem, et inter eorumdem ſtatum futurum, qui ſecundum arcanum et myſterioſum Dei conſilium adhuc olim expectandus erat. Videamus hic primo, quaenam ſit facies illius Iudaeorum ſtatus, quem Apoſtolus ſibi et Romanis ſuis, tamquam omnium oculis expoſitum, repraeſentat. Nempe ſtatum illum nobis depingit ut ἄπωσιν, *depulſionem a Deo*, et quod idem eſt, ἀποβολὴν *abiectionem* v. 1. *An igitur Deus plane repulit populum ſuum?* quod ſine dubio concedit reſpectu multitudinis Iudaeorum, quae dici poterat Natio, etſi id neget reſpectu exigui cuiusdam ſeminis electi, v. 15; *Si enim* nunc *abiectio Iudaeorum acceleravit reconciliationem gentilium*, utpote qui eſt genuinus horum verborum ſenſus. 2) Vt ἥττημα, *damnum* et *imminutionem*, quod nempe Iudaei Gentilibus aperte poſtpoſiti fuerint, quod, uti legimus in Parabolis, *primi evaſerint ultimi, et ultimi viciſſim primi*, v. 12, *Si enim ex damno eorum et imminutione copioſiſſima gratia redundavit in gentiles.* 3) Vt παράπτωμα, *ruinam gravem, qua ceciderant*, v. 12, *Si enim ruina ipſorum gentilibus magnam bonorum copiam attulit.* Etenim apparebat iam tum ex parte, et brevi poſt ſuo excidio Hieroſolymitano appariturum erat omnibus luculenter, Iudaeos excidiſſe non modo privilegiis externis et carnalibus gentis ſuae, ſed etiam ſpiritualibus et ſalutaribus donis gratiae, communione ipſius illius Meſſiae, qui *ipſis natus* erat, Luc. 11. 11, quinimo incumbere nunc cervicibus ipſorum praedictam per Prophetas maledictionem. Hic ipſe eorum ſtatus 4) metaphorice ſed perquam eleganter repraeſentatur ut κλάσις κλάδων, *confractio ramorum arboris* v. 16, 17 usque ad 22, nempe in hac metaphora Eccleſia Dei V. et N. Teſtamenti comparatur cum arbore, cuius radix ex conſilio Dei fuerant Abra-

ha-

hamus, Iſaacus et Iacobus, patres Chriſti et Iudaeorum carnales, et patres omnium credentium ſpirituales; Rom. IV. 11, 12. Ex radice illa Iudaei ceu rami naturales pullulaverant; ſed illi intercedente pertinaci illa mentis obſtinatione ac incredulitate nunc confracti, eorumque loco Gentiles arbori inſerti erant. Clarius ſtatum hunc *Paulus* 5) vocat. ἀπείθειαν, *incredulitatem* et *inobedientiam* v. 31, 32, et reſpectu habito ad gravitatem 6): πώρωσιν, *excaecationem* et *indurationem*, v. 7, *Semen electum iuſtitiam conſecutum eſt*, id eſt, in Chriſto evaſit iuſtitia Dei, *reliqui vero ſunt excaecati*, et v. 25, *Israël* nunc *ex parte excaecatus eſt*. Equidem non eſt, quod dubitemus, magnam in populo iſto caeci cordis duritiem fuiſſe iam in diebus Chriſti, Matth. XIII. 14, 15, Ioh. XII. 38, 39, 40, illamque tempore Apoſtolorum diminutam non fuiſſe, Act. VII. 51, XIII. 45, 46. Sed veram tamen indurationis Iudaeorum epocham collocandam exiſtimaverim in excidio Hieroſolymitano. Antehac non ſingulos, ſed *millenos* Iudaeorum una, per vocem Evangelii ad fidem perductos fuiſſe legimus Act. II. 41, IV. 4, VI. 1, XXI. 20, ubi plures Iudaeorum converſorum *myriades* memorantur. Neque res eſt adeo difficilis creditu. Etenim illo tempore memoria dictorum et factorum Chriſti Domini, recens adhuc in omnium mentibus erat: Eccleſia ex Iudaeis conflata, et in gremio ipſorum collecta, regebatur ab Apoſtolis, origine Iudaeis, et omnium donorum Spiritus S. copia uberrima inſtructis: Apoſtoli et reliqui Doctores Eccleſiae, Iudaei ut plurimum, hos et primum et ſumma cum humanitate ad Eccleſiae communionem vocabant, iis ſe, ubi modo poterant, accommodabant, cum iis cultui Templi intererant, cumprimis in Synagogis eorum docebant, et amicitiam eorum modis omnibus aucu-

pabantur. At vero omnia haec poſt deſtructionem reip. Iudaicae confeſtim deſiiſſe, extra controverſiam poſitum eſſe puto. Ab eo tempore omne familiaritatis et amicitiae commercium inter Eccleſiam et Synagogam penitus abruptum eſt. Chriſtiani Iudaeos poſthaec multo magis contemnere, hi Chriſtianos viciſſim multo magis odiſſe coeperunt. Hinc novas vires ſumſit novaque incrementa cepit incredibilis illa populi Israëlitici adverſus Chriſtum Dominum induratio, quam ipſis Eccleſiae veteris Doctores continuo obiiciunt, quamque nos in hodiernum usque diem, ceu terribile Dei in ipſos iudicium, non ſatis mirari poſſumus.

§ 9. *Quarto, ex duratione, quam ſtatui huic Apoſtolus aſſignat.*

Quicumque haec ſeria aeſtimatione penſitaverit, intelliget haud difficulter, ſtatum illum Iudaeorum, quem *Paulus* ut praeſentem menti ſuae exhibebat, etiamnum durare, et poſthaec ſemper magis magisque conſpicuum factum fuiſſe. Itaque ſtatus illi oppoſitus, in quo Iudaei favore Dei et communione Redemtoris ad ſalutem ſuam in Eccleſia N. Teſtamenti poſtliminio fruentur, adhuc dum futurus nobisque porro expectandus eſt. Quaeri poteſt, an ſtatus ille Iudaeorum praeſens diu duraturus ſit. Id quidem *Paulus* non determinavit; ſed criterium tamen aliquod temporis nobis ſubminiſtrat, ex quo poterit iudicari, aliquando imminere tempora Iudaeis ſalutaria et exoptanda. Idque criterium partem facit illius Myſterii, quod *Paulus* Romanis ſuis revelavit. Ita enim verba eius ſonant: *Nolo vos ignorare, fratres, Myſterium hoc, indurationem contigiſſe ex parte Israëli*, usque dum *plenitudo gentium introiverit*, at-

atque tum Israëlem totum ſalvatum iri. Praedicit igitur Apoſtolus, indurationem populi Iudaici duraturam eſſe, usque dum plenitudo gentium in ovile Chriſti introierit. *Plenitudo gentium* ſignificat *gentes omnes*, quarum numerus ſuo tempore complebitur. Et obſervatu dignum eſt, *plenitudinem gentium* opponi *toti Israëli.* Primo ingredietur plenitudo gentium, et tum totus etiam Israël ſalvabitur. Hoc eſt admirandum Dei conſilium, de quo *Paulus* v. 32. Reſpondit hactenus praedictioni eventus. Multae adhuc deſunt gentes vocandae in Eccleſiam vivi Dei, et videmus, obdurationem gentis Iudaicae ſublatam, quoque nondum eſſe. Quando *Paulus* ait: καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, id duobus modis verti poteſt. Aut hoc modo: *et ſic plane, ut Gentes converſae ſunt, convertentur etiam Iudaei.* Vel poteſt etiam reddi: *atque* hoc facto, *Israël totus quoque ſervabitur.* Οὕτω nonnumquam idem valet quod *poſtea, deinde.*

§ 10. *Quinto, ex imagine ſtatus Iudaeorum futuri, quem Paulus praedicit.*

Sed conſiderandus nunc etiam eſt ſtatus Iudaeorum futurus, qui praeſentem hunc triſtem ut vere miſerandum aliquando excipiet. Status ille nuncupatur a *Paulo* 1) πλήρωμα (in oppoſitione ad eorundem ἥττημα, *damnum, imminutionem*) id eſt, ſtatus beatus et bonis cumulatus, v. 12, *Si enim ruina ipſorum gentilibus magnam bonorum copiam attulit, ſi ex damno eorum et imminutione copioſa gratia redundavit in gentiles, quanto magis id de rediviva ipſorum felicitate ſperandum eſt?* 2) πρόσληψις, id eſt, *aſſumtio*, (in oppoſitione ad *repulſionem* et *abiectionem*) vel in favorem Dei et communionem bonorum foederis receptio, v. 15, *Si abiectio eorum occaſio fuit*

fuit Gentilium cum Deo reconciliandorum, quid de eorum in gratiam receptione existimatis? An non illa erit etiam ratione vestrum veluti restitutio mortuorum in vitam? 3) ἐγκέντρισις, *insitio in arborem*, in oppositione ad *confractionem*, v. 23, *Et illi etiam, rami nunc confracti, dummodo in* praesenti *incredulitate non perseverent, arbori rursus inserentur. Deus enim eos postliminio inserere potest.* Quae (13) non conditionata sunt et incerta, sed, uti totus orationis Paulinae contextus docet, rei certo futurae praedictionem continent. Pergit *Paulus* v. 24, *Si enim tu, ex oleastro decerptus, et oleae tamen insertus es, quanto magis hi, qui naturales sunt oleae propagines, eidem rursus vetae propriae suae arbori inserantur?* 4) Ἐλεημοσύνη, *status misericordiae et gratiae*, in oppositione ad statum refractariae inobedientiae, v. 29, 30, *Sicut enim vos etiam Deo inobedientes et increduli eratis, nunc vero occasione horum incredulitatis misericordiam consecuti estis, eodem modo et hi nunc quidem Deo nec credunt nec obediunt, quod Dei misericordiam in vos derivavit, ut et ipsi* aliquando *misericordiam consequantur,* 5) σωτηρία, *status Salutis*, in oppositione ad praecedentem *duritiem* mentis occaecatae, v. 26, *Atque sic totus Israël salvabitur*, id est, Christum Principem salutis, penes quem solum vera est salus, agnoscent, eiusque nomen, cum laeta professione fidei suae in eum, pie ad salutem suam invocabunt, iuxta illud, *omnis, qui nomen eius invocaverit, salvabitur*, Rom. x. 13, ex Ioël. II. 32. Quis vero iam est, qui non videat, laetam hanc et salutarem faciem

(13) Consuli hic possunt, quae erudite observavit *H. Venema*, Dissert. sacr. p. 221, 222.

faciem populi Israëlitici, gloriosum hunc et felicem illius statum nondum illuxisse? Expectandum itaque hoc etiamnum est a Providentia Sancti et Veracis Dei.

§ 11. *Sexto, ex eo, quod status ille uterque iisdem tribuatur successive.*

Id vero inprimis observatione nostra dignum hic esse censeo, quod uterque ille diversissimus status uni eidemque Genti, Iudaicae nempe, sed successive, seu diversis temporibus, attribuatur, v. 12, *ipsorum ruina et imminutio gentibus scaturigo fuit copiosae gratiae, quanto magis eorum restitutio.* Sic v. 15 sibi opponuntur Iudaeorum *abiectio*, et eorumdem *in gratiam receptio*. Et sic semper porro in sequentibus. Hoc igitur non potest intelligi de personis singularibus, quae tempore Apostolorum et deinceps ad fidem Christi fuerunt conversae, quae certe a Deo repulsae et abiectae, confractae et induratae, non fuere. Posset quis nobis regerere, illos ipsos omnino esse, qui in oratione Pauli designati sint, quippe qui primo quidem propter incredulitatem a Deo abiecti, sed postea intercedente fide et resipiscentia, in gratiam recepti ac misericordiam consecuti fuerint. Verum enim vero, ut nunc taceam, vicissitudinem hujusmodi abiectionis, et mox secutae electionis, (14) indurationis, et secutae deinceps gratiosae miserationis, in eodem ve-

(14) Observa, sermonem esse non de actu ordinario Providentiae Divinae, qualis etiam induratio vocari potest, quemque saepe numero excipit misericordia Dei. Sed sermo est de actu quodam iudicii Divini extraordinarii, qualis locum habuit in Pharaone, et in Iudaeis tempore Christi et Apostolorum.

ſubiecto cum analogia Scripturaria haud optime convenire, conceptus ille etiam a mente Pauli, quam in hoc capite declarat, longiſſime recedit. Concedit enim, ex populo Israëlitico, et tum temporis, multos fidei ſalutari locum dediſſe, et porro etiam daturos eſſe. Illius rei ſe ipſum teſtem et exemplum producit v. 1. Illos comparat cum ſeptem millibus illis, qui tempore Eliae in corruptiſſimo et abominandae idololatriae dedito populo, ſe ſolos puros conſervaverant v. 4 Illos vocat *reliquias bonas ſuperſtites* in populo depravato v. 5, et *electionem* vel ſemen *electum* et a Deo *praecognitum* v. 2, 5. Ab his clare diſtinguit *reliquos*, *qui indurati et excaecati ſint* v. 7. Et de his in orationis decurſu loquitur, eos nunc cecidiſſe, et indurationem illam duraturam, donec *multitudo Gentilium* tota in Eccleſiam intromiſſa fuerit, quo facto viciſſim *totus* etiam *Israël*, abiecta incredulitate, in communionem ſalutis recipiendus ſit. Aut ergo nihil video, aut certiſſime ſermo eſt de integro Israëlis populo, de corpore Nationis illius, quae quondam populus fuerat Dei peculiaris, reiectis aliis omnibus mundi nationibus, cui nunc quidem, priſtinis privilegiis orbato et repudiato, nationes reliquae ſubſtitutae erant, ſed qui aliquando priori illo Dei favore rurſum fruiturus et reliquis Eccleſiae membris aequandus eſſet.

§ 12. *Septimo, ex eo ſpeciatim, quod totus Israël aliquando ſalvandus ſit.*

Ex his per ſe iam poteſt perſpici, quid me iudice ſibi vellit ὁ πᾶς Ἰσραὴλ, *totus Israel*, quem *Paulus* praedicit ſalvatum iri. Sed illud ex ipſo textu Paulino nonnihil adhuc illuſtrare abs re non fuerit. Alludit nempe Apoſtolus voce illa ad ea, quae ſuperius partim

tim de Iudaeorum praeſenti ſtatu, partim vero de Gentilibus dixerat. *Totum Israëlem* itaque opponit 1) *Semini electo* et *reliquiis bonis* ex hoc populo, quae etiam nunc ad ſalutarem Chriſti cognitionem perducuntur. Semper, uti ſuo tempore loquentem *Iuſtinum Mart.* (15) audivimus, *nonnulli ex Iudaeis* ad veram Dei Eccleſiam vocantur et congregantur. Semper Deus ex ſemine Abrahami etiam nunc electos ſuos habet. Sed illi tamen, ſi quod res eſt dicendum, in cenſum venire vix poſſunt. Dici nunc nondum poteſt, *Israëlem* ſalutari Dei et Chriſti eius cognitione eſſe imbutum. Sed veniet tempus, quo id dici vere iureque merito poſſit. Sed cum Apoſtolus *totum Israëlem* nominat, alludit quoque 2) ad ea, quae modo dixerat de parte Israëlis obdurata. Hac enim ſerie ponuntur verba Pauli: *Israëli ex parte obtigit obduratio, quoad plenitudo gentium in Eccleſiam admiſſa fuerit: et tum totus Israël ſalvabitur.* Elegans hic eſt oppoſitio. Tempore namque obdurationis, iudicio huic ſuberat ipſa proprie loquendo natio Iudaica, qua ſubinde tantum deſerta, quidam tranſibant et porro tranſituri erant ad coetum Eccleſiae Chriſtianae. *Paulus* ad minuendam invidiam, hoc vocat *partem* Israëlis, cum re vera intelligat corpus ipſum nationis Iudaicae. Sed elapſo triſti tempore, ſalus et ſalutis communio reditura erat ad *totum Israëlem*, id eſt, pariter ad totum corpus nationis Iudaicae. Denique 3) alluditur per *totum Israëlem* ad *plenitudinem gentium*. Primo Deus in Eccleſiam introducere volebat Gentes omnes terrae: Gentes enim primae ingenti numero Evangelio patulas aures praebuerant. Hoc facto, etiam Natio Iudaica denuo vocanda et

(15) Vide ſupra §. VII.

et ſalutis in vera Eccleſia Dei particeps fieri debebat. Itaque per *totum Israëlem* intelligo totum Nationis Iudaicae corpus, quod Chriſtianae Eccleſiae ſuo tempore, non ita ut nunc, oppoſitum amplius erit, ſed unum cum ipſa conſtituet populum Dei. Ita *totus Israël* ſaepiſſime accipitur, 1 Sam. VII. 5, XXV. 1, Act. II. 36, XIII. 24. Non itaque nego, fore aliquos, vere ex Iſraële progenitos, qui ſalutis huius partem nullam habituri ſint. Quemadmodum enim, durante ſtatu indurationis, quidam tamen miſericordiam conſecuti ſunt, ita nihil vetat, quo minus ſub ſtatu reſtitutae ſalutis, quidam propter perſeverantem incredulitatem et impoenitentiam, ſe ipſos illa privaturi ſint. Illi vero in cenſum non veniunt; verumque nihilo tamen minus manebit, *totum Israëlem* ſalvari.

§ 13. *Octavo, ex obſervatione Pauli, quam doctrinae ſuae ſubiungit.*

Nihil vero omnia ea, quae hactenus diſputavimus, tantopere confirmat, quam obſervatio illa Apoſtoli, qua doctrinam ſuam de hoc Myſterio concludit. Iubet Gentiles, ad Chriſti religionem converſos, recordari mirabilis illius viciſſitudinis, quam experti fuerant, quod cum Deus olim ipſos, idololatriae et impietati deditos, dereliquiſſet, ſolumque Israëlem in populum peculii elegiſſet, nunc vice verſa Israëli immorigero et incredulo in reprobum ſenſum tradito, ipſorum miſertus ſit, atque inter eos poſthaec Eccleſiam veram ſibi colligere velit. Sed et praedicit, Iudaeos parem omnino viciſſitudinem etiam in ſe experturos eſſe, v. 30, 31, *Sicuti enim et vos quondam inobedientes fuiſtis Deo, nunc vero, poſtquam hi* Iudaei *contumaces facti ſunt, miſericordiam impetraſtis;*

ſtis; conſimiliter et illi nunc quidem immorigeri evaſerunt veſtro bono, ut et ipſi olim miſericordiam conſequantur. Pergit vero ita: *Deus enim omnes ſub incredulitatem et inobedientiam concluſit, ut omnium miſereatur.* Id quod haud dubie de ſucceſſiva et vere admirabili, cum inobedientia hominum, tum miſeratione Dei, intelligendum eſſe, liquet. Primo Deus Gentiles concluſerat ſub inobedientiam, ut miſereretur ſolorum Iudaeorum: poſtea hoſce viciſſim iudicium idem bene meritum ſubire paſſus eſt, ut ſolis Gentibus divitias amoris et bonitatis ſuae exhiberet. Sed omnibus et Gentibus et Iudaeis una, eamdem miſericordiae copiam clementiſſime decrevit, ut ſe tum vere oſtenderet Deum et Iudaeorum et Gentilium, et totius carnis. Quam non apte *Paulus* huic obſervationi talem ſubiungit epilogum? *O profundas divitias tum ſapientiae tum cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt eius iudicia, et eius viae imperveſtigabiles? Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit a conſilio? Nam ex eo, et per eum, et in eum ſunt omnia. Ipſi ſit gloria in ſecula.*

§ 14. *Doctrinam Pauli egregie confirmat mirabilis Dei circa Populum Iſraëliticum Providentia.*

Quod ſi iam doctrinam hanc Pauli comparamus cum admirabili prorſus Dei circa Populum Israëliticum Providentia, quis quaeſo in hoc negotio, cuius nullum, poſt orbem conditum, exemplum oſtendi poteſt, non digitum Dei et ſingularem Providentiae eius veluti induſtriam obſervaverit? Videmus populum quondam, ſupra quam dici poteſt, refractarium et ad idololatriam procliveem nunc ſedibus ſuis extorrem, inter omnes mundi populos diſperſum, ab

omnibus ſpretum, ac ludibrio plerumque habitum, ultimis ad haec ſaepiſſime malis preſſum et tantum non oppreſſum, nihilo tamen minus per XVII. propemodum ſecula, patriae et avitae religioni conſtantiſſime adhaerentem, huiusque amore omnes huius vitae calamitates, ipſamque adeo mortem fortiter contemnentem. Idem de X. Tribubus, in captivitatem Aſſyriacam abductis, dici profecto non poteſt. Gentis huius, ſuo tempore numeroſae ſatis, corpus non ita diu ſeparatum ſubſtitit. Pars equidem ad reliquas duas Tribus, Iudaeos ſpeciatim ſic dictos, ſe adiunxit; verum pars longe maxima, (16) quidquid Iudaei, et ex Chriſtianus nonnulli eos ſecuti, ſuaviter ſibi blandiantur, aliis Gentibus admixta, pars earum dudum iam evaſit. Neque etiam mihi quidem videtur hic de horum Israëlitarum reſtitutione cogitandum eſſe. Sic enim genus eorum cum aliis gentibus interpolatum et confuſum eſt, ut non magis ad Abrahamum et Iſraëlem, quam ad reliquas gentes genealogiae eorum pertineant. Ego non dubito, quin permulti ipſorum, gentibus terrae inſiti et cum iis permixti, converſi iam fuerint, et reliqui cum gentibus illis, inter quas etiamnum vivunt, ſuo tempore quoque convertendi adhuc ſint. At Israël ille, de quo *Paulus* praedixit, eum primo quidem induratum, ſed aliquando viciſſim ad ſalutis communionem admiſſum iri, talis etiamnum coram oculis noſtris oberrat, inſigne quidem veritati Religionis noſtrae ſanctiſſimae teſtimonium praebens; ſed ſine dubio conſilii Divini in ſe executionem quoque operiens.

§ 15. *Doctri-*

(16) Vide praeter alios *Witſium* de decem Tribubus cap. VIII. § 4, 5, 6.

§ 15. *Doctrina haec Pauli veteri Ecclesiae bene cognita fuit.*

Nolim omittere, doctrinam hanc Pauli, quam nunc excussimus, Ecclesiae primitivae perspectam pariter et bene cognitam fuisse. Eo videntur spectare, quae ex libro quodam Apocrypho affert *Clemens Romanus* (17) in Fragmento illo, quod Epistola ejus secunda nuncupari consuevit: *Dicit enim Sermo Propheticus: Miseri sunt animo duplices et corde incerti, qui dicunt: haec omnia etiam audivimus a patribus nostris; nos vero diem de die expectantes, nihil horum vidimus. Amentes, comparate vos arbori: sumite vitem: primo quidem foliis defluit deinde germinat; postea uva acerba oritur, indeque uva matura: ita et populus meus agitationes et pressuras tulit; dehinc vero bona excipiet.* Luculentius adhuc spem illam expressit anonymus auctor Testamenti XII. Patriarcharum, qui, haud dubie Christianus, seculo II. vixisse videtur. In Testamento Levi § XVI. haec (18) leguntur: *Propter ipsum* (Messiam occisum) *erunt Sancta vestra deserta, usque ad pavimentum prophanata, et non erit locus vester mundus, sed inter gentes eritis maledicti et dispersi, donec ipse rursus visitabit, et miserens recipiet vos in fide et aqua.* In Testamento Dan § VI. (19) *Qua die crediderit Israël, consummabitur regnum inimici.* In Testamento Aser § VII. (20) *Vos dispergemini in quatuor angulos terrae, et eritis in dispersione despecti, vel-*

(17) Epist. II. cap. XI. edit. *Coteler.* Tom. I. p. 187.
(18) In *Grabii* Spicilegio Patrum Tom. I. p. 170. Vide et *Grabii* Prolegomena p. 143.
(19) Apud *Grabium* p. 209.
(20) Ibid. p. 229.

velut aqua inutilis, usque quo altissimus visitaverit terram ..... Per aquam hic salvabit Israël et omnes gentes ..... congregabit vos Deus in fide propter spem misericordiae suae, propter Abraham, Isaac et Iacob. Quae omnia satis clare alludere videntur ad cap. XI. Epistolae ad Romanos. Alia, quae a viris doctis (21) ex aliis Ecclesiae scriptoribus collecta sunt, ne nimius sim, brevitatis studio nunc libens omitto.

§ 16. *Doctrinae hactenus propositae momentum.*

Nemo iam, ut opinor, de opera illa, quam in exponendo accurate sensu Oraculi Paulini hucusque impendi, ita iudicabit, male eam esse collocatam. *Paulus* enim doctrinam hanc vocat *Mysterium*, et tale quidem Mysterium, quod ipse, ex instinctu Spiritus Dei, in usum Ecclesiae revelandum esse putabat. Quis rei Christianis merito adeo venerandae exquisitam indagationem et cognitionem spernere in animum inducat? An non ipse sapientissimus Servator hoc inter praerogativas discipulorum suorum enumerat, inque eo partem beatitudinis ipsorum ponit, quod Mysteria regni coelorum ipsis manifestata, ipsorumque veluti oculis exposita fuissent? *Et dixit eis: vobis datum est nosse Mysterium regni Dei: iis autem, qui foris sunt, per Parabolas omnia ista fiunt, ut viden-*

(21) Vide *Suiceri* Thesaurum in voce Ἰουδαῖος, Tom. I. col. 1456, *D. Whitby* in Dissertat. subiuncta Commentar. in Epistolas Apostolorum, *C. Vitringam* Comment. in Iesa. LXIV, *H. Venema* Dissert. Sac. p. 208. Sed vide omnino *Primasii* commentar. in Apocalypsin, Tom. I. Magnae Bibliothecae Patrum col. 1368.

dentes videant; et non cernant, etc. Marci IV. 11, 12. Aut an forte quis existimaverit, Mysterium Paulinum non esse ex illorum genere, de quibus loquentem Servatorem audivimus, quia nos ipsos, nostramque propriam salutem non ita spectat, sed eos tantum, qui hactenus extra Ecclesiam habitant? At vero de Mysteriis omnibus, a Deo Ecclesiae suae revelatis, sentiendum et tenendum est, esse ea *Mysteria pietatis* 1. Tim. III. 16, quorum cognitio usum semper habet, et cum insigni fructu conjuncta est, quaeque veram fidem et genuinam pietatem, aut directe et immediate, aut indirecte utique et mediate, iuvat ac promovet. Id ipsum de Mysterio Paulino observari etiam potest; et observatio illa pro otiosa minime habenda est.

§ 17. *Usus Doctrinae illius hoc tempore.*

Meditatio igitur arcani illius consilii Dei de futura adhuc primo Gentilium, et deinde populi Iudaici conversione illustri magnum profecto usum habet, etiam hoc tempore, quo consilium illud suum re ipsa exequi, Deo nondum placuit. Opera Dei omnia, praesertim illustriora, qualia sunt illa, de quibus nobis consilium suum aperuit, non modo quae vidimus, sed etiam futura, eius indolis semper sunt, ut gloriam eminentissimarum perfectionum Dei nobis retegant, utque eorum cognitio viva in hominibus pietatis solidae intimum sensum aut excitet, aut excitatum confirmet ac augeat. Ideoque pietas nos iubet, talia opera Dei meditate et attente considerare, Ps. XL. 6, CIV. 24, CXI. 2, quod de hoc speciatim consilio Dei monet urgetque *Paulus* verbis sane magnificis, et pio affectu pleniſſimis, Rom. XI. 32, 33, ad fin. Praeterea, quod Deus praedicit, quodque ceu

nomini ſuo glorioſum et Eccleſiae ſuae ſalutarem, eiusdem filiis annuntiari iubet, ab iis in fide et ſpe exſpectandum eſt, Gen. XLIX. 18, Pſ. CXIX. 166, Ieſ. LXIV. 5 (22) ſecundum edit. Hebraic. Quae fidei expectatio magnopere commendatur in piis Iudaeis tempore Chriſti, Lucae II. 25, 38, XXIII. 51, Marci XV. 43. Eaque expectatio, ſi fidei et pietatis fructus genuinus eſt, hominem gloriae Dei ſtudioſum inertem ac otioſum eſſe utique non ſinit. An non qui de conſilio hoc Dei edoctus et penitus in conſcientia convictus eſt, gloriae ſibi ducet, ad illud promovendum ſaltem aliquid conduciſſe? An non hoc eſt evadere συνεργὸν Θεοῦ, *Dei in opere* tam eximio *ſocium*? 1. Cor. III. 9. Quo quidnam poteſt eſſe glorioſius aut beatius? Oportet igitur eum, qui poteſt, et quo modo poteſt, operam dare, ut converſionem eorum, quos ex conſilio Dei adhuc convertendos eſſe novit, omni ope promoveat. Si omnes, quibus aliquam facultatem Deus dedit, ſuum hic agerent, dubitandum non eſt, quin Deus piis huiusmodi conatibus largiſſima benedictione eſſet adſpiraturus. Quam egregium noſtra memoria Gentilium converſio in quibusdam Aſiae et Americae partibus ſucceſſum iam habuerit, neminem hiſtoriae recentioris ſtudioſum fugere poteſt. Quid non ex his initiis rei Chriſtianae polliceri poſſumus? *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogemus ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam*, Matth. IX. 37, 38. Vnum autem eſt, quod poſſunt omnes, ſerio et in pio mentis fervore Dominum precantes, ut *adveniat regnum*

(22) In hoc loco ſigillatim contineri expectatisnem ultimae Iudaeorum converſionis, cenſent *Vitringa* in hunc loc. et *Venema* Diſſert. Sac p. 230.

gnum ipſius. Hoc feciſſe veterem Eccleſiam, in teſtimonium fidei ſuae ac ſpei, (23) ex reſiduis illius monumentis intelligimus. Idem faciamus et nos, idque tanto magis, quanto magis credendum, tempus illud nunc propius adeſſe.

§ 18. *Vſus, quem Doctrina haec habebit aliquando tempore ipſius implementi.*

Verum ubi iam aderit tempus, quo Deus non modo vaticinium Pauli, ſed multa etiam Prophetarum V. Teſtamenti oracula, quae adhucdum obſcura ſunt et clavi indigent, implere dignabitur, uſus doctrinae huius apparebit adhuc multo luculentius. Quae optimus Servator discipulis ſuis praedixerat, ipſos quidem ſemper, etiam antequam evenirent, inſtruebant, aedificabant, ſolabantur; ſed ex eventu demum praeſtantiſſimus harum praedictionum uſus cognoſcendus ab ipſis erat. *Haec locutus ſum vobis, ut, ubi venerit hora illa, memineritis eorum, quod ego haec dixerim vo-*

(23) *Iuſtinus Martyr* Dialogo cum Tryphone p. 254, *Quapropter etiam pro vobis*, Iudaeis, *et pro aliis omnibus hominibus, qui nobis hoſtiliter adverſantur, oramus, ut reſipiſcant nobiscum*, item p. 323, *Pro vobis etiam oramus, ut Chriſtus veſtri miſereatur.* Adde p. 335, et ipſum Dialogi finem. Et ita re ipſa agere conſueviſſe Chriſtianos illius aevi, teſtis eſt hiſtoria. Sic Paulum ſanctiſſimum Martyrem, Caeſareae in Palaeſtina morti proximum, publice *pro Iudaeis ſupplicaſſe, ut per Chriſti fidem converſi ad Deum accederent, deinde etiam pro gentibus, Euſebius* memoriae prodidit in Libro *de Martyribus Palaeſtinae* cap. VIII p. 271 Graviter etiam has pro Iudaeis preces ſeculi noſtri hominibus commendat pius, non minus, quam ſolide eruditus Theologus, *Iac. Altingius* in [illegible] Oper. Tom. IV. p. 132.

vobis, Ioh. XVI. 4. Vſum itaque huius doctrinae cum iucundiſſimo conſcientiae ſenſu in ſe experientur converſi Gentiles et Iudaei, quando ex collatione vaticiniorum cum eventu gratioſiſſimum hoc Dei circa ſalutem ſuam conſilium intelligent, atque per meditationem hanc in fide ſua non poterunt non potentiſſime confirmari. Vix eſt quidquam, quod homines tam vero ſenſu Dei ipſius, in Scriptura loquentis, imbuere, quodque ipſis tantam Verbi Divini reverentiam incutere poſſit, quam attenta vaticiniorum, certique eorumdem complementi, conſideratio. Haec, uti ego exiſtimo, plurimum olim ad converſionem gentilium, quae facta iam eſt, contulit. Sperandum eſt, eamdem aliquando Gentiles et Iudaeos convertendos, poſt converſionem, in fide egregie eſſe obfirmaturam. Nec minorem doctrina haec uſum habebit apud alios Chriſtianos, tunc magni huius operis Divini teſtes futuros. Experientia ſuggerere nobis videtur, adeſſe nunc *extremos* illos *dies*, quibus praedixit *Petrus*, *venturos eſſe deriſores*, *in ſuis ipſorum cupiditatibus incedentes*, *et dicentes*, *ubi eſt pollicitatio adventus eius! nam ex quo die Patres obdormierunt*, *omnia ita permanent ab initio creationis*, 2. Pet. III. 3, 4. Si quidquam hominibus his, quorum numerus certe indies increſcit, veternum et profanas cogitationes excutere poſſit, erit haud dubie mirabilis ille eventus, et inexpectatum illud plurimis verbi Prophetici implementum. Tum profecto, uti tempore adventus Domini in carnem, *commovebuntur* iterum *omnes gentes*, commovebuntur Iudaei, commovebitur totus orbis, *manifeſtabitur gloria Domini*, et *omnis caro intelliget*, *os* veracis *Dei* haec omnia *eſſe locutum*; tum Eccleſia in terris militans, ſociatis cum coelitibus animis et linguis, iugiter inclamabit, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus eſt Iehovah Zebaoth*, *implet totam hanc terram gloria eius*.

DIS-

DISSERTATIO

DE COGNITIONE CHRISTI SECUNDUM CARNEM, 2 COR. V. 16.

§ 1. *In cognitione Christi posita est hominum salus.*

Quam necessaria, quamque salutaris sit hominibus, ad veram beatitudinem contendentibus, cognitio Domini nostri Jesu Christi; ipse ille unicus noster Redemtor quam optime nos docet, quando, Ioh. XVII. 3, *Haec est autem vita aeterna*, inquit, *ut te cognoscant illum solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.* Et profecto, *si non est in alio quoquam salus*, quam in Christo, *si non aliud nomen est datum sub coelo hominibus, per quod oporteat nos servari*, Act. IV. 12; si unus ille est *via* et *veritas* et *vita*, *per quem solum ad Patrem perveniri potest*, Ioh. XIV. 6; si porro Christus, magnum illud et salutare Dei donum, ex decreto Dei cum nemine communicatur, nisi interveniente Fide; si denique Fides sine cognitione inane res nullius nomen est; res ipsa id satis loquitur, omne verae nostrae salutis praesidium positum esse in recta cognitione Christi. Ex illa pendet coelestis illa et Divina sapientia, quae mentem

vere erudit et consolatur, 1. Cor. I. 30, Coloss. II. 2, 3. Ex illa pendet Fides vivifica et salvifica, Ioh. XX. 30, 31, Rom. X. 10, 14, 17. Ex ea pendet Iustificatio peccatoris coram Deo, Iesa. LIII. 11, Phil. III. 8. 9. Ex ea pendet pietas genuina vitaeque sanctimonia, 1. Cor. I. 30, Eph. IV. 20, 21, Coloss. II. 6, quae tamdem in summam sineque carituram beatitudinem mentis atque corporis desinit.

§ 2. *Est tamen cognitio aliqua Christi carnalis, 2 Cor. v. 16, in qua salus posita non est.*

Quae etsi ita comparata sint, est tamen aliqua cognitionis Christi species, etiam cognitionis Christi verae, quae non modo ad aeternam beatitudinem nihil confert, sed quae eidem etiam obstacula eaque non levissimi momenti obiicit. *Paulus* certe, qui *omnia, praeter unam cognitionem Christi, detrimenti loco habebat*, Phil. III. 8, quique *inter Corinthios* profitebatur, se *nil nosse, nisi Iesum, eumque crucifixum*, 1. Cor. II. 2, id tamen de certa tantum Christi cognitione, spirituali nempe et salutari, intellectum cupit. Ab illa aliam distinguit, quam vocat *carnalem* vel *cognitionem secundum carnem*, quam a se removet et procul esse iubet: *Nos*, inquit, *nunc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, nunc tamen eum non novimus*, 2 Cor. v. 16. Nemo profecto inficias iverit, Paulum hic loqui de cognitione Christi non fictitia, non imaginaria, et uno verbo falsa, sed de vera et genuina, in qua conceptus rem recte repraesentat, cum re ipsa congruit. Potest igitur, iudice magno illo Apostolo, dari etiam talis vera Christi cognitio, ex qua homo in Christo non proficit, quae ipsum finit esse in-

inertem et inanem; quaeque ipsi verae laetitiae et consolationis duraturae argumentum solidum non praebet; scilicet cognitio illa sit carnalis. Operae pretium esse puto, ingenium et indolem huius cognitionis Christi paulo uberius evolvere et explicare.

§. 3. *Quaeritur, quidnam Paulus per cognitionem Christi secundum carnem intelligat.*

Equidem si verba Apostoli meditate expendamus, si ad mentem ipsius diligenter attendamus, si nexum et seriem rerum in consilium adhibeamus, deprehendemus facile, sermonem non esse de omni illa cognitione Christi, quae carnalis iure dici meretur, sed respici singularem quamdam illius speciem, quae illo tantum tempore locum habere poterat, nunc non itidem. Nempe σὰρξ *caro*, quando tribuitur Christo Domino, non modo Naturam eius Humanam designat, oppositam Naturae eiusdem Aeternae et Divinae, quae caro nunc ad dextram Dei sedet, infinitae gloriae et Maiestatis particeps; sed praeterea etiam corpus Christi mortale et terrenum, vitae naturali terrestri accommodatum, quo nunc iam in coelo conspicuus non est. Caro enim, qua homines in vita hac induti sunt, illius est naturae, ut gloria et aeterna duratione vitae coelestis frui non possint, nisi prius mutatio intervenerit, teste Scriptura 1 Cor. xv. 50, 51, 42, 43, 44, adstipulante pariter clara et evidenti ratione. *Vivere* itaque *in carne* est corpore mortali etiam nunc amictum esse, et vitam animalem terrestrem vivere, Gal. II. 20, Philipp. I. 21, 1 Pet. IV. 2. Neque aliter de ipso Christo Domino Scriptura loquitur, quippe cui pariter *diem carnis* tribuit Hebr. v. 7, qui nonnisi de vita ejus humili, deque illa carne, in qua pro peccatis nostris satisfecit Deo, intelligi potest. Ex

his

his iam haud difficulter perſpicitur, quid Paulo ſit, *noviſſe Chriſtum ſecundum carnem*, nimirum vidiſſe, audiviſſe et cognitum habuiſſe Chriſtum, dum adhuc in terris degeret, omnibusque conſpiciendum ſe praeberet. Ita interpretum plerique, et recte omnino, verba haec capiunt. Sufficiat unius *Grotii* adduxiſſe interpretationem, quia difficultatem, quam in verbis Pauli quidam ſibi reperiſſe viſi ſunt, eadem opera tollit. Ita autem ille (*a*) commentatur: *ἐγνώκαμεν, hic eſt indicativus pro ſubiunctivo more Hebraeo. Etiamſi, inquit, Chriſtum in carne, id eſt, cum vitam adhuc mortalem ageret, familiariter cognitum habuiſſemus, nunc tamen eum non ut talem conſideramus et colimus, ſed ut Regem coeleſtem et Iudicem humani generis.*

§ 4. *Quaeritur, quare Paulus talem cognitionem Chriſti ſecundum carnem extenuaverit.*

Quaeri hic merito poteſt, quamobrem *Paulus* talem cognitionem Chriſti extenuet, et a ſe remotam velit. An igitur hoc parvi pendendum, aut plane ſpernendum eſt, vidiſſe Deum in carne manifeſtatum, ab ore eius pependiſſe, coeleſtem eius doctrinam auribus imbibiſſe, opera eius Divina oculis ſuis ſubieciſſe, ac veluti ex propria eius manu pignora amoris et benevolentiae accepiſſe? Difficultati huic ita obviam iri poſſe cenſet Theologus benedictae memoriae, *Hermannus Witſius* (*b*): *Illud* ſecundum carnem, *non adiicitur ibi Chriſto, ut Actor.* II. 30, *Rom.* IX. 5.

(*a*) In Annotation. ad locum, de quo agitur, 2 Cor. V. 6.

(*b*) Exercit. XIV. in Symbolum Apoſtol. § 27.

5, *ſed cognitioni noſtrae, quae diſtribuitur in cognitionem ſecundum carnem, ſive carnalem, et cognitionem ſecundum ſpiritum, ſive ſpiritualem. Cognitio ſecundum carnem conſtabat carnali vel oculorum viſione.* Verum mihi quidem reſponſio iſta viri celeberrimi, rei, de qua agitur, non usquequaque ſatisfacere videtur. Vtique verba illa *κατὰ σάρκα, ſecundum carnem*, ad Chriſtum referenda ſunt, quemadmodum ex iis, quae § praecedenti obſervata fuere, conſtare ſatis poteſt. Equidem non invitus largior, Paulum intelligere cognitionem, quae eo etiam nomine dici poteſt merito carnalis, quia eſt cognitio per ſenſus, viſio oculorum; ſed et hoc mihi concedi velim, cognitionem hanc ideo praeſertim dici *cognitionem ſecundum carnem*, quia illius obiectum eſt Chriſtus in carne humana manifeſtatus, atque oculis omnium patens. Quaenam igitur cauſa eſt, quod Apoſtolus hanc cognitionem Chriſti in carne extenuare videatur, et a ſe procul eſſe iubeat? An non Simeon, Spiritu Dei plenus, ſummam cognitionis huius beatitudinem praedicavit, cum, viſo Chriſto recens nato, exclamaret? *Nunc dimittis ſervum, Domine, in pace, quia viderunt oculi mei ſalutem tuam*, Luc. II. 29, 30. An non ipſe Servator iudicium hoc Simeonis probat, et calculo ſuo confirmat? quando *converſus ad diſcipulos privatim eis dixit: Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas et Reges cupiviſſe videre, quae vos videtis, nec tamen vidiſſe, et audire, quae vos auditis, nec tamen audiviſſe*, Luc. X. 23, 24. Et ſane quis eſt, qui dubitare poſſit, fideles illos Chriſti Domini amicos et diſcipulos, qui ipſum in carne videbant, eoque familiariter utebantur, beatos ſummo iure dicendos fuiſſe, quod iucundiſſimarum promiſſionum Dei de Meſſia implementum in Ieſu Nazareno

no oculis ſuis primi viderent, idque, quod ipſi viderant, aliis ad ſalutem ipſorum annuntiare potuerint? Hoc vero, quod Prophetas V. Teſtamenti tanto ardore videndi diem carnis Domini incendit, quodque diſcipulos Chriſti beatos reddidit, nunc, poſtquam Servator ad gloriam vitae coeleſtis evectus eſt, non minus per fidem cognoſci poteſt, quam tunc per teſtimonium ſenſuum cognoſcebatur, nec minus nunc in credentibus gaudium ſpirituale et ſolatium excitat, quam tunc in diſcipulis Domini excitabat. Quinimo quis iure ullo ambigat, cognitionem Chriſti, quae nunc ineſt in credentibus per Fidem, longe eſſe uberiorem, et longe vividiorem laetitiae, conſolationis et ſpei ſenſum ſecum ferre illa, qua fruebantur, qui Chriſtum in carne cognitum habebant. O vere nunc *beatos*, *qui non vident*, *et tamen credunt!* Ioh. xx. 20, 21. *Paulus* igitur, ut e diverticulo in viam redeam, cognitionem Chriſti ſecundum carnem a ſe removet, inque illa praeſidium nullum collocat, 1. quia ad ſalutem neceſſaria nullo modo eſt. In Apoſtolis erat utique, etiam illa neceſſaria, ſed reſpectu credentium, ut quod ipſi non viderant, ſcirent ex teſtimonio Apoſtolorum, utque huic teſtimonio, quod dubium nullum admittit, fidem ſuam in Chriſtum inaedificare poſſent. Ad fidem ipſam cognitio illa credenti minime neceſſaria eſt. 2. quia per ſe beatum neminem efficit. Poteſt ſane cognitio illa eſſe medium et inſtrumentum cognitionis ſpiritualis per fidem vivam, et tum beatum reddit hominem: quis neget? non tamen propter ſe, ſed propter fidem ex illa ortam. Hic vero nobiliſſimus fructus, nunc citra illam cognitionem, cui locus iam nullus eſt, ex ſolo verbo Chriſti producitur in credentibus, quem raro et in paucis tantum, tum cum in terris doceret ipſe Chriſtus, cognitio eius carnalis protulit. Quot non fuerunt Iudaeorum mil-

millia, qui Chriſtum viderunt et cognitum habuerunt in carne, in quos tamen ex illa cognitione nulla omnino ſalus et beatitudo redundavit? 3. quia multi, qui Chriſtum in carne viderant, dum in illa cognitione acquieſcebant, dum in illa gloriandi argumentum quaerebant, aliisque vere credentibus eo ſe antecellere opinabantur, a cognitione Chriſti ſpirituali per fidem avertebantur, et ſatis dilucide, ſe non ſpirituales, ſed carnales eſſe, teſtatum faciebant. Et eo quidem *Paulus* in loco illo, quem nunc excutimus, praecipue reſpexiſſe videtur. Bene *Grotius*, qui iis, quae ſupra iam adduximus, iſta adiungit: *Eſt ἀνταπάκλασις in verbo γινώσκειν, quod et notitiam ſignificat et aeſtimationem. Dictum autem hoc eſt adverſus illos, qui cum ex ludaea Corinthum veniſſent, ſe praeferebant ceteris eo, quod Chriſtum ipſum docentem audiiſſent, vidiſſent, forte et aliqua cognatione contingerent.* Mitto iam alios, pedibus in eamdem ſententiam euntes.

§ 5. *De cognitione Chriſti carnali generatim ſpectata.*

Ceterum nemo eſt, qui non illico videat, id, quod *Paulus* de certa aliqua cognitionis Chriſti carnalis ſpecie iudicat, intelligendum pariter eſſe de omni alia qualicumque cognitione, quae carnalis vere eſt, talisque dici meretur. Semper ita tenendum atque exiſtimandum eſt: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*, Ioh. VI. 64. Omnis cognitio Chriſti, quae eſt ſecundum carnem, quae in carnem fertur, quae ex carne proficiſcitur, quae modo carnali procedit, nec Deo placere, nec Chriſtiano prodeſſe, nec conſcientiae ullum ſolamen adferre poteſt. Meditationi huic pauliſper nunc immorari iuvabit. Ex his,

his, quae modo dixi, per se satis intelligitur, quidnam ego per cognitionem carnalem designatum hic velim. Sed distinctius tamen atque clarius id explicabo. Potest igitur cognitio Christi duplici respectu dici carnalis. Primo quidem, respectu obiecti, quando cognitio in id tendit, et circa id versatur, quod vere est carnale: secundo, respectu ipsius cognitionis actus, qui, etiam cum versatur circa res spirituales, in se tamen carnalis esse deprehenditur.

§ 6. *Cognitio Christi carnalis cum respectu ad illius obiectum.*

Illa igitur cognitio Christi merito dicetur carnalis, quae ubi in Christum Dominum fertur, versatur non circa spiritum, sed circa carnem. Nemo autem suspicetur, me nunc per *carnem*, aut Christi corpus, oppositum spiritui rationali, aut totam illius Naturam Humanam distinctam a Spiritu eius aeterno intelligere. Quis enim veritatis amore imbutus umquam dixerit, hanc cognitionem supervacaneam esse, et tuto negligi posse? An ex cognitione Christi in nos poterit redundare iustitia et pax, et laetitia in Spiritu Sancto, nisi in eo, ceu Goële nostro, contemplari possimus carnem nostram, quam nostro bono ex sanguine B. Virginis Mariae per operationem Spiritus S. suscepit, in qua Legi Dei perfectam et sanctam obedientiam praestitit, in qua peccata nostra tulit et expiavit, et quae posthaec a Deo ad vitam resuscitata, et in summam gloriam coelestem evecta est? Nemo, opinor, id dicet, nisi a veritatis sensu plane alienus. Libenter itaque subscribimus iudicio *Witsii*, hac de re ita (c) dis-

(c) In Symbolum Apostol. Exercit. XIV. § 27.

differentis: *Non eſt exiſtimandum, Apoſtolum neceſſitatem huius cognitionis tollere, vel extenuare, quando ſcribit* 2 Cor. v. 16, Quodſi etiam novimus ſecundum carnem Chriſtum, nunc tamen non amplius novimus, *ſupple, ſecundum carnem.* Quid erit igitur caro in Chriſto, aut carnale illud, quod exiſtimamus eſſe objectum cognitionis carnalis? Omne id, quod, ubi cognitum eſt, re ipſa tamen non prodeſt, fidem non paſcit, ſpem non erigit, credentis mentem non ad ipſum Chriſtum evehit, inque eum, ut cauſam vitae et ſalutis aeternae defigit; ſed otioſis tantum ſpeculationibus, et vanae cuidam ac inani curioſitati pabulum ſubminiſtrat. Chriſtus in omni verbo Prophetico et Apoſtolico ſemper nobis exhibetur cognoſcendus, ut *unicus Mediator inter Deum et hominem*, ut *Princeps ſalutis noſtrae*, ut *Dux et conſummator Fidei noſtrae, qui factus eſt nobis a Deo ſapientia, et iuſtitia, et ſanctificatio, et redemtio*, 1 Tim. ii. 5, Hebr. ii. 10, xii. 2, 1 Cor. i. 30. Haec eſt *gloria Domini*, quam nos oportet *retecta facie* tam attente, tam avide, tanto cum mentis ardore *contemplari*, uſque dum *in ipſam imaginem Domini* gloroſam *transformemur*, 2 Cor. iii. 18. Ad hoc ipſum dulciſſimum Jeſu Chriſti noſtri nomen nos invitat, in id omnes intellectus noſtri nervos intendere nos iubet. Quidquid vero ad cognitionem hanc illiusque incrementa non confert, etſi vel maxime Chriſtum ipſum ſpectet, carnale id habendum utique eſt.

§ 7. *Illius exempla.*

Habet omnino cognitio iſta ſuas illecebras, quibus homines carnales pellicit et demulcet, iisque etiam ſub pietatis ſpecie ſe commendat. Quid enim, an

ſpernendam putabis cognitionem qualemcumque, dummodo ſit cognitio Chriſti? An non profectus in illa, cujuscumque etiam ſit generis, in lucro ponendus erit? Ita nimirum homines ſe ipſos decipiunt, et pro Iunone, quod ajunt, nubem amplexantur. Cumque ad hujuscemodi fraudes et deceptiones homines naturali quodam impetu propellantur, cum in illis mirifice ſibi placere et adblandiri ſoleant, fieri vix aliter potuit, quam ut cum genuina ſpirituali cognitione Chriſti, hujus aemula, carnalis, et adulterina, in Eccleſiam ſatis cito furtim ſeſe inſinuaret. Tempore jam ipſorum Apoſtolorum vidimus extitiſſe quoſdam, qui hoc praecipuum gloriae ſuae et fiduciae argumentum ponerent, quod Chriſtum in terris obambulantem oculis ſuis vidiſſent, quod docentem auribus ſuis audiviſſent, quod corpus ejus et veſtimenta manibus ſuis contrectaſſent, quod veſtigia pedum eius pedibus ſuis preſſiſſent, quod una cum eo cibum cepiſſent, quodque adeo forte vinculo cognationis ipſum contingerent, et quae ſunt hujus generis alia. Nec vero eſt dubitandum, quin ſecuto tempore ſtudium cognitionis carnalis maiores in dies progreſſus fecerit. Eo refert *Clemens Alexandrinus* (*d*), quod nonnulli, praecipue ex Gnoſticis, ſuo tempore curioſius in diem natalem Domini inquirere coepiſſent. Eosdem haereticos in id ſedulo incubuiſſe novimus, ut formam externam et lineas vultus Chriſti cognitas haberent (*e*), ejusque imagines conquirerent. Cumque tale quid a genuinis Domini cognatis, amicis et diſcipulis, Iudaeis quippe, quibus imaginum omnium uſus ſupra modum inviſus erat, ex-

(*d*) Stromatum Lib. I. p. 340.

(*e*) Vide *Irenaeum* Lib. I. c. XXV. § 6, *Epiphanium* Haereſi XXVII. § 6, *Auguſtinum* Haereſi VII.

expectari non poſſet, Pilati, utpote Ethnici, ſtudio in Chriſtum in acceptis tulerunt, quas venditare ſolebant Domini imagines. Non minus operoſam ac ſcrupuloſam diligentiam Haeretici illi poſuerunt in cognoſcendis de Chriſto iis, quae Scriptura S. ſilentio involvit, nosque latere voluit, de vita parentum avorumque Chriſti, de illius ipſius infantia et adoleſcentia, et geſtis in vita privata ac domeſtica. Peperit nobis maleſana illa hominum carnalium curioſitas tot Evangelia fictitia, *Protevangelium Iacobi*, *Euangelium Nativitatis Mariae*, *Euangelium infantiae Chriſti*, *Euangelium Thomae*, aliaque hujus furfuris, quae in Celeberrimi *Fabricii Codice Apocrypho N. Teſtamenti* iunctim edita legi poſſunt. Sed ſatis mature ſtudium illud ab Haereticis ad Catholicos tranſiit, illamque ſuperſtitionem invexit, quae antea ignota erat gregi Chriſtiano, ſed quae, ubi ſemel animos hominum invaſit, et velocia et ingentia cepit incrementa. A ſeculo certe IV (*f*) mirificus quiſpiam in mentes hominum ſeſe infudit ardor, inviſendi loca illa, quae Servator mundi quondam calcaverat et praeſentia ſua dignatus fuerat, ac videndi reliquias illarum rerum, quas Dominus contactu corporis ſui ſancti honeſtaſſe exiſtimabatur. Quid ardor ille cognitionis et pietatis adulteratae produxerit, hodieque cerni poteſt. Paſſim enim hodie per totam Europam, idque pluribus in locis, oſtenduntur, avide nec ſine aliquo devotionis, ſed quae revera ſuperſtitio craſſa eſt, ſenſu conſpi-

(*f*) Seculo iam illo, impetui huic ſuperſtitionis in Eccleſiam irruentis, ſe opponere voluit *Gregorius Nyſſenus* Oratione *de iis, qui adeunt* Hieroſolyma, Opp. Tom. II. p. 1084. etc, ſed fruſtra.

ſpiciuntur, ac religioſa denique veneratione (*g*) conjuntur *dentes*, *crines*, etiam *praeputium Criſti*, *reliquiae ſanguinis Chriſti*, *aqua cum ſanguine Chriſti mixta*, *quae ex latere ejus fluxit*, *gutta* (*h*) *lachrymarum Chriſti*, ejusdem *praeſepe*, *cunabula*, *lodices*, *induſia*, *et calcei*, *Hydriae ſex*, *in quibus Servator primum miraculum peregit*, *itemque vinum in illis ex aqua factum*, *particula panis*, *quem Dominus Apoſtolis diſtribuit*, *nec minus calix*, *quem in Coena ultima iisdem porrexit*, *crucis Chriſti fruſtula et particulae infinitae*, *inſcriptio crucis Chriſti*, *clavi*, *quibus in cruce perfoſſus fuit*, *tunica Chriſti inconſutilis*, *corona ſpinea capiti eius impoſita*, *cuſpis lanceae*, *quae latus ipſius transverberavit*, et innumera alia hujus generis, quae omnia, ſi vel vere id eſſent, quod eſſe venditantur, eſſent tamen obiectum cognitionis carnalis, quae nihil prodeſt, quamque a ſe procul removet Paulus Apoſtolus.

§ 8. *Cognitio carnalis Chriſti cum reſpectu ad cognitionem ipſam.*

Illa porro cognitio Chriſti merito carnalis dicenda erit, quae etſi occupata ſit circa res ſpirituales, in ſe tamen vere carnalis eſſe deprehenditur. Per *carnem* Scriptura S. id etiam intelligere ſolet, quod eſt in natura hominis corruptum, quodque corruptionem et intellectus, et voluntatis, et affectuum, fovet, nutrit, adiuvat. Hac corruptione ſaepiſſime infectam et vitia-

(*g*) Vide *Wolffii* Lectiones Memorabiles, Tom. II. p. 133. et *Gerhardi* Confeſſionem Cathol. Fol. 1034, etc.

(*h*) *Emiliane* de fraudibus Monachorum Tom. II. p. 115. edit. Germanicae.

tiatam esse cognitionem nostram, etiam quando circa res Divinas, spirituales ac vere salutares versatur, quis est, qui negare audeat? Luculentius hoc intelligi poterit, si paucis expenderimus cognitionis carnalis scopum, modum, et adiuncta.

§ 9. *Et* 1. *quidem illius scopum.*

Cognitio igitur Christi et rerum spiritualium carnalis dignosci facile poterit ex scopo, quem homo cognitioni incumbens propositum sibi habet. Quodsi enim ille in omni cognitionis suae profectu id spectat et quaerit, ut Gloria Dei sibi reveletur, mentemque suam dulci quodam sui sensu perfundat, ut Christus unicus salutis auctor sibi vere innotescat ad sapientiam, ad iustitiam et sanctimoniam, ut viva fides et spes corroboretur, ut denique sic Deus ipse glorificetur, et propria hominis salus consummetur, cognitio illa est haud dubie spiritualis, qua seminatur spiritui. At longe aliud quid cogitant, quamvis circa idem obiectum sint occupati, qui cognitioni student et inhaerent, ex libidine plura cognoscendi, et propter dulcedinem, quam copiosae et rarae doctrinae conscientia plerumque secum vehit. Summae voluptati ducunt, intellectum suum speculationibus eruditis et subtilibus oblectare, res intricatas dilucide explicare, quaestionibus tenebricosis novam lucem infundere, et difficiles nodos solvere. Eadem quoque opera affectibus suis, ambitioni, avaritiae, aliisque commodo obsecundant. Volunt esse aliis doctiores et sapientiores, et pro talibus agnoscuntur. Praeferuntur aliis, prae aliis coluntur, prae aliis honoribus, dignitatibus et beneficiis mactantur. Sic profecto *sacrificant plagis suis, et suffitum faciunt retinaculis suis, quia per haec pinguis est portio eorum*, Habac. I. 16. An non cognitione

illa velificant carni ſuae, ei ſerunt, eidemque metunt? An non haec eſt cognitio illa carnalis huius mundi, quam Deus confundit?

§ 10. 2. *Illius modum.*

Corruptio cognitionis carnalis non minus facile dignoſci poterit ex modo, quo procedere ſolet. Non illa facile ſibi limites et fines poni patitur. Non contenta iis, quae Deus de myſteriis regni coelorum in Verbo ſuo docere nos voluit, altius eniti cupit, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύουσα, *pedem inferens in ea, quae non vidit*, Coloſſ. II. 18. Aedificationis omnis prorſus immemor, ſalutis animae, ad quam omnis cognitio Chriſti dirigi debet, rationem omnino nullam habens, in id unice intenta eſt, ut numerus quaeſtionum abſtruſarum, reconditarum, plerumque autem inanium et inutilium, ſaepe etiam ineptarum et ridicularum, multiplicetur. Itaque ſub nomine cognitionis latet re ipſa temeraria et Chriſtiano indigna curioſitas. Eam non male ſic deſcribit *Guil. Ameſius* (*i*): *Quintuplex eſt curioſitas ſcientiae*; 1. *Cum illa ſcire volumus, quae Deus non revelavit*; 2. *Cum illa quaerimus, quae nihil ſpectant ad nos, ſed ad alios*, 3. *Cum minus neceſſariis maxime ſtudemus*, 4. *Cum difficiliora quaerimus, principiis neglectis*, 5. *Cum non ſimpliciter acquieſcimus in Dei voluntate, ſed rationem eius volumus videre.* Non melius autem indoles carnalis huius cognitionis perſpicietur, quam exemplo Scholaſticorum, qui huic cognitioni ad miraculum uſque delectati fuerunt. In Chriſto agnoſcimus carnem, ſive naturam humanam, quam ex Virgine Maria, illaeſa manente virginitate, accepit. Hoc docet Scriptu-

(*i*) *De Conſcientia* Lib. III. cap. 2.

ptura. Hoc rationibus ſapientiae Divinae et ſalutis noſtrae convenire intelligimus. In hac Dei revelatione ſimplici et modeſta fide acquievit pia vetuſtas, ita iudicans (*k*): *Scio, quod Verbum caro factum eſt, et quomodo factum ſit, neſcio, Miraris, quia ego neſcio: omnis creatura ignorat.* At iſta humilis ſimplicitas Scholaſticis ſordeſcit. Pluribus modis rationem huius myſterii explicuerunt. Docuerunt, qui fieri potuerit, ut Chriſtus ex utero matris prodierit, ſalva virginitate. Quomodo vero? Per miraculum, ſine aperitione clauſtri virginalis, et citra ullum matris ſuae dolorem. Quam ſententiam tuentur hodieque nonnulli Eccleſiae Romanae Theologi. Fuerunt etiam, qui conceptionis modum accuratius exponere ſatagerent, dictitantes (*l*), conceptionem peractam fuiſſe prope cor Mariae, ex guttulis tribus ſanguinis. Sunt infinitae aliae Scholaſticorum quaeſtiones de Trinitate, de Divinitate Chriſti, de eiusdem Incarnatione, ex quibus Theologia ipſorum et cognitio diiudicari poteſt. Ex illis pauca haec, ab *Erasmo* (*m*) nobis ſuppeditata, adiiciemus. Quaerunt nempe Scholaſtici, *an quaelibet Perſona Divina poſſit quamlibet Naturam aſſumere; quomodo Verbum Humanam aſſumſit; An tres Perſonae poſſint ſimul eamdem Naturam aſſumere; An unum ſuppoſitum creatum poſſit alteram Naturam creatam aſſumere; An haec Propoſitio: Deus eſt ſoarabaeus aut cucurbita, tam poſſibilis ſit, quam haec, Deus*

(*k*) *Chryſoſtomus* in Homilia quadam, apud *Chemnitium*, de duabus Naturis etc. cap. x. Fol. 61. b.

(*l*) Vide *la Bibliothèque Angloiſe* Tom. II. Part. II. p. 355.

(*m*) Annotat. in 1. Tim. I. vs. 6. Vide alia exempla in *Des Landii* Hiſtoria Critica Philoſophiae, Gallice ſcripta. Tom. III. p. 275, 320.

Deus eſt homo; An Deus aſſumſerit individuum humanum, an verò ſpeciem; An Pater producat Filium et Spiritum S. ratione intellectus, an ratione voluntatis; An ratione Eſſentiae, an attributi; naturaliter, an libere; An haec Propoſitio ſit poſſibilis, Pater Deus odit Filium Deum. Quibus cenſuram hanc merito ſubiungit *Erasmus: His ſerio occupantur Theologorum Scholae. His aetas, rerum omnium fugaciſſima, conſumitur, cum tamen pleraque ſint eius generis, ut doctius neſciantur, quam ſciantur, ut ridicule quaerantur, temere definiantur.*

§ 11. 3. *Illius adiuncta.*

Habet denique cognitio illa, de qua loquimur, vitia quaedam adiuncta, quae ab illa abeſſe non ſolent, et ex quibus indoles ipſius aeſtimari quoque poteſt. Talia ſunt, ut paucis hoc, quod ſupereſt, expediam. 1. Fiducia poſita in ſpeculationibus Theoreticis, quas multi ipſam Religionis ſubſtantiam eſſe ſibi perſuadent. Sic dum cortici inhaerent, nucleum non conſequuntur, et a vera pietate manent alieni. 2. immenſus amor, quo cognitioni carnali ſunt dediti, notiones et conceptus ingenii ſui, ut proprios foetus, complectuntur. Hos ut deſerant, machinis nullis induci poſſunt. Eosdem vero omnibus aliis obtrudere cupiunt, et ſicubi fortuna coeptis eorum favet, reipſa alios, ut in verba ſua iurent, adigunt. Quot non ex hoc fonte Logomachiae, quot lites in Eccleſia Dei emanarunt? 3. Superbia, eaque tanto periculoſior, quod, dum ſub emendicata forma latet, non ita facile obſervari poſſit. Putant enim, qui amore proprio toti ardent, ſe amare Chriſtum, et zelo nominis eius inflammari. Credunt ſe litare veritati coeleſti, dum vere inventa cerebri ſui tenerrimo affectu proſequuntur, in illis ſibi ſupra modum placent,

cent, iiſque thus adolent. 4. amor rixarum et controverſiarum, quae ſunt certiſſimus cognitionis carnalis fructus, in quibus etiam deliciantur, quarum nulla ſatietas eos capit, qui cognitioni illi inhiant. *Cum enim inter vos ſit zelus et contentio. an non carnales eſtis, et ſecundum hominem ambulatis?* 1. Cor. III. 3. 5. ſtudium vincendi. Qui enim cognitione carnali capitur, vix umquam veritatem ſincero affectu quaerit, ita ut ei errores quoscumque etiam radicatos ſacrificare paratus ſit, verum id quaerit, ut, quod ſemel ut verum admiſit, quovis modo adſtruat, omnesque adverſariorum conatus non ſine gloria retundat. Quotidie nova bella novosque triumphos meditatur. Qui igitur cognitionem illam ſectatur, *ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quaeſtiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blaſphemiae, ſuſpiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati ſunt, exiſtimantium, quaeſtum eſſe pietatem. Abſcede ab eis, qui huiusmodi ſunt*, 1. Tim. VI. 4, 5.

DISSERTATIO PERIODICA,

EXHIBENS SPICILEGIVM BREVE OBSERVATIONVM DE EPISTOLA SCRIPTA LAODICEA, AD COLOSS. IV. 16.

§ 1. *Instituti nostri ratio.*

Non est ex fautoribus studii Exegetici quisquam, quem latere possit, quantopere, et olim, et post perpurgatam a Reformatoribus Ecclesiam, de Epistola data ἐκ Λαοδικείας, quam Paulus ad Colossenses scribens c. IV. v. 16. commemorat, disceptatum fuerit, et in quot diversas partes eruditi Scripturae interpretes discesserint. Multorum hac de re disputationes ita comparatae sunt, ut lectorem incertiorem multo, quam accesserat, a se dimittant. Equidem ultro et libenter fateor, diligentissimum iuxta atque doctissimum *Fabricium* (*a*) Hamburgensem, de argumento hoc tam perspicue et exquisite disseruisse, ut illud totum veluti exhausisse, et desideriis omnium ple-

(*a*) In Codice Apocrypho N. Testamenti Parte II, p. 853 et sqq., cum quo conferri merentur Curae Philologicae *B. Wolfii* in Coloss. IV. 16.

pleniſſime ſatisfeciſſe videri queat. Verum ego, tamen poſt inſtitutam accurate et meditate obſeruationum eius lectionem, deprehendi, ſupereſſe etiamnum ſpicilegio cuipiam locum. Liceat igitur mihi, de eodem argumento, poſt tantum virum quaedam hic exponere.

§ 2. *Verba Pauli Coloſſ. IV. 16. brevibus et generatim expenduntur.*

Verba Pauli, quae tot diverſas interpretum explicationes experta ſunt, ita ſonant. Καὶ ὅταν ἀναγνωσθῇ παρ' ὑμῖν ἡ ἐπιστολὴ, ποιήσατε ἵνα καὶ ἐν τῇ Λαοδικέων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. *Et cum perlecta fuerit apud vos epiſtola, facite ut etiam in Laodicenſium Eccleſia recitetur, et eam quae ſcripta eſt Laodicea, ut vos quoque legatis.* Nihil hic opus eſt commentario, aut operoſa explicatione: nihil in his occurrit, quod lectorem attentum in anguſtias coniicere, aut perplexum reddere merito poſſit. Coloſſenſes iubet Apoſtolus, una cum literis ſuis, quas nunc accepturi eſſent, eas quoque legere, quae Laodicea datae erant, et quarum ipſe, quod omnia clare loquuntur, auctor eſſe omnino non poterat. Sine dubio utraque illa Epiſtola ad unum idemque negotium ſpectabat, eoque coniunctim in Eccleſia tum Coloſſenſium, tum Laodicenorum quoque, praelegenda erat. In quo plane non video, quid ſit, quod morari quemquam, aut ſcrupulum ei iniicere queat.

§ 3. *Difficultatum, quae in his verbis nectuntur, vera cauſa.*

Omnis in hoc argumento difficultas, quae tot inter-

terpretes, et antiquos et recentiores, vehementur torſit, tum demum orta eſt, cum perſuaſio invaluit, Epiſtolam, de qua ſcribebat Paulus ad Coloſſenſes, eſſe ex numero illarum, quas vocamus Canonicas, quas ex conſilio Dei, et ex ſuggeſtione Spiritus eius, in perpetuum Eccleſiae militantis uſum conſcriptas eſſe credimus. Primos ſententiae huius architectos id utique in errorem induxiſſe videtur, quod Paulus Epiſtolam Laodicea ſcriptam, lectioni Coloſſenſium, et in Eccleſia quidem publicae, commendaverit, quaſi in coetibus Eccleſiaſticis nihil prorſus praeſentibus praelegi, et expendenduu offerri debeat, quam quod a Propheta, aut ab Apoſtolo, aut in univerſum a viro θεοπνεύςῳ profectum fuerit. Poſtquam talis animos quorumdam invadere coepit opinio, fuerunt, qui hariolarentur, ſubinnuere Apoſtolum ſuam aliquam Epiſtolam, quae inter alios libros Sacros ſemper in Canone extiterit lectitaque fuerit. Aliis in mentem venit, Epiſtolam hanc non Laodicea, ſed re ipſa ad Laodicenos, a Paulo ſcriptam, diverſam eſſe ab omnibus illis, quarum auctoritatem Canonicam Eccleſia veneratur. Inter hos reperti ſunt, qui credulitate vulgi abutentes, Epiſtolam talem ad Laodicenos, ſub ementito Apoſtoli nomine confictam, orbi obtruderent. Eadem perſuaſione nititur quoque, quod, poſt feliciter in Occidente noſtro emendata Chriſtianorum ſacra, Eccleſiae Romanenſis Theologi adverſus noſtros perſaepe ex mentione hujus Epiſtolae probare anniſi fuerint, partes quasdam Canonis primigenii iam dudum periiſſe, quodque ex noſtris nonnulli ad hanc obiectionem reſpondere in animum ſuum induxerint, Epiſtolam Laodicea ſcriptam vere adhuc in Canone ſupereſſe, ac a nobis legi. Quae omnia, ſine ulla veri ſpecie ut plurimum prolata, vel ex eo falſi coargui facillime poſſunt,

quod

quod Paulus manifesto loquatur de Epistola non Canonica et Apostolica, sed tantum Ecclesiastica.

§ 4. *Epistolam ἐκ Λαοδικείας fuisse non Apostolicam, nec Canonicam, sed tantum Ecclesiasticam clare probari potest.*

Agnoverunt id sane permulti ex nostris Scripturae interpretibus; verum dum plerique hanc suam sententiam firmis argumentis non satis communiant, eamque tantum (*b*) ut probabilem proponant, quae rectissime quidem admitti, sed et repudiari possit, rimam aliis aperiunt, qua evadere, et cogitationibus a mente Pauli penitus alienis indulgere possint. Quodsi autem verba Pauli in controversiam vocata rite excussserimus, ab omni parte versaverimus, et ex aliis locis hujus ipsius ad Colossenses Epistolae, sine erroris metu clare explicuerimus, opera eadem rimas omnes evadendi praecludemus, et extra omnem dubitationis aleam ponemus, Epistolam Laodicea scriptam fuisse Ecclesiasticam, non Apostolicam, auctoritatis privatae tantum, minime vero Canonicae.

§ 5. *Hanc in rem* 1) *verborum Pauli lectio genuina asseritur.*

Ut autem in hoc argumento ordine procedamus, ante omnia lectio genuina Textus Graeci asserenda et con-

(*b*) Sunt inter recentissimos interpretes, qui hanc ipsam sententiam non valde probabilem iudicant, uti constat ex observationibus interpretum Gallicorum Berolinensium, alioquin iudiciosissimorum et acutissimorum, in Coloss. IV. 14.

conſtituenda nobis erit. Nam quosdam lectionem illam, quam praeferunt editiones noſtrae, τὴν ἐκ Λαοδικείας, iam olim ſollicitaſſe, ut hypotheſi ſuae ſerviret, et auſibus illorum quosdam e recentioribus interpretibus favere, ſatis omnibus conſtat. Si coniecturae locus eſſet, crederem, Marcionem haereticum aut primum aut inter primos fuiſſe, qui tale quid tentaret, ut *Epiſtolae ad Laodicenos*, quam in Canone ſuo oſtentabat, auctoritatem aliquam, ipſius Apoſtoli teſtimonio ſtabilitam, conciliaret. Verum quia tamen in *Epiphanio*, qui ceteroquin de Canone Marcionis non indiligenter diſputavit, rei huius veſtigium nullum deprehendo, ſuſpicionis meae nullam rationem haberi velim. Vulgatum vero interpretem Latinum hic ſaltem ceſpitaſſe, fidem facit eius verſio, cum verba Graeca ſic reddiderit, *eam quae Laodicenſium eſt, vos legatis*. Et eodem modo legiſſe Pſeudo-*Ambroſium*, ſeu *Hilarium* Diaconum, ex Commentario eius ad Coloſſ. complures eruditi obſervarunt: ex quo non abſurde quis collegerit, fuiſſe iam tum diverſos interpretes, qui hic nodum in ſcirpo quaererent, nodumque, quem ſibi reperire viſi eſſent, non ſolvendum, ſed ſecandum eſſe cenſerent. Etſi enim *Epiſtola Laodicenſium* dici etiam poteſt, quae a Laodicenſibus ſcripta intelligitur, quod opportune monuit *Fabricius* in Cod. Apoc. N. Teſtam. p. 853, 854, malim tamen dicere, interpreti vulgato aquam hic haeſiſſe, eamque fuiſſe cauſam, ut verba clara Apoſtoli, verſione ambigua, et, citra ullam omnino neceſſitatem, obſcura redderet. Pſeudo-*Ambroſius* certe, quando pariter vertit *Epiſtolam Laodicenſium*, videtur intellexiſſe eam, quae ad Laodicenos directa, non quae ab iisdem exarata eſſet, quemadmodum vir ipſe doctiſſimus obſervat loc. cit. p. 854. Et ſic in Eccleſia Graeca multos ex Pauli verbis, corrupte nem-

nempe lectis, probare voluiſſe, eum etiam ad Laodicenos ſcripſiſſe, novimus ex teſtimonio *Theodoreti* Opp. Tom. III. p. 363. Quicquid vero ſit de mente et vero ſenſu interpretis vulgati, ut ad eum redeamus, illud certe manifeſtum eſt, eum aliis enarrandi et verba Pauli ſollicitandi occaſionem ſubminiſtraſſe. Etenim *Nicolaus Zegerus*, cuius Commentarii Criticis Anglicanis inſerti ſunt, veneratione verſionis vulgatae ductus, ſibi perſuaſit, Paulum ſcripſiſſe, non, uti hodie in Codd. noſtris legimus, τὴν ἐκ Λαοδικείας, verum τὴν Λαοδικέων, quae profecto temeritas eſt nullo modo ferenda. *Grotius* vero, motus, de quo nullus dubito, eadem auctoritate, in Prooemio notarum ad Epheſios, et in notis ad Coloſſenſes, ſine ambagibus pronuntiat, veram lectionem eſſe τὴν Λαοδικείας, non τὴν ἐκ Λαοδικείας. Neque deſunt, quibus iudicium *Grotii* probum bonisque rationibus innixum videatur.

§ 6. *Argumentum hoc continuatur.*

Verum enim vero operam et oleum perdunt, qui ſcripturam Codd. noſtrorum quocumque modo vellicant. Eſt enim ea conſtans et perpetua librorum omnium Graecorum ſcriptura, qui ab aevo Apoſtolorum ad hoc noſtrum viſi umquam ſunt. Vrgebat id adverſus omnes, argutias in verbis Pauli captantes, ſeculo iam V, quo ſcribebat, *Theodoretus*, in Commentario ad Coloſſ. p. 363. Ὁ δὲ θεῖος Ἀπόστολος οὐκ ἔφη καὶ τὴν πρὸς Λαοδικέας, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, *Divinus autem Apoſtolus non dixit eam quae eſt ad Laodicenſes, ſed eam quae eſt ex Laodicea.* De alia verborum Pauli lectione viro huic praeſtantiſſimo, et diligentiſſimo Scripturae interpreti, nihil plane innotuerat, et id ipſum urgere hodieque iure merito poſſumus. Certe in illa farragine innumera-

bi-

bilium variantium lectionum; quas ex tot Codd. MSS. per totam Europam, non minus atque citationibus Vererum, ſtupenda induſtria conquiſivit *Iohannes Millius*, ad illa Pauli verba, de quibus diſſerimus, nullam ex ullo Codice diſcrepantiam obſervatam repetire licet [*]. Equidem *Grotius*, quando noſtrae vulgatae lectioni ſuam illam τὴν Λαοδικείας praefert, non aliter de illa loquitur atque de variante lectione, ex uno alterove Cod. MS. excerpta, eumque imitatur *B. Cyprianus* in notis ad *Hieronymi* de Viris illuſtr. cap. V; et ſimilia quoque apud alios olim mihi lecta fuiſſe commemini; ſed quo iure, ipſi viderint. Et quae poteſt eſſe Virorum horum, licet meritiſſimorum, in tali negotio, adverſus conſenſum unanimem omnium librorum veterum, auctoritas? praeſertim, cum Codicis MS., qui lectionem variantem adeo fatam praeferat, indicium omnino nullum fecerint. Incidit forte *Grotius* in exemplar aliquod, negligentia typothetarum depravatum; quale mihi ad manus eſt, Coloniae Allobrogum a. 1619. in 4°. cum brevibus notis *Ioſephi Scaligeri* impreſſum, in quo ita legitur: καὶ τὴν Λαοδικείας, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. Lectionem hanc inquinatam, quae ſoli operarum incuriae in acceptis ferenda erat, vir magnus, niſi multum fallor, habuit pro variatione Codicis cuiuspiam antiqui, quam verſio Latina vulgata confirmaret; ſed quo iure, ex iis, quae modo dicta ſunt, facile aeſtimare licet. Cum Codicibus vetuſtis Graecis omnino omnibus conſpirant etiam verſiones vetuſtiores, Syriaca, et quae hanc antiquitate vincit, Aegyptiaca, ne alias memorem his recentiores. Eſtne, quod praeterea deſiderari poſſit, ad lectionis vulgatae veritatem ſtabiliendam? § 7.

[*] Conf. *Wetſtenius*, *Alterus*, *Matthaei*, *Birchius* et *Griesbachius*.

§ 7. *Et* 2) *verus verborum Pauli ſenſus adſtruitur.*

Conſtituta ſic vera verborum Pauli lectione, proximum iam eſt, ut in genuinum eorumdem ſenſum curate inquiramus, nam et hunc interpretes quidam, argutias captantes, corrumpere aut ſaltem dubium reddere allaborarunt. Qui verba Pauli καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, (ποιήσατε) ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, ſine ullo ſtudio anticipato expenderit, mecum utique cenſebit, ea aliter, quam ſic, verti non poſſe, nec debere: *Et facite, ut et vos eam Epiſtolam legatis, quae Laodicea ſcripta eſt.* Eſt in Graeco ellipſis, ſed quam res ipſa clare docet ac iubet ita ſupplere, τὴν ἐκ Λαοδικείας γεγραμμένην. Sic igitur verſiones vetuſtae omnes verba ceperunt et reddiderunt, ſi ab uno vulgato interprete Latino diſcedas, cuius ipſius verſionem tamen cum aliis verſionibus non male conciliari poſſe monitum fuit § v. Nec inter interpretes alicuius nominis, quos dedit Eccleſia Graeca, reperietur vel unus, qui verba illa alio modo explicuerit, quod de plerisque etiam Commentatoribus antiquis Eccleſiae Latinae ſine cunctatione affirmo. Sed ab hac regia tritaque via (*c*) quidam declinantes, devios ſeceſſus quaeſiverunt, et ut verba Pauli, quamvis invitis bonae interpretationis legibus, ad ſuas antea conceptas opiniones contorquerent, ita converti poſſe putarunt: *Et facite ut Epiſtolam, quam ego ad Laodicenſes ſcripſi, et quae ab illis vobiſcum communicabitur, vos quoque le-*

(*c*) Inter Pontificios huic interpretationi favent *Maldonatus* et *Greiſerus*, ex noſtris *Hammondus*, *Millius* in Prolegom. ad N. T. fol. IX. edit. Oxon., itemque *interpretes Gallici Berolinenſes*, ut alios taceam.

legatis. Juxta hos igitur interpretes ἡ ἐκ Λαοδικείας ἐπιστολὴ erit *Epistola primum ad Laodicenses scripta, et postea ab his ad alios mittenda*, de quo verborum sensu hic quaerendo, ex veteribus nemo vel per somnium cogitavit. Equidem nihil miror, viris etiam undecumque doctissimis, et laude omni dignissimis talia potuisse in mentem venire, et ex calamo excidere. Quid enim non possunt opiniones praeiudicatae? quarum est vis in homines tyrannica incredibilis. Verum quis ceteroquin tales ellipses comminiscatur, tribuatve Scriptori Sacro? Cui in quaeso interpretatio tam rara ac plane singularis arridere poterit, nisi qui sibi persuaserit, ex quolibet scriptore quodvis pro libidine lectoris excusulpi posse, quod saltem a libris Sacrosanctis absit.

§ 8. *Epistolam scriptam Laodicea, non posse esse a Paulo, huius ipsius testimonio probatur.*

His iam expeditis, sponte et per se consequi mihi videtur, *Epistolam Laodicea scriptam*; neque Paulum, neque Apostolorum quemquam auctorem habuisse, aut etiam habere potuisse, eamque nonnisi pro Epistola Ecclesiastica, cuius auctoritas tantum est humana, haberi debere. Et ab ipso quidem Paulo Epistolam hanc nec scriptam fuisse, nec scribi omnino potuisse, testem habemus, ipsum hunc Apostolum, locupletissimum. Ita enim Colossenses alloquitur c. II. v. 1. Θέλω γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι, ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ, καὶ ὅσοι οὐχ ἑωράκασι τὸ πρόσωπόν μου ἐν σαρκί, *Volo enim vos scire, quantum certamen sustineam pro vobis et iis qui sunt Laodiceae, et quotquot non viderunt faciem meam in carne.* Paulus igitur Colossenses et Laodicenos illis annumerat, inter quos nondum docuerat ipse, et qui proinde fa-

ci-

ciem ſuam nondum viderant. Quare cum ad id uſque temporis Laodiceae numquam fuiſſet, ex illa urbe literas quoque ſcribere omnino non potuit. Equidem argumenti huius, quo ſaepe uſi ſunt viri eruditi, vim ſic nobis intercipere conatur *Theodoretus* ad h. l. p. 350, talem verborum Pauli paraphraſin nobis offerens: *Volo vobis eſſe perſuaſum, me maximam curam gerere et veſtri et Laodicenorum, et non ſolum veſtri et Laodicenorum, ſed omnium etiam, qui me nondum viderunt.* Tamquam id ſibi voluiſſet *Paulus*, *Non veſtram tantum curam gero, o Coloſſenſes et Laodiceni, quos vidi; ſed et eorum, quos nondum vidi.* Non invitus quidem fateor, tantam *Theodoreti*, in his praeſertim rebus, merito eſſe auctoritatem, ut nihil mirer, eum aliquos etiam ex noſtris interpretibus in partes ſuas pertraxiſſe; verum hic tamen, quod pace eius dixerim, certiſſime dormitavit, aut potius verbis Pauli invitis ſenſum adeo detortum et coactum affinxit, ut ea hypotheſi cuidam ſuae faventia haberet. Ipſa profecto verborum horum conſtructio, ex genuinis regulis et conſtanti Graecorum uſu diiudicata, talem ſenſum non admittit. Non poteſt eſſe illorum, niſi hicce ſenſus: *Volo vos ſcire, quanto ardore pro vobis decertem, et pro Laodicenſibus, (d) et pro reliquis, qui faciem meam nondum viderunt.* Relatum fuerat ad Paulum de negotio, in quo vertebatur ſalus Eccleſiarum Coloſſenſis, Laodicenae, Hierapolitanae, et quarumdam aliarum his vicinarum in Phrygia, quas ipſe hactenus nondum adierat, et coram ſalutaverat. Has omnes bono iubet eſſe animo, teſtans, ſe ipſarum curam non minus ſollicitam gerere, quam ſi inter

(d) Quidam Codd. MSS. a *Millio* memorati, addunt, *uti et Hierapolitis.*

ter ipſas diu vixiſſet, et in coetibus illis omnes diuturno et familiari uſu cognitos haberet. Multo vero minori veroſimilitudinis ſpecie, ſeſe illorum commendat exceptio, qui Pauli verbis talem ſenſum tribuunt, (e) *ſe non diu Laodiceae et Coloſſis ſubſtitiſſe, ſed cum paucis ibi egiſſe, veluti Coloſſis cum Epaphra, et per paucos eos poſtea reliquos edoctos eſſe.* Illius enim rei, quam ſuſpicantur viri eruditi, in Textu nulla nec vola, nec veſtigium apparet. Loquitur potius Apoſtolus de tota Coloſſenſium Eccleſia, ad quam ſcribit, de toto Laodicenorum et forte etiam Hierapolitanorum coetu, et de aliis quoque in illo tractu fidelium gregibus, quod hucuſque faciem ſuam non vidiſſent.

§ 9. *Et alio inſuper argumento.*

Ut vero tanto minus *Theodoreti* auctoritas opponi mihi queat, ad prius illud, quod expoſui, aliud nunc etiam argumentum adiiciam. Hanc vero in rem id mihi 1) concedi velim, *Epiſtolam Laodicea datam* non ita diu ſcriptam fuiſſe ante illam, quam *Paulus* ad Coloſſenſes direxit. Utraque haec Epiſtola, quod iam monui § 2, ad unum idemque negotium ſpectabat. Haec cauſa erat, ob quam *Paulus* ſuam ad Coloſſenſes Epiſtolam vellet confeſtim in Eccleſia Laodicenorum legi, et in Eccleſia Coloſſenſium, cum ea quae ad ipſos ſcripta iam erat, praelegi volebat eam, quae Laodicea data fuerat. Nimirum, ut ego exiſtimo, ex Epiſtola Laodicenorum perſpici poterat ratio quorumdam, quae *Paulus* ad Coloſſenſes perſcripſerat. Nam ad ea, de quibus agebatur in Epiſtola Laodicenorum

(e) *Heideggerus* in Enchiridio Biblico Lib. III. cap. XVII. §. 3.

norum, *Paulus* quoque in ſua ad Coloſſenſes reſponderat, quae ſcire et accurate perpendere utriuſque Eccleſiae, eodem plane modo, intererat. Idcirco Laodicenorum nominatim, ad Coloſſenſes ſcribens, ſaepius cum inſigni benevolentiae teſtificatione mentionem iniicit, c. IV. v. 1. *Volo enim vos ſcire, quantum certamen ſuſtineam pro vobis et iis, qui ſunt Laodiceae*, c. IV. v. 13. *Hoc enim de* Epaphra *teſtor, eum multo veſtri ſtudio ardere, et eorum, qui ſunt Laodiceae*, et ibid. v. 14. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiceae.* Satis haec omnia probant, actum fuiſſe de negotio, quod Coloſſenſibus cum Laodicenis commune erat, de quo non ita diu ante ad Paulum relatum erat, et de quo ſic reſcribit Coloſſenſibus, ut eadem quoque Laodicenis ſpeciatim dicta eſſe putare debeant. Porro et 2) mihi dari cupio, Epiſtolam ad Coloſſenſes ſcriptam fuiſſe Romae, in vinculis, quae ſic appellantur, prioribus, eodem circiter tempore, quo *Paulus* ad Philemonem quoque, (*f*) Eccleſiae Coloſſenſis Paſtorem, literas dederat, quibus ſperat liberationem ex vinculis iam iam imminentem v. 22. quale quid teſtatur etiam Philipp. I. 24, 25. Nempe Epiſtolae hae, de quibus nunc dixi, omnes ſcriptae erant Romae, biennio illo, quod *Paulus* illic vinctus exegit Actor. XXVIII. 30, ad finem iam properante, id eſt, anno aerae vulgaris 62. ſecundum calculos *Pearſoni* in Annalibus Paulinis, quos libenter ſequor. Sic igitur quinque fere tum iam exacti erant anni, ex quo *Paulus* regiones illas, in quibus ſitae erant Coloſſae et Laodicea, pede non attigerat, quod

ex

(*f*) Vide Philem. 10, 11, 12. collat. cum Coloſſ. IV. 9, 10. et Philem. 2. collat. cum Coloſſ. IV. 17.

ex Actis Apoſtolorum (*g*) et Annalibus Paulinis liquido perſpicitur. Palam igitur eſt, Epiſtolam Laodiceae ſcriptam anno 62, aut 61, quod utique dicendum de illa, cujus examen hic inſtituimus, Paulum auctorem habere non potuiſſe, qui et annis hiſce deſignatis, et aliquot antecedentibus, oras illas omnino non viderat.

§ 10. *Non igitur cogitandum de Epiſtola ad Philemonem, aut 1 ad Timotheum.*

Cum igitur evictum fuerit, *Epiſtolam Laodicea ſcriptam* a Paulo proficiſci non potuiſſe, ſed alium quemlibet auctorem habere, quaenam quaeſo eorum ratio haberi poteſt, qui eam contendunt eſſe unam ex illis Paulinis, quas in Canone habemus? Nihil dico de illis, qui cenſent intelligi *Epiſtolam ad Philemonem, ſcriptam Laodicea*, quando certo certius eſt, Apoſtolum Roma ſcripſiſſe ad Philemonem, de quo ipſa haec Epiſtola neminem dubitare ſinit. Probabilior aliquanto videri poteſt eorum hariolatio, qui, praeeunte *Theophylacto* Commentatore non ſpernendo, *priorem Pauli ad Timotheum Epiſtolam, Laodicea datam* fuiſſe augurantur. Quia namque certis rationibus oſtendi non poteſt, quo ex loco Epiſtola illa a Paulo ſcripta fuerit, coniecturae locus eſt. Et huic, cuius nunc memini, eruditorum coniecturae, pondus aliquod addit ſubſcriptio Epiſtolae ad Timotheum prioris, quae in Codicibus Graecis ita ſonat: *Scripta eſt Epiſtola Laodicea*, (ἀπὸ Λαοδικείας) *quae eſt Metropolis Phrygiae Pacatianae.* Quam ſubſcriptionem, paulo tamen breviorem, ſervat etiam interpres Sy-

(*g*) Vide *Pearſoni* Annales Paulinos ad A. C. 58, 59, 60, 61, 62,

Syrus. Verum argumentum hoc parum valere, eruditis omnibus nunc indubitate constat, qui norunt, subscriptiones has Epistolarum sero et non semper a manu valde sagaci additas fuisse. Alii Codices Graeci hic legunt ἀπὸ Μακεδονίας; *ex Macedonia*; Interpres Aegyptius, Syro illo, qui apud nos editus est, antiquior, legit *ex Athenis*, et ex eo id habet Arabs. Taceo, in subscriptione vulgata Codicis Graeci Laodiceam dici, metropolin *Phrygiae Pacatianae*, quae denominatio temporibus Constantini M. antiquior non est, nam hoc ab interpretatione Syriaca abest, ut proin credibile sit, subscriptionem hanc primo fuisse simpliciorem, qualem Syrus exhibet, et deinde ad eam plures additiones a manu posteriori adiectas fuisse, quibus illa, de qua modo dixi, accenseri debet. Ex subscriptione itaque nihil probari certo posse, satis unicuique liquet. Quamvis autem certo definiri nequeat, ex qua urbe *Paulus* primam ad Timotheum Epistolam exaraverit, id mihi tamen certum ac prorsus indubium est, non posse eam esse, quam *Paulus Laodicea scriptam*, apud Colossenses commemorat. Nam *Paulus* tum Laodiceae nondum fuerat § VIII, IX. Et ex ipsa illa priori ad Timotheum Epistola liquido ostendi potest, eam Epistola ad Colossenses aliquo temporis tractu esse posteriorem, de quo alias videbimus, unde fieri profecto nulla ratione potuit, ut illius, quae nondum exstiterat, tamquam a se scriptae et missae mentionem faceret.

§ 11. *Neque de Epistola ad Ephesios.*

Non magis audiendi sunt, qui sibi imaginantur, *Epistolam Laodicea scriptam*, aut ut ipsi loqui malunt, *Epistolam Laodicensium*, esse illam eamdem, quam Ecclesia semper, ut scriptum Apostolico-Ca-

nonicum reverenter habuit, quaeque nobis *Epiſtola ad Epheſios* audit. *Grotius* primum, in notis ad Epheſios, et ad Coloſſenſes, ſententiae huic a ſe excogitatae aliquam probabilitatis ſpeciem conciliare anniſus eſt, eamque poſtea gentis Anglicae Theologi praeſtantiſſimi erudite et ingenioſe ornatam ſtrenue tuiti ſunt, *Vſſerius* in *Diſſertatiuncula de Epiſtola ad Laodicenſes*, quae *Hiſtoriae* eiusdem *Dogmaticae de Scripturis et Sacris vernaculis* ſubiuncta eſt p. 300, etc., *Hammondus* in Epiſtolam ad Coloſſenſes, ad eamdem *Clericus*, *Pearſonus* in notis poſthumis ad Ignatii Epiſtolas p. 38, 39, *Millius* in Prolegomenis ad N. Teſtamentum Fol. ix; quibus addendus, qui eorum argumentis non modo uſus eſt, ſed eadem etiam novis auxit, *Vitringa* Filius, in Diſſertationibus ſuper hoc argumento peculiaribus. Meum hic non eſt, ea, quae viri eruditiſſimi de hoc argumento prolixe et acute diſputarunt, pluribus excutere, praeſertim cum opera hac feliciter defunctus ſit B. *Alphenius*, Theologus nuper Ultraiectinus celeberrimus, in Diſſertationibus Iſagogicis in Epiſtolam ad Epheſios. Unum hoc tantum monebo, diſputationem iſtam doctorum virorum totam commode in duo membra diſpeſci poſſe. Nam 1) contendunt, *Epiſtolam*, quae nobis inſcribitur *ad Epheſios*, a Paulo directam quoque fuiſſe *ad Laodicenos*, et ſub hoc quidem titulo olim extitiſſe in Canone Marcionis. 2) et hanc eſſe illam ipſam, cuius *Paulus* Coloſſ. iv. 16. commeminerit. Quod ad prius diſputationis iſtius membrum attinet, in quo profligando erudita *Alphenii* diligentia praecipue verſatur, illud merito miſſum nunc facio, nam ad argumentum, quod hic excutimus, plane non ſpectat. Secundum vero, quod ita appello, membrum, iis argumentis a viris doctiſſimis adſtruitur, quae § vi et vii iam expedivimus, ut igitur ad alia tranſire integrum nobis ſit.

§ 12.

§ 12. *Epiſtola Laodicea ſcripta, etiam non alium quemdam Apoſtolum auctorem habet.*

Quodſi igitur rationes noſtras recte ſudduximus, *Epiſtola Laodicea ſcripta* Pauli ipſius nullo pacto eſſe potuit. Sed poteritne eadem alii cuipiam ex ordine Apoſtolorum tribui? Id ſaltem probabilitate ſua deſtitutum non eſſe iudicavit *Lightfootus* Anglus Operum Tom. II. p. 117. et 885. Si nempe viro docto credimus, *Epiſtola Laodicea ſcripta* rectius fortaſſe Iohanni Apoſtolo adſcribetur, eritque earum, quas ille nobis reliquit, numero prima. At enim, ut hoc admitti poſſit, quot non, quaeſo, in anteceſſum oportet ſupponere, quae probanda eſſent, et probari tamen numquam poterunt? Non eſt veroſimile, (*h*) eo iam tempore, quo *Paulus* ſcribebat ad Coloſſenſes, Iohannem Apoſtolum in Eccleſiis Aſianis docuiſſe, et Evangelium de Chriſto praedicaſſe, et ſi vel hoc largiremur viro praeſtantiſſimo, ipſe tamen mihi non ita facile perſuadebit, Paulum loquentem de tanti Apoſtoli literis, quas publice legi vult, nomen eius, quod ceteroquin negotio huic aliquod auctoritatis pondus adieciſſet, ſtudio quaſi tacere et ſilentio obtegere voluiſſe. Cur, amabo, Epiſtolam hanc non dixiſſet *Iohannis Apoſtoli?* Iohannis illius, quem ordinis Apoſtolorum inſigne ornamentum et columen eſſe, libenter agnoſcit Gal. II. 6. Cur per aliquam veluti contemtus ſpeciem eam deſignare tantum maluiſſet, per *Epiſtolam Laodicea ſcriptam?* Praeterea id, quod ſibi vir doctus perſuadet, quodque eſt

(*h*) Vide Theologi de Eccleſia meritiſſimi, B. *Lampii* Prolegomena in Iohannem Lib. I. cap. III. § IX, X, XI. et cap. VII. § III.

eſt ſententiae eius fundus et fundamentum omne, Gaium Corinthium, de quo *Paulus* Rom. XVI. 23. ſcribit, eſſe cum illo, cui tertiam Iohannis Epiſtolam inſcriptam legimus, unum eumdemque, et primam Apoſtoli eiusdem Epiſtolam Laodicea ad Corinthios exaratam fuiſſe, tale eſt, ut concedi nulla ratione queat. Ex iis, quae obſervata iam fuerunt § 1x, et quae porro obſervabuntur, clare poteſt colligi, *Epiſtolam Laodicenſium* ſpectaſſe ad negotium aliquod peculiare, quod ipſorum Eccleſiae cum Eccleſiis Hierapolitanorum, Coloſſenſium, et aliarum forte urbium vicinarum in Phrygia, commune erat. Non apparet ratio, cur talis Epiſtola Corinthiis ſpeciatim inſcribenda et ad eos mittenda fuiſſet.

§ 13. *Eſt igitur Epiſtola illa a Paſtoribus Laodicenis, et quidem veroſimiliter ad Epiſcopos Eccleſiae Coloſſenſis ſcripta.*

Quae cum ita ſint, nihil niſi id ſupereſt, quod facerpius urſi, *Epiſtolam Laodicea ſcriptam*, fuiſſe tantum Eccleſiaſticam, et non alius quam humanae auctoritatis, ſive eam Laodiceni ad Paulum ipſum dederint, quod multis placet, ſive potius ad aliam quampiam Eccleſiam, quod mihi veroſimilius videtur. Si Laodiceni ad ipſum Apoſtolum literas dediſſent, iisque iudicium ipſius de rebus grauis momenti requiſiviſſent, vix dubitaverim, quin ad ipſos quoque reſponſorias ſuas directurus fuiſſet. Nulla erat cauſa, ut Eccleſiam Coloſſenſium, quae ad eum non ſcripſerat, praeferret Eccleſiae Laodicenorum, ſi haec per literas eum prima compellaſſet, cum neutri hactenus ipſe interfuiſſet, ac de facie notus eſſet. Eſt igitur, ſi quid recte iudico, longe credibilius, Epiſcopos Eccleſiae Laodicenae de rebus magni ponderis literas dediſſe

ad

ad Antiſtites gregis Coloſſenſium, hos vero easdem, per Epaphram ſuum, Romam ad Paulum miſiſſe perlegendas.

§ 14. *Sententia haec nunc paulo uberius explicatur.*

Si Pauli ad Coloſſenſes Epiſtolam curate expendo, opinor, rem totam et ordinem geſtorum commodiſſime hunc ad modum concipi poſſe. Turbulento illo tempore, quo *Paulus* ex Oriente Romam deductus erat, cum ex Apoſtolis plerique inter gentes diſperſi eſſent, et in Palaeſtina Procuratores Romani omnia caede, rapina et tumultibus repleviſſent, orta erat nova ſecta talium hominum, qui agnita ſumma veritatum Evangelicarum excellentia ac praeſtantia, eas quidem libenter amplecti, ſed cum iisdem inepta hominum commenta, principia nempe Philoſophiae tum ubique invaleſcentis, quam nonnulli Orientalem, alii Platonicam recentiorem appellare malunt, enixe coniuncta vellent. Sectae huius perniciosae, quae furtivo greſſu per Syriae et Aſiae minoris partes quasdam clanculum ſerpſerat, contagio infecerat quoque Phrygiam, in qua urbes permagnae et opulentae, Laodicea, Hierapolis, Coloſſae, et aliae, coetus alebant Chriſto Domino conſecratos, iam tum et ſecutis etiam temporibus egregie florentes. Harum itaque Eccleſiarum pii et fideles miniſtri, tanti periculi magnitudine territi, conſilia inter ſe communia agitarunt, ut, ſi fieri poſſet, greges ſibi concreditos a mali huius communione immunes praeſtarent. Laodiceae crediderim conveniſſe plures finitimarum Eccleſiarum Antiſtites, eosque exploratis ſollicite omnibus rei huius momentis, ea quae comperta habuerant, ad Epiſcopos Eccleſiae Coloſſenſis curate perſcripſiſſe. Hi, ut ſaluti Ec-

Eccleſiarum Phrygiae tanto melius conſulerent, de re hac omni ad Paulum Romae vinctum, ſibi quidem de facie non notum, ſed cuius tamen tot et tanta in Eccleſias Aſianas extabant merita, diligenter et ſine mora referendum eſſe putarunt. Miſerunt itaque ad Apoſtolum Epaphram, coetus ſui Paſtorem fidelem, qui cum eo coram ageret, eumque de omnibus accurate edoceret, Coloſſ. I. 7, 8, et una, quod non temere ſuſpicor, Epiſtolam Laodicenſium ipſi legendam traderet. Et is quidem ea in re tanta fide tantoque ſtudio verſatus eſt, ut non tantum Coloſſenſium ſuorum, verum et Laodicenorum ac Hierapolitanorum cauſam omni mentis contentione et cura ageret, c. IV. v. 13, et curam quoque hanc ſuam pro Eccleſiis ſibi tam caris in Paulum ipſum totam veluti transfunderet c. II. v. 1. Ad ea igitur, quae Laodiceni ad Coloſſenſes perſcripſerant, et quae de hoc ipſo negotio hi per Epaphram ad Paulum coram referendum et cum ipſo communicandum curaverant, Apoſtolus reſpondit in illis, quae *ad Coloſſenſes* inſcriptae ſunt, literis. Facilis iam dari poteſt ratio, cur in his literis *Paulus* mentionem faciat Epiſtolae Laodicea ſcriptae, et cur iſtam in Eccleſia Coloſſenſium, Epiſtolam vero ad Coloſſenſes in Eccleſia Laodicenorum publice legi velit. Erant enim ambae in eodem argumento ſcriptae, unamque ex altera explicare atque illuſtrare oportebat.

§ 15. *Explicatur, quae ſit ratio, cur Paulus Epiſtolam ad Coloſſenſes ſcriptam, in horum tamen coetu praelegi velit.*

Non inficias eo, adverſus ea, quae nunc diſputavi, cum aliqua ſpecie regeri poſſe, *Epiſtolam Laodicea ſcriptam* videri potius ad Coloſſenſes directam non fuiſſe, eo quod Apoſtolus his iniungat: *Curate, ut Epi-*

Epiſtola Laodicea ſcripta apud Vos legatur. Quid enim opus fuiſſet, eam nunc demum in Eccleſia Coloſſenſium legi, ſi iam pridem ad hanc ipſam exarata eique ſatis nota fuiſſet? Verum difficile non eſt, obiectioni huic, idque pluribus modis, ſatisfacere. Quodſi enim vel id darem, Epiſtolam Laodicenſium toti Eccleſiae Coloſſenſium iam antea praelectam fuiſſe, poterat tamen Apoſtolo neceſſarium videri, ut nunc Epiſtolae illius lectionem repetitam iniungeret, quia ex comparatione unius Epiſtolae cum altera, Pauli ad Coloſſenſes ſcribentis mens et intentio certius perſpici, et plura huius Epiſtolae loca illico et facile intelligi poterant. Verum ne iſtud quidem ex ſententia mea § XIV. propoſita ſequitur, Epiſtolam Laodicenſium, etſi ad Coloſſenſes ſcriptam, in coetu ipſorum Eccleſiaſtico coram omnibus lectam fuiſſe. Non temere ad credendum inducor, rem omnem, de qua ad Paulum retulerant ioloſſenſes, hactenus inter Paſtores Eccleſiarum praecipuarum in Phrygia transactam fuiſſe, et nunc demum, accedente auctoritate et deciſione Apoſtolica, coetibus integris proponi debuiſſe. Id igitur Apoſtolus voluit, cum lectionem utriuſque Epiſtolae, et ſuae ad Coloſſenſes, et Laodicenorum, Eccleſiae utrique commendavit. Non loquitur de lectione illa Verbi Divini, quae in coetibus Chriſtianorum partem non ultimam cultus ipſorum religioſi abſolvit, de qua c. III. v. 16. dixerat; ſed de lectione, quae locum habet in iis Conventibus Eccleſiaſticis, quos Graeci poſtea *συνόδους*, Latini *Concilia* vocare conſueverunt. Tales enim conventus, tempore Apoſtolorum, praeſente toto grege, de cuius ſalute conſultandum et deliberandum erat, ſaepe inſtitutos fuiſſe, vel ex uno hoc loco, de quo diſſerimus, ut alia taceamus, recte colligere licet. Eumdem etiam morem in aureis ſeculis primitivae Eccleſiae

LIBRARY OF THE

conſtanter ſervatum fuiſſe, hiſtoria Eccleſiaſtica abunde teſtatur.

§ 16. *Negotium, quod Laodiceni et Coloſſenſes cum Paulo tranſegerunt, reſpicit Gnoſticos.*

Dixi, negotium illud, de quo egerat Laodicenorum Epiſtola, de quo ad Paulum retulerant Coloſſenſes, et de quo in Epiſtola ad eos ipſe reſcripſerat, ſpectaſſe, magna ex parte, ad homines, qui principiis ineptae Philoſophiae Orientalis infatuati, iisque ad explicandam Scripturam S. abuſi, doctrinam Fidei Chriſtianae ſanctiſſimam totam corruperant. Illius enim rei complura veſtigia, priora duo Epiſtolae ad Coloſſenſes capita nobis ſubminiſtrant. Homines illi, qui poſt tempora Apoſtolorum vanum Gnoſticorum nomen ſibi paſſim ipſi tribuerunt, ex principiis Philoſophiae ſuae incredibilem in modum inquinatae, Myſteria Fidei ſanctis traditae diiudicare ſatagebant, quem turpiſſimum abuſum caſtigatum videmus Coloſſ. II. 4, 8. Iidem doctrinam Evangelii Sacroſanctam de Deo Patre, Filio, et Spiritu S. in fabulam miſeram ſtultamque converterant, quod paucis quidem, ſed gravitate Apoſtolica tangitur c. II. v. 2, 3, 4. Ex doctrina hominum illorum ſequebatur, Chriſtum Ieſum non eſſe ex ipſo Patre, adeoque nec veram eius et genuinam imaginem, quamobrem *Paulus* myſterium hocce pietatis ſerio inculcat et aſſerit c. I. v. 15, II. 9. Sequebatur pariter ex Gnoſticorum illorum *ματαιολογίᾳ*, Chriſtum Dominum non eſſe *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, *omnibus rebus creatis priorem*, uti nec ſuperiorem, quod Apoſtolus magno cum zelo adſtruit I. 15, 17, 18, II. 10, quodque ex eo etiam probat, quia cuncta, nihilo plane excepto, per eum creata ſunt, I. 16, 17, cum id Gnoſtici, et aperte, perne-

ga-

garent. In eo potius hi inter ſe conſpirabant, ut Divinum, tum creationis, tum providentiae, opus, Angelis in acceptis ferrent, eamque ob cauſam ipſos cultu ſuperſtitioſo venerarentur, cui impietati Apoſtolus doctrinam Evangelii opponit, II. 18. Alia quae his addi poſſent, brevitatis ſtudio nunc omitto.

§ 17. *Illi ipſi invexerunt cultum Angelorum, de quo* Coloſſ. II. 18.

Quia vero de cultu Angelorum aliquid monui, operae pretium eſſe puto, ea, quae *Theodoretus* ad Pauli locum modo citatum obſervat, et hic adſcribere. Sic autem ille p. 355. *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem fuiſſe per eos datam. Manſit autem perdiu hoc vitium in Phrygia et Piſidia. Proinde Synodus, quae convenit apud Laodiceam Phrygiae, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum uſque diem Oratoria S. Michaëlis apud illos, illorumque finitimos videre eſt.* Equidem *Theodoretus* cultum Angelorum, de quo loquitur Apoſtolus, mavult Iudaeis imputare, neſcio quo iure, etſi talia etiam apud alios veteres legantur. De eo vero dubitari non poteſt, Gnoſticorum in colendis Angelis ſuperſtitionem permagnam fuiſſe, cuius rei teſtimonia habemus certiſſima, gemmas horum haereticorum Abraxeas, quae ſuperſunt, et in quibus nomina Angelorum, non ſine aliqua invocatione religioſa, toties leguntur. Horum profecto doctrinae et inſtitutis, cultus ille Angelorum, qui poſtea cum magno dedecore Chriſtianorum, contra diſertiſſimum praeceptum Apoſtolicum, in Eccleſiam invectus eſt, aut unicè, aut certe praecipue debetur. Prima cultus huius initia obſervantur in Phrygia, iisque pii Eccleſiarum Praeſules, duce et auſpice ma-

magno gentium Apoſtolo, pro virili obſtiterunt; ſed tanta tamen iam fuit vis erroris huius et ſeductionis, ut etiam ipſa auctoritate Apoſtolica penitus retundi non potuerit. Teſtatur *Theodoretus* paulo ſupra adductus, permanſiſſe mali huius contagionem in iisdem Phrygiae oris ad ſua uſque tempora. Eadem Eccleſia Laodicena, quae morbo recens naſcenti tempore Apoſtolorum medelam parare cupiverat, ſeculo IV. nova eidem repagula, quod et *Theodoretus* monuit, ſopponere debuit. Nam in Concilio, quod Laodiceae A. C. circiter 367 coactum fuit, Patres Canone XXXV. ita decernunt: *Quod non oportet Chriſtianos, relicta Dei Eccleſia, abire et angelos nominare — ſi quis igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, et acceſſit ad idololatriam.* Idem illud *Theodoretus* ex eo quoque probat, *quod apud illos,* (loquitur aut de Phrygibus in genere, aut de Laodicenis ſpeciatim) *illorumque finitimos* (*i*) *Oratoria S. Michaëlis videre eſt.* Ex eo coniicere liceret, Templa Angelo vel Archangelo dicata, primum in Phrygia viſa fuiſſe et in regionibus vicinis, ſeculo circiter V, indignantibus rem hanc cordatis illius aevi Theologis. Verum crevit ſemper ſuperſtitio haec labentibus ſeculis, donec tamdem Reformatores noſtri, veſtigiis Apoſtoli Pauli et antiquiſſimorum Laodicenorum et Coloſſenſium inhaerentes, rem hanc ad primaevum beatum ſtatum reducerent.

DIS-

(*i*) Tale Templum pulchrum valde et magnificum Michaëli Archangelo dicatum Coloſſis, memorant veteres, *Conſtantinus Porphyrogenneta* Lib. I. Them. p. 21, et *Nicetas Choniates*, vel *Coloſſenſis*, ſaepius. In vicinia Coloſſarum ſita erat Philadelphia, veteribus valde celebrata, ubi adhuc hodie viſuntur rudera Templi in honorem S. Michaëlis aedificati, quod teſtantur auctores itinerariorum.

DISSERTATIO

DE IEZABELE, THYATIRENORVM PSEVDO-PROPHETISSA, AD APOCAL. II. 20.

§ 1. *Scribendi occaſio et argumentum.*

Cum haud ita pridem ſolertiſſimus quidam [*] Theologiae et hiſtoriae Eccleſiaſticae cultor, diſſertationem de Eccleſiae Thyatirenae, ad quam Epiſtola Apocalyptica extat, tempore *Iohannis* Apoſtoli exiſtentia, a ſe conſcriptam non modo mihi perlegendam obtuliſſet, ſed ad eamdem etiam publice in cathedra noſtra Academica ſecum defendendam me invitaſſet, ego vero honeſtae huic eius petitioni non potuiſſem non annuere, Epiſtolam hanc Domini ac Servatoris noſtri ad Eccleſiam Thyatirenam, quae in *Apocalypſi Iohannis* cap. II. a v. 18 ad finem usque capitis legitur, accuratius, quam alias antehac, expendere et ſollicita meditatione perſequi coepi. Et quantum quidem ad ipſam Eccleſiae Thyatirenae, tempore Iohannis Apoſtoli, exiſtentiam attinet, quam haeretici quidam ſeculo III, molimine, ut mihi videtur, propemodum ridiculo;

[*] Intelligitur *Ferdinandus Stosch*, de quo Cl. *Saxius* P. VII. Onom. Lit. p. 66, 67, 274.

culo, negare auſi ſunt, provinciam hanc erudito illi auctori, cuius modo mentionem feci, ingenio ſuo ornandam totam relinquo. Quia vero in Epiſtola illa ad Eccleſiam Thyatirenam plurimus de *Iezabele Prophetiſſa* ſermo eſt, operam dabo, ut ad argumentum hoc, ſatis hucusque obſcurum, ſi poſſim, aliquid lucis adferam.

§ 2. *Verba Apocalypſeos de Iezabele Thyatirenorum Prophetiſſa adducuntur et breviter expenduntur.*

In Epiſtola hac Domini videmus primo laudari et inſigniter commendari Eccleſiae Thyatirenae *amorem, et fidem, et liberalitatem in pauperes, et patientiam, et progreſſus in bonis operibus*, v. 19. Sed ſupererant tamen alia in Eccleſia hac animadverſione et caſtigatione digna, quae ſic videmus exponi, v. 20, Αλλ' ἔχω κατά σου, ὅτι (*a*) ἐᾷς τὴν γυναῖκα τὴν Ἰεζαβὴλ, ἡ λέγει ἑαυτὴν προφῆτιν, καὶ διδάσκει, καὶ πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους πορνεῦσαι καὶ φαγεῖν εἰδωλόθυτα. Vulgatus interpres haec ita Latine reddidit: *Sed habeo adverſus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quae ſe dicit Propheten, docere, et ſeducere ſervos meos, fornicari et manducare de idolothytis.* In ſequentibus et Iezabeli ipſi, et ſectatoribus eius, ſevera Dei iudicia denunciantur, de quibus quid certi dicam, vix ac ne vix quidem habeo. In prioribus vero

(*a*) De variis lectionibus, quae hic in Codd. MSS. inveniuntur, operoſe non diſputabo. Poſſunt eam in rem conſuli editiones *Millii* et *Kuſteri*, ac inſuper commentarius in h. l. C. *Vitringae*. Ego lectionem ſecutus ſum codicum meliorum et probatiſſimarum editionum, quam etiam Vulgatus interpres expreſſit. [conf. *Wetſtenius* et *Griesbachius*].

vero verbis, quae ex *Iohanne* retuli, ipſam primo Thyatirenorum Eccleſiam reprehendi eo nomine videmus, quod Iezabeli, quae Prophetiſſam agere volebat, maiorem quam par erat dicendi et docendi libertatem nimis indulgenter permiſiſſet, eiusque conatibus neque prudenter neque fortiter ſatis ſe oppoſuiſſet. Iezabeli vero criminis loco a Domino duo exprobrantur, 1. quod Prophetiſſam agere, et publice docere auſa ſuiſſet, *dicebat enim ſe eſſe Prophetiſſam, et docebat.* 2. quod doctrinam introduxiſſet impiam, eaque plurimos a veritatis et pietatis tramite ſeduxiſſet. Hoc eſt ſermonis illius, quo Eccleſiam Thyatirenſem caſtigat Dominus, argumentum. Quia autem omne huius rei momentum in eo ſitum eſt, ut intelligatur, quae qualisve fuerit *Iezabel* Thyatirenorum Pſeudo-Prophetiſſa, age, quid de ea nobis videatur, paulo uberius explicemus.

§ 8. *Praeſupponitur, verba Apocalypſeos reſpicere primo ſtatum Eccleſiae Thyatirenae illius temporis.*

Et ante omnia quidem id neceſſario monendum eſt, me verba Chriſti ad Eccleſiam Thyatirenam ita accipere, ut ſenſus eorum literalis et proximus ſtatum Eccleſiae huius reſpiciat, qualis re ipſa fuit eo tempore, quo Apocalypſin ſuam B. *Iohannes*, iuſſu Domini, conſcripſit. Etſi enim alios hic a me diſſentientes aequiſſimo ferre poſſim animo, etſi praeterea ego numquam negaverim, ea quae de VII Eccleſiis Apocalypticis dicuntur, ſimul quoque ſpectare ad univerſam Eccleſiam Chriſti, in certa temporum intervalla diſtinctam, ita ut ſeptem illae Eccleſiae Aſiaticae imago quaedam fuerint unius Eccleſiae, quae in ſuccedentibus ſeculis alium itemque alium vultum induit,

duit; aliter tamen existimare non possum, quam ipsas has Ecclesias, ad quas extant Epistolae Apocalypticae, primo loco designari, earumque praesentem eo tempore statum vivis coloribus depingi. Ipse profecto *S. Iohannes* aperte docet, verba sua in hoc libro ita intelligenda esse, quando istud Domini ad se mandatum refert: *Scribe, quae vidisti, et quae sunt, et quae oportet fieri post haec*, Apoc. I. 19. Idem quoque testantur expressa urbium illarum, ad quarum Ecclesias B. Apostolus nomine Domini Epistolas misit, nomina. Erant certe omnes illae urbes, magnitudine, dignitate, aliisque praerogativis praestantes, et inclytis maxime totius Asiae minoris civitatibus annumerandae. Erant non ita procul ab Epheso, ubi ultimo *Iohannes* noster docuit, remotae. Habebant omnes, quod nemo facile in dubium vocaverit, Ecclesias Fidei Christianae addictas easque illustres (*b*). Neque etiam Alogi ipsi haeretici, cum Apocalypsin suspectam reddere anniterentur, ausi sunt ullius ex his Ecclesiae existentiam in dubium vocare, praeterquam Ecclesiae Thyatirensis, ideo credo, quod aliquo post B. *Iohannis* mortem tempore, sive ob graviorem persecutionis furorem, sive ob aliquem forte terrae (*c*) motum, sive quocumque demum alio

(*b*) Neque spernendum, quod ad firmandam illam sententiam ad h. l. adfert *Franciscus Ribera* e S. S. pag. 87. Praeterea *Tertullianus Lib.* IV. *cont. Marcionem*, prope principium, has septem *Ecclesias Apocalypsis appellat* alumnas Iohannis, quod in ipsis docuerit, et eas *converterit* atque instituerit.

(*c*) Thyatiram saepius terrae motibus obnoxiam fuisse, ex historia constat. Certe eam sub Augusto tali casu afflictam fuisse, discimus ex *Suetonio* in Tiberio c. 8. Forte ingens ille terrae motus, qui sub Traiano, cum esset Antiochiae, Orientem vehementer concussit, etiam Thyatirae aliquid damni

alio caſu, Eccleſia illic defeciſſet, ex quo concludebant haeretici, numquam antea in urbe illa Eccleſiam fuiſſe. Quoniam igitur ad illuſtres illas Eccleſias Epiſtolae Apocalypticae directae erant, quis dubitabit, quin publice illic locorum lectae et recitatae fuerint? Quid vero Eccleſiae illae dicturae fuiſſent, ubi ſe vel ob crimina ſibi omnino ignota reprehendi, et uno verbo ea, quae ſcripta ſibi eſſent, ad ſe tamen prorſus non pertinere intellexiſſent? Omnes porro Epiſtolae ſic ſcriptae ſunt, ut nonniſi de rebus praeſentibus agere videantur, atque eas perlegenti vix poſſit ſuboriri ſuſpicio, eſſe eas mera vaticinia de rebus multis demum ſeculis poſt futuris. Et ita veteres quoque ſenſerunt, illi etiam, qui diſcipulos B. *Iohannis* viderant et familiari uſu cognitos habuerant, etſi in eorum numero quoque reperiantur, qui ſenſum Myſticum ac Propheticum non excludendum eſſe velint, quorum iudicium neque nos improbamus.

§ 4. *Iezabel non ſignificat omnes promiſcue falſos Doctores, qui Eccleſiam Thyatirenſem turbarunt.*

Hucusque de conſenſu doctiſſimi iuxta ac prudentiſſi-

attulit, etſi ea de re nihil apud veterum quemquam me legiſſe libenter fateor. Similem tamen urbis huius caſum triſtem videtur indicare Inſcriptio Thyatirae reperta, et a *Sponio* exhibita in Itinerar. Tom. 1. p. 327, in qua Antoninus Caracalla vocatur κτιςὴς τῆς πόλεως, i. e. ut ego puto, urbis terrae motu collapſae reſtaurator, etſi id alii alio modo explicent. Vide *Wheleri* Itinerar. Tom. 1. p. 396. Idcirco etiam Imperator idem appellatur in alia Inſcriptione apud *Sponium* p. 396. εὐεργέτης τῆς πόλεως. Forte id ipſum ſignificatur Nummo Thyatirenorum, in quo exhibetur lupa, Romulum et Remum uberibus ſuis alens, ſymbolum notiſſimum Romae, deſignaturum, ut videtur hic, Romanos condidiſſe

tiſſimi interpretis, *C. Vitringae* gloriari poſſum. Sed ubi iam diſtinctius iudicandum eſt, qualemnam Thyatirenſium *Prophetiſſam*, nomine *Iezabelis* deſignatam, hic cogitemus, a ſummi illius Theologi ſententia diſcedere omnino cogor. Equidem et de eo perſuaſus ſum, quod vir doctiſſimus recte urget, *Iezabelis* nomen non eſſe proprium, ſed *Myſticum*, vel aenigmaticum et allegoricum, adeoque *Thyatiris nullam fuiſſe, ſic dictam magis, quam in aliis Eccleſiis*, (illa nempe Epheſiorum et Pergamenorum) *Nicolaitas et Bileamitas ſic dictos*. Nemo potius eſt, qui non, lecta hac Epiſtola, confeſtim ad vetuſtam Iezabelem, impiam Achabi regis Iſraëlitarum coniugem, cogitationes ſuas convertat, et ad facta eius alludi intelligat. Verum quando myſtico hoc Iezabelis nomine, *deſignari* non mulierem quamdam, ſed *falſos Doctores et Apoſtolos Eccleſiae Thyatirenae* arbitratur *Vitringa*, calculum ſententiae eius adiicere non poſſum. Si enim, quod Theologus ille poſt alios opinatur, per *Iezabelem* illi ipſi ſubinnuuntur, qui, in aliis capitis huius Epiſtolis, *Nicolaitae* et *Bileamitae* nuncupati fuerant, cur illic de pluribus, hic de una tantum perſona Epiſtola loquitur? cur hic mulierem, eamque unicam tantum nominat? cur vitio illi ducit, quod ſe προφῆτιν *Propheriſſam* venditet, et docere publice (*d*) ſuſtineat? ubi, quod iam ſemel monui, duo Jezabelis delicta bene omnino diſtinguenda ſunt, *primo* quidem, quod doctorem agere voluerit, cum hoc ipſi nulla ratione competierit, et *ſecundo*, quod ad ipſum doctoris munus, ſuperbo auſu ſibi arrogatum, doctrinam adiunxerit a veritate abducentem et im-

ant reſtauraſſe Thyatiram, eoque communem eſſe et Thyatirae et Romae originem. Nummum vide apud *Sponium* Itinerar. Tom. I. ad p. 442.

(*d*) Vide plura § VII et ſqq.

impiam. Quae omnia quomodo cum ſententia viri magni rite conciliari queant, mihi ita non liquet. Perſenſit dubio procul iſtam difficultatem doctiſſimus vir, eoque, ut eam tolleret aut ſaltem minueret, vult nos ſuſpicari, latere forte hic tacitam alluſionem ad Iezabelem Tyriam, reginam Iſraëlis, quae *probabiliter Prophetiſſa* vel *Sacerdos Baalis* fuerit. Verum enim vero, ſuſpicioni huic id utique obſtat, quod hic re ipſa non ad Tyriam Iezabelem alludatur, ſed de Iezabele Thyatirenorum praedicetur, ὅτι λέγει ἑαυτὴν προφῆτιν, καὶ διδάσκει, *quod ſe ipſam Prophetiſſam venditet et doceat*, quod Gentilium Prophetiſſis et Sacerdotibus facere moris non erat. Eſt vero ad haec in univerſum improbabile, Iezabelem ſacerdotio Baalis functam umquam fuiſſe. Neque vero eruditiſſimum hunc virum iuvat, quod ex *Ioſepho* et ipſis *Tyriorum Annalibus* adfert, *Ithobalum* Iezabelis patrem, Tyrique regem, *Sacerdotium Aſtartes obiiſſe*; id enim neque Tyriorum, neque aliarum gentium moribus, nemini ignotis, repugnat. At Iezabelem ſacra Baalis procuraſſe, et cultum divinum adminiſtraſſe, non ita facile quisquam mihi perſuadebit. Apud Graecos quidem et Romanos, uti nec minus alias Occidentis noſtri gentes, Sacerdotiis mulieres ſaepiſſime praefectas fuiſſe, res eſt omnibus notiſſima. At longe aliter viſum eſt Legislatoribus populorum Orientis, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum (*e*), Indorum, qui omnes adminiſtrationes ſacrorum ſolis viris proprias eſſe voluerunt. Eadem omnino fuit etiam ratio Syrorum et Phoenicum. *Lucianus*, ſive quisque auctor eſt

(*e*) Verba haec ſunt *Witſii* in Libro *de ſenſu Epiſtolarum Apocalypticarum* Cap. III. § 83, et in Miſcellan. Sac. Tom. I. p. 694.

eſt libri *de Dea Syria*, multa illic recondita profert de Phoenicum Numinibus, templis, ſacrisque ritibus et cerimoniis, de pompis Sacerdotum, aliisque rebus huc ſpectantibus. Sed in toto libro mentionem foeminae Sacerdotis nuſpiam reperias. Id unum itaque ſupereſt, ut dicamus, *Thyatirae accidiſſe, ut pravi dux foemina facti, Chriſtianorum aliquot faſcino ſuo a fide ad impuritates abduxerit* (*f*).

§ 5. *Neque Iezabelis nomine deſignatur mulier ſacris idololatricis Graecorum addicta.*

Fuit vir eruditiſſimus, cuius nomen ignoramus, qui (*g*) coniecit, reſpici Epiſtola hac ad Myſteria Graecorum, non ſine luxuria ac laſcivia plurima et omnis denique generis impietate peragi ſolita, qualia in

(*f*) Videtur hic opponi poſſe, quod legitur in *Aſſemani* Bibliotheca Orientali Tom. I. fol. 190. a. *In Menologio Baſilii die* 5. *Octobris fit mentio Memalchtae Perſae, quae fuerat Dianae Sacerdos.* Difficultatem ex ſimilibus teſtimoniis ortam ſolvit *Th. Hydius* de religione Veter. Perſ. p. 90, 91. Idem pag. 140 ſcribit: *Quamvis autem apud Perſas foeminis praeceptum fuerit, bene cuſtodire aquam et ignem, id ſubintelligendum eſt de cuſtodia privata in ſuis aedibus: non enim legimus aliquid de Sacerdotiſſis, niſi in ſupradicto haeretico Veneris cultu, qui ad verum Magismum non pertinebat. Iuſtinus* Lib. X. c. 11 ait: *Mox poenitentia ductus, ut honeſte negaret* (Artaxerxes) *quod temere promiſerat* (Dario filio ſuo) *ſolis eam* (Aſpaſiam) *ſacerdotio praefecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.* Videtur hiſtoricus hic, neſcio qua ratione, in errorem fuiſſe inductus. *Plutarchus*, de eadem re loquens, aliud quid nos docet in vita Artaxerxis p. 1874 edit. Steph. Τῆς δ' Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσιν, ἱερείαν ἔδειξεν ἀυτὴν, ὅπως ἀγνὴ διάγῃ τὸν ἐπίλοιπον βίον. *Dacerius* To. VIII. p. 250. vertit, *Illa fit religieuſe.*

(*g*) Vide *Relationes innocentes* Anni 1701. pag. 16, 17, ſqq.

in illis Aſiae civitatibus, Epheſi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, frequentiſſime celebrabantur, uti nec minus ad inſigniores illorum fautores et promotores. Credidit idem, Iezabelis Thyatirenae forte adhuc memoriam conſervari in egregia Inſcriptione (*h*), quae inter reliquias veteris Thyatirae, in vico, qui a Turcis *Akhiſar* appellatur, hodieque conſpicitur, hunc in modum concepta.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ
ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΗ
ΣΑΣΑΝ ΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ
ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
ΠΟΛΥΤΕΛΩΣ.

Quae ſic verti poſſunt.

Fortunae ſacrum,
Senatus Populusque
honorarunt
Ulpiam Marcellam,
Sacerdotem Dianae,
Marci Ulpii Damaparadoxi
et Canidiae Baſſae Filiam,
Quae myſteria Deae
et ſacrificia ſplendide
et ſumtuoſe peregit.

Ne-

(*h*) Eam deſcripſerunt, qui oras illas diligenter luſtrarunt, *Ricautius*, *Smithus*, *Sponius*, *Whelerus*, [*].

[*] Repetiit *Muratorius* t. II Novi Theſ. Inſcr. p. DLIII. 4.

Neque diffiteor, coniecturam hanc mihi ſemper ea doctam et ingenioſam viſam fuiſſe, meque in ea hactenus acquieviſſe. Habemus enim hic mulierem Thyatirenſem, Sacerdotem magni Numinis, cui hoc laudi datur, quod idololatriam, ſpiritualem fornicationem, omni ope adiuverit atque promoverit. Sed nunc tamen, ubi omnia lance iuſta et accurata expendenda ſunt, haec obſervatio, etſi elegans, dubia quaedam movet, neque ad explicandam Epiſtolam noſtram Apocalypticam, mihi ab omni parte ſatisfacere videtur, adeoque de alia explicatione cogitandum erit. *Ulpia* illa *Marcella*, in cuius honorem Inſcriptio adornata eſt, a *Iohanne* in Apocalypſi tangi utique non potuit. Erat enim filia *Marci Ulpii Damaparadoxi*, qui nomen illud *Marci Ulpii*, de quo dubitari non poteſt, in honorem *M. Ulpii Traiani* poſt initum ab ipſo imperium adſcivit. Omnium vero conſenſu et confeſſione conſtat, *Iohannem* Apocalypſin aliquamdiu ante Traianum ſub Domitiano in exilio Pathmico conſcripſiſſe. *Ulpiae* praeterea ea tantum in Inſcriptione hac tribuuntur, quae ab omnibus Sacerdotibus, officio ſuo rite functuris, expectabantur, unde fit, ut ſimilia in aliis Inſcriptionibus non infrequenter legantur. Illud vero cumprimis obſervandum eſſe duco, Iezabelem illam *Iohannis* Thyatirenſem non poſſe a nobis in numero Gentilium cenſeri, tamquam quae ſacra eorum publice profeſſa ſit, myſteria impietatis ſplendide peregerit, et idolorum ſacerdotio functa fuerit. Quid enim cum tali muliere Eccleſiae Thyatirenorum Chriſtianae? Aut quo iure Eccleſia reprehendi potuiſſet, quod Sacerdoti Paganicae permiſerit miniſterio ſuo fungi? An non iure merito Eccleſia reponere potuiſſet, *Quid enim ad me attinet, eos qui foris ſunt iudicare? Nonne de iis qui intus ſunt, nos iudicamus? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit.*

Au-

Auferamus malum ex nobis ipſis, 1 Cor. V. 12, 13. Quando haec cogitatione perſequor, aliter ſtatuere non poſſum, quam deſignari ab Apoſtolo mulierem Chriſtianam, quae communionem Eccleſiae affectaverit, quin imo in Eccleſia auctoritatem docendi ſibi arrogaverit; ſed et praeterea doctrina periculoſa, et ad impietatem deducente, gregem Chriſti inficere voluerit. Quo obſervato, nunc iam facilius erit, Iezabelem illam, de qua loquitur Epiſtola, nonnihil diſtinctius deſcribere et deſignare, quantumvis fateri oporteat, hiſtoriam Eccleſiae illius temporis multis denſiſque tenebris tectam et totam obnubilatam eſſe.

§ 6. *Iezabel fuit Mulier Chriſtiana, e ſecta Gnoſticorum.*

Quaerenda igitur mulier, (ſive una, ſive etiam plures, perinde eſt) profeſſione Chriſtiana, ſed quae auctoritatem et poteſtatem publice in Eccleſia docendi ſibi vindicaverit, atque inſuper doctrinas Gentilium cum ſancta Religionis Chriſti doctrina vinculo infelici ſociaverit, eaque impura doctrina multorum hominum animos faſcinaverit. Huiusmodi mulierem vix alibi, tempore illo, quam in *Gnoſticorum* ſecta reperiri poſſe aſſeveraverim. Huic profecto notae characteriſticae omnes, Iezabeli Thyatirenae aſſignatae, examuſſim conveniunt. Per *Gnoſticos* hic intelligo homines, doctrinae Orientalium (*i*) et Philoſophiae Platonicae

(*i*) Doctrinam illam Orientalium hactenus nemo elegantius adumbravit, Beato *Iſaaco Beauſobrio* in Hiſtoria Manichaea, paſſim. *Dodwellus* in addendis ad pag. 252. Diſſertationum in *Irenaeum* exiſtimavit, nomine Iezabelis intelligi ab Apoſtolo ſectam aliquam haereticam, ac ſpeciatim ſectam Baſilidianorum.

tonicae, qualis cumprimis in Aegypto tempore illo tradebatur, ultra modum addictos, fidem Chriſti quidem profeſſos, ſed illius myſteria et praecipuos articulos ex praeconcepta ſua Philoſophia Orientali Platonica dimetientes et conſtituentes. Firmiter hi tenebant, ſolum ſpiritum natura ſua poſſe eſſe bonum, corporis vero naturam per ſe eſſe malam, neque bonam evadere umquam poſſe; animam vero corpori iunctam, eo ipſo ingentibus periculis obnoxiam et vere miſeram eſſe. Hinc ſequebatur, Deum bonum materiae et corporis auctorem immediatum nec eſſe, nec omnino eſſe poſſe. Sequebatur etiam, Chriſtum Dominum verum corpus humanum non aſſumſiſſe, neque in eo vere natum, paſſum et mortuum eſſe. Sequebatur porro, corpora credentium aliquando reſuſcitatum nequaquam iri, ſed veram et beatiſſimam ipſorum reſurrectionem nihil aliud eſſe, quam perfectam et aeternam ab omni corporis communione liberationem. Res ipſa docet, et a viris doctiſſimis *Grotio*, *Hammondo*, *Pearſono*, *Vitringa*, aliisque abunde [*] demonſtratum eſt, genus hocce hominum, Eccleſiae Chriſtianae tempore iam Apoſtolorum infeſtum fuiſſe, et ne horum quidem auctoritate potuiſſe refraenari. *Paulus* certe Apoſtolus ad γνῶσιν ψευδώνυμον, *falſo cognominatam ſcientiam*, quam haeretici illi continuo crepabant

[*] Nomen *Gnoſticorum* iam tempore Apoſtolorum fuiſſe notum, vix audeo affirmare, at vero pravas illorum opiniones, aut potius ſtolida ſomnia, iſta aetate percrebreſcere coepiſſe exiſtimo. In illuſtrandis N. T. locis, a *Iablonſkio* h. l. atque ſupra p. 212 et 223 citatis, media mihi videtur teuenda via inter ſcriptores hic laudatos, quibuscum faciunt *Michaelis*, *Buſchmannus*, alii, et *Titzmannum*, cuius libellus de veſtigiis Gnoſticorum in N. T. fruſtra quaeſitis, Lipſiae editus a. 1773, recuſus eſt in Muſeo Hagano tom. II part. 2 p. 295 — 478.

bant et in ore habebant, aperte respicit 1. Tim. VI. 20, 2 Tim. III. 6, 7. Coloss. II. 2, 3, 8, ut alia loca nunc praeteream, in quibus eorumdem hominum indolem et mores, sed obscurius, notat. In doctrinam vero eorum de resurrectione corporis sigillatim invehitur 1. Cor. XV, 2 Tim. II. 16, 17, 18. Aliud autem ex dogmatibus eorum praecipuis, de carne vera humana a Servatore non assumta, *Iohannes* Apostolus magno cum zelo oppugnat, 1 Ioh. IV. 3. Tangit ibi Apostolus sine dubio *Docetas*, haereticos vetustissimos, ita cognominatos, quod Servatori nostro non verum corpus, sed corporis quamdam speciem tantum et umbram inanem tribuerent, quorum et numerus et auctoritas per Asiae minoris civitates quotidie nova incrementa capiebat. Liquido id ex *Ignatii*, qui B. Iohanni non ita diu supervixisse videtur, ad Magnesianos et Smyrnaeos epistolis perspici potest. Is enim, uti nuper etiam celeberrimus Historiae Manichaeae auctor (*k*) observavit, non obscure subinnuit, *nobilissimos, et cum genere, tum auctoritate et opibus ex Christianis in Asia eminentissimos sectam Docetarum professos fuisse.* De Philippo etiam Apostolo memoriae prodidit Pseudo-*Abdias* in Historia Apostolica, fabulosa quidem, sed ut plurimum tamen ex antiquissimis traditionibus desumta, quod (*l*) *in civitate Hierapoli in Asia commoratus, haeresin malignam Hebionitarum* (ita per lapsum memoriae hic vocantur Docetae) *extinxerit, qui dicebant, non verum hominem natum ex virgine Dei Filium assumsisse.* Sed et *Paulus* Timotheo, Ephesiorum Episcopo scribens, pestiferum hunc errorem designare, et doctrinam

(*k*) Mr. *de Beausobre* Hist. de Manich. Tom. I. p. 352.
(*l*) Lib. X. c. III. P. 740, 741. edit. *Fabricii.*

nam pietatis illi oppoſitam commendare diſcipulo ſuo videtur, 2 Tim. II. 8. Iidem veritatis Evangelicae inimici, in Epiſtolis Apocalypticis ſub nomine *Nicolaitarum et Bileamitarum* reprehenduntur; eorum partes ſequebatur etiam *Iezabel*, falſa Thyatirenorum Prophetiſſa.

§ 7. *Sectae Gnoſticorum id proprium fuit, tempore iam Apoſtolorum, ut mulieres publice docerent.*

Huic itaque Gnoſticorum et Docetarum ſectae, de qua nunc paucis diſſerui, optime convenit, quod Iezabeli Dominus hic exprobrat, quod videlicet *ſe ipſam Prophetiſſam venditaverit, et docuerit.* Video eruditos viros, *Grotium* et (*m*) *H. Witſium* ad h. l., non male monuiſſe, et exemplis idoneis in medium allatis probaſſe, ſaepius inter haereticos repertas fuiſſe mulieres, quae Prophetiae donum ſibi arrogaverint, aut alio modo callidis artibus haereſes promoverint, atque latius propagaverint. Sed Gnoſticis haereticis id plane proprium fuiſſe deprehendo, ut mulieribus poteſtatem facerent publice docendi, et ſacra in Eccleſia Dei adminiſtrandi. Praeſertim vero honore hoc virgines, matrimonio in univerſum renunciantes, digniſſimas cenſebant. Quia enim per matrimonium et carnales libidines corpora hominum propagantur, quae ex ſententia Gnoſticorum per ſe ſemper mala, ac triſtia animarum ergaſtula ſunt, non poterant aliter quam ſic colligere, ſtatum vitae perfectiſſimum, ſanctiſſimum, Deoque gratiſſimum eſſe abſtinentiam a ma-

(*m*) in Diatribe *de ſenſu Epiſtolarum Apocalypticarum* § 83. pag. 693. Miſcell. Sacr. Tom. I.

matrimonio omnibusque operibus carnis. Quomodocumque autem res haec ſe habeat, illud ex hiſtoria Eccleſiaſtica certiſſimum eſt, mulieres illius ſectae docendi et ſacra adminiſtrandi munus libere et publice ſibi attribuiſſe. Videtur hoc ipſum tempore iam Pauli Apoſtoli in Aſia, ubi haeretici hi numero et potentia multum pollebant, obtinuiſſe. Id certe ex verbis (*n*) hiſce *Pauli* ad Timotheum in Aſiam ſcribentis Ep. I. cap. II. v. II, I2, *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*, non infeliciter colligit vir Antiquitatis Eccleſiaſticae peritiſſimus *I. E. Grabius*, qui allatis hiſce Pauli verbis tale ſubiungit (*o*) iudicium: *Quid quaeſo hac inſtructione Timothei opus erat, niſi in Epheſina Eccleſia Foeminae ſacrum iſtud munus ambiiſſent*? Deinde idem vir doctus ad noſtram quoque Iezabelem Thyatirenam tranſit. Videtur equidem Eccleſia Epheſiorum, laboribus Apoſtolorum plantata, cura Timothei et Iohannis Apoſtoli rigata, ab hoc abuſu, uti in univerſum a potenti Gnoſticorum haereſi, pie et prudenter ſibi caviſſe, quo nomine in Apocalypſi laudatur II. 2, 6, et non ita diu poſt obitum B. Iohannis ab *Ignatio* Antiocheno in Epiſtola ad eamdem § 9. Sed in aliis tamen Aſiae Provinciis et civitatibus, tempore etiam Apoſtolorum, ac Thyatirae ſpeciatim id invaluiſſe, non eſt quod dubitem. Qua de re plura, uti auguror, exempla proferre poſſemus, ſi ſcripta Apocrypha *Lucii Charini* (*p*), magni haereſeos Docetarum

(*n*) Simile tamen praeceptum *Paulus* etiam Corinthiis tradit I Cor. XIV. 34.

(*o*) In *Spicilegio Patrum* primi ſeculi pag. 334.

(*p*) Plura de hoc haeretico lectu digniſſima, poſt *Grabium* et *Fabricium*, congeſſit *B. Beauſobrius* in opere immor-

rum fautoris, quorum nonnulla tamen in Bibliothecis adhuc latent, ad manus noſtras perveniſſent. Supereſt tamen ex hiſtoria illius Apoſtolici aevi exemplum memorabile in *Thecla* virgine, cuius Acta a *Baſilio Seleucienſi*, uti iactatur, conſcripta, eademque poſtea a *Simeone Metaphraſte* compilata, *Petrus Pantinus* edidit. Sed antiquiora utique hiſce, eiusdem virginis Acta typis vulgavit *Grabius* in *Spicilegio Patrum* ſeculi primi, quae forte ſunt antiqua illa Acta, ſeculo iam ſecundo Eccleſiae nota, niſi quod videantur a poſteriori manu ea omnia, quae haereſin abſurdam Docetarum aperte nimis ſapiebant, reſecta, alia denique addita fuiſſe. Auctor horum Actorum videtur fuiſſe aliquis Docetarum diſcipulus, quin imo ſunt rationes, quae mihi perſuadent, celebratam illam tot encomiis veterum, et ſanctorum choro adſcriptam, *Theclam*, in Gnoſticorum vel Docetarum ſecta Prophetiſſam egiſſe nominis celeberrimi. Sed rem hanc poſtea pluribus illuſtrare conabor.

§ 8. *Id ipſum aliis exemplis, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica petitis, probatur.*

Poſt Apoſtolorum tempora, haereſis Gnoſticorum, quae hactenus furtivo gradu latentia incrementa ceperat, caput audacius efferre, et numero diſcipulorum valde aucta, in plurimas Sectas ſpeciales, conſentientes tamen inter ſe in praecipuis et radicalibus doctrinae capitibus dividi coepit. Omnibus tamen hiſce Sectis id omnino proprium manſit, ut auctoritati mulierum plus iuſto tribuerent, easque partibus doctorum

tali, *Hiſtoriam Manichaeam* intelligo, Tom. I. Part. II. cap. II, III, IV.

rum in Eccleſia publice fungi ſinerent. Gnoſticorum doctrina certe imbutus erat, eorumque placita tenaciter ſervaverat *Marcion*, cuius haereſis et in Aſia et per alia loca, circa et poſt medium ſeculi II, ingentes et propemodum ſtupendos progreſſus fecit. Mirum itaque nemini videri poteſt, quod moribus maiorum ſuorum inhaerens, ſingularem illam, qua virgines proſequebatur, reverentiam multis modis teſtatam faceret. Cum igitur Romam cogitaret inviſere, *praemiſit*, teſte (*q*) *Hieronymo*, *mulierem*, *quae decipiendo*, *ſibi animos praepararet*. Quod quidem non temere et caſu quodam fortuito, ſed deſtinato animi conſilio, et ut placitis Sectae ſuae obſecundaret, factum ab eo fuiſſe, teſtimonio *Epiphanii* confirmari et illuſtrari egregie poteſt, qui obſervat, Marcionem *mulieribus baptizandi poteſtatem feciſſe*. Graeca, quia ſingularem vim hic habent, addo (*r*), δίδωσι καὶ ἐπιτροπὴν γυναιξὶ βάπτισμα δίδόναι, quibus verbis ad illa *Pauli* alludit, quibus ita decernit 1 Tim. II. 12, Γυναικὶ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω. Mulieres vero illas fuiſſe virgines, aut in coelibatu viventes, per ſe ſatis intelligitur, cum conſtet, *Marcionem* (*s*) matrimonium in univerſum, (*t*) ſaltem in perfectioribus et Eccleſiae Miniſtris condemnaſſe, et

(*q*) In Epiſtola ad Cteſiphontem, Tomo II. Epiſtolar. fol. 171. a. edit. Francof. vel Tom. IV. Opp. col. 477. edit. Benedict.

(*r*) In Haereſi Marcionitarum, quae eſt LI. § 4.

(*s*) Ita Veteres, *Clemens Alex.* Strom. Lib. III. p. 431, *Tertullianus* adverſus Marcion. Lib. I. c. 29, 30, Lib. V. c. 7.

(*t*) Ita Dogma Marcionitarum explicari poſſe arbitratur B. *Beauſobrius* Hiſt. de Manichée Tom. II. p. 121. 122.

et ne ad baptiſmi quidem privilegia admiſiſſe, (*x*) *niſi virginem, aut viduam, aut coelibem, aut divortio baptiſma mercatam.* Ex *Marcionis* Schola prodiit *Apelles* diſcipulus eius, etſi in quibusdam diverſum a magiſtro ſenſerit, et peculiarem Sectam erexerit, qui quantum tribuerit revelationibus: et viſionibus *Philumenae* ſuae, (*y*) *virginis Daemoniacae*, quam ut Prophetiſſam colebat, ex (*z*) veterum teſtimoniis diſcimus. Aliquanto antiquior erat Haereſis *Caiana*, ex Gnoſticorum lacunis derivata, obſcura illa quidem, ſed quae tamen *Quintillam* nobis oſtentat, Prophetiſſam magnae inter ſuos auctoritatis, ut quae, teſte (*a*) *Tertulliano*, non modo ius docendi uſurpaverit, ſed Baptiſmum etiam deſtruere potuerit. Tempora Iohannis Apoſtoli adhuc propius attigit *Carpocrates*, notiſſimum inter Gnoſticos nomen, cuius Scholae fulcrum praecipuum fuiſſe videtur *Marcellina*, foemina multis veterum commemorata. Eam *Irenaeus* teſtatur (*b*) doctrina ſua *Romae multos exterminaſſe*, quod *Epiphanius*, qui Graeca *Irenaei* retinuiſſe videtur, ſic (*c*) expreſſit, Πολλοὺς τῶν ἐκεῖσε λυμηνομένη ἠφάνισε, id eſt, interprete *Petavio*, *Multos illic errore ſuo depravatos in exitium compulit.* Ecce genuinam antiquae Iezabelis indolem! Addit etiam

(*x*) *Tertullianus* adv. Marc. Lib. I. c. 29.

(*y*) Ita vocatur a *Rhodone*, Apellis aequali, apud *Euſebium* H. E. Lib. V. cap 13, et *Tertulliano* l. c.

(*z*) Vide *Euſebium* l. c., *Tertullianum* de Praeſcript. Haer. c. 6, et 30. Adde auctorem veterem Appendicis ad illum librum c. 51, *Auguſtinum* de Haereſ. cap. 24, *Theodoretum* Fabul. Haeret. Lib. I. c. 25.

(*a*) In libro de Baptiſmo cap. 1, et 17.

(*b*) Lib. I. Cap. XXVI. § 6.

(*c*) In Haereſi Carpocratianorum, quae eſt XXVII. § 6.

etiam *Epiphanius*, *inde excitata esse Gnosticorum primordia*. De his igitur sine dubio haereticis accipiendum est, quod *Tertullianus* (*d*) observat, *Ipsae mulieres haereticae, quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere.* Quod postremum potuisset, non modo per coniecturam hariolari, uti fecit, sed et audacter affirmare. *Marcus* etiam, Haereticus valde celebris, de quo Haeresis *Marcosiana* nomen traxit, mulieribus S. Eucharistiam administrare permisit, et Prophetissas instituit, teste *Irenaeo* (*e*). Eiusmodi mulieribus addi poterit *Agape*, Priscillianistarum magistra, de qua *Sulpitius Severus* (*f*). In Oriente *Sabbatici*, qui erant de grege Marcionitarum et Gnosticorum, eumdem illum morem, quem modo tetigi, in ecclesiam suam introduxerunt, quod magna cum emphasi ipsis exprobrat *Ephraem Syrus* in quodam Hymno (*g*).

§ 9. *Quaeritur specialius, quo sensu Iezabelis illicitum fuerit, Prophetissam agere.*

Cum igitur Docetarum Gnosticorumque Secta, tempore Apostolorum et sigillatim *Iohannis*, fuerit in Asia flo-

(*d*) De Praescriptione Haeretic. cap. 41.

(*e*) Lib. I. adv. Haereses cap. 13 § 2 et 3 edit. Massueti.

(*f*) Lib. II Hist. Sacr. p. 439, ubi vide etiam notas *Hornii*. adde *Hieronymum* in epistola ad Ctesiphontem, Tom. IV. Opp. col. 477, et Concilii Caesaraugustani, adversus Priscillianum a. 380 habiti, Canonem VII, cum notis *Binii*, in Collectione Conciliorum Labbeana Tom. II. col. 1010, 1012.

(*g*) Apud *Assemanum* in Bibliotheca Orientali Tom. I. pag. 120, ubi etiam conferatur annotatio p. 121.

florentiſſima, cum Sectae huic proprium fuerit, ut mulieres docerent, ſibique Prophetiſſarum et nomen et auctoritatem arrogarent, an dubitari poterit, quin Thyatirae quoque tempore *Iohannis* talis habitaverit Prophetiſſa, eaque ipſa in Apocalypſi redarguatur? Character certe ille Iezabeli attributus, *quod ſe ipſam Prophetiſſam dicat, et doceat*, non modo Gnoſticorum mulieribus egregie convenit; ſed ne aliis quidem convenire poſſe videtur. His vero, quae de Gnoſticorum Prophetiſſis, ad explicandum noſtrum Apocalypſeos locum, hactenus diſſeruimus, non adverſantur, quae de Prophetiſſis veteris Eccleſiae Iudaicae, Spiritu Divino afflatis, quarum ſolent a Iudaeorum magiſtris (*h*) ſeptem numerari, legimus, uti nec quae de *Hanna*, quae ſub tempus nativitatis Domini Prophetiſſam agebat, *Lucas* Evangeliſta memoriae prodidit cap. II. v. 36. Etſi enim hae Spiritu S. impulſae atque directae, quaedam ſive in Eccleſiae totius ſive tantum in piorum quorumdam uſum eloquerentur, aut ſcripto conſignarent, publico tamen docendi in Eccleſia munere functae fuiſſe cenſendae non ſunt. De Prophetiſſis Eccleſiae Chriſtianae Apoſtolicae, quales fuerunt quatuor Philippi Evangeliſtae filiae virgines προφητεύουσαι *Actor* XXI. 9, idem plane dicendum eſſe videtur. Neque negaverim, prophetias huiusmodi piis mulieribus, a Spiritu Sancto ſuggeſtas, ab ipſis etiam in Eccleſia publice nonnumquam editas fuiſſe. Saltem re ipſa in Eccleſia Corinthiaca id fieri conſueviſſe, diſcimus ex I Cor. XI. 5 (*i*). Utrum tamen con-

(*h*) Vide *Gemaram Megilla* Fol. 14. a. Locum habes etiam in *Zeltneri* Diſſert. *de eruditione Deborae Prophetiſſae* § 8. Sunt autem ſeptem illae, *Sara*, *Miriam*, *Debora*, *Hanna*, *Abigail*, *Hulda*, *Eſther*.

(*i*) Vide de hoc loco *Ioſ. Medi* Diatribas Vol. I. p. 246.

consuetudinem *Paulus* approbaverit, ambigit (*k*) *P. Molinaeus*, quia postea idem Apostolus rem hanc in posterum prohibendam esse duxerit 1 Cor. XIV. 34, addita hac ratione memorabili v. 35, *Turpe est mulieribus in Ecclesia loqui.* Sed quomodocumque tandem res haec se habuerit, id saltem certum plane est 1) Prophetias mulierum in Ecclesia referendas esse ad actus (*l*) extraordinarios, qui locum non habebant, nisi intercederet speciale mandatum Dei, 2) mulieres illas in reliquis munere doctorum publico functas minime fuisse. Itaque sartum tectumque manet praeceptum Apostoli, quo mulieres a cura docendi excluduntur, quod Gnostici tamen violarunt.

§ 10. *Transitur ad secundum Iezabelis characterem, doctrinam nempe haereticam, et quidem* (1) *eius partem theoreticam.*

Exposui hactenus primum Iezabelis Thyatirenae characterem, quod nempe Prophetissa videri voluerit, ac docendi auctoritatem sibi arrogaverit, et ex eo, nisi me omnia fallunt, deprehendi satis luculenter, de-

246, et seqq. Quomodo Quakeri his verbis abutantur, vide in Bibliothèque Britannique Tom. XVII Part. 2. p. 266. Exstat *I. Georg. Altmanni* Disquisitio Philologico-Critica, ad illustranda loca 1 Cor. XIV. 34, 1 Tim. II. 12, etc. de Priscilla, Phoebe, Tryphaena, Tryphosa, et Perside, a Fratribus Herrnhutianis ad probandam mulierum in Ecclesia docendi potestatem novissime productis, Bernae 1740, quam tamen vide. De ea exstat iudicium Fratrum Moravorum in der Budingischen Samlung 1. Band, f. 776, u. f.

(*k*) In *Vate* Lib. 1. cap. 8.

(*l*) Consule hic *H. Witsii* Miscellanea Tom. 1. Lib. 1. cap. 1. § 11 et seqq.

deſignari mulierem quamdam, Docetarum vel Gnoſticorum Sectae initiatam. Id vero inſigniter confirmat character eidem mulieri adſcriptus ſecundus, quod doctrinam auſa fuerit propagare haereticam et impiam, διδάσκει καὶ (m) πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους, πορνεῦσαι, καὶ εἰδωλόθυτα φαγεῖν, *docet et ſeducit ſervos meos, fornicari et manducare de idolothytis.* Doctrina igitur Prophetiſſae Thyatirenae hic deſcribitur ut πλάνη, *deceptio*, et *ſeductio animarum*, tendens ad earumdem exitium aeternum. Doctrinae illius duas videmus conſtitui partes, quarum altera videtur theoriam, altera praxin Religionis Chriſtianae ſpectare. *Theoriam* doctrinae huius puto deſignari per *fornicationem*, ad quam alios dicitur ſeduxiſſe Iezabel Prophetiſſa. Quomodocumque autem vocem *fornicationis* interpretari hoc loco libeat, dubium vix cuiquam eſſe poterit, ſubinnui ea et caſtigari inſtituta *Nicolaitarum* et *Bileamitarum*, ſive *Gnoſticorum.* Nam ſi *fornicatio* turpia libidinoſae carnis opera deſignare cenſeatur, nemo eſt, quem latere poſſit, quam deteſtabiles quamque impurae voluptates Gnoſticis quidem omnibus, ſed multo maxime Nicolaitis atque Carpocratianis a ſcriptoribus Eccleſiaſticis exprobrari ſemper ſoleant. Ego tamen, qui doctrinam adeo ſceleſtam, ipſis Gentilibus abominandam, in Eccleſia Chriſtiana publice et audacter promulgatam fuiſſe, difficulter credere poſſum, qui praeterea novi, eam placitis Gnoſticorum fundamentalibus e diametro adverſari, gravibus de cauſis adducor, ut exiſtimem, ſignificari hic fornicationem ſpiritualem, vel, ut clarius mentem meam aperiam, doctri-

(m) Ita reperio in quibusdam editionibus, eamque lectionem aliis praefero.

doctrinam idololatriae et falsae religioni patrocinantem. Nam per *fornicationem* in scriptis Propheticis saepenumero intelligi idololatriam, et quidquid idololatriam nutrit, fovet, et adiuvat, notius est omnibus, quam ut probatione ulla egeat. Criminis huius utique rei erant Gnostici, illi praesertim, qui, tempore Apostolorum, Ecclesiae Christianae se adiunxerunt, atque in illam placita Philosophiae suae primi invexerunt. De illa Gnosticorum doctrina, quae nostra demum aetate (*n*) a viris eruditissimis e genuinis suis fontibus erui multaque nova luce perfundi coepit, prolixius differendi locus hic non est. Illud itaque nunc monuisse sufficiat, per infaustum vinculum, quo Gnostici dogmata Philosophiae suae cum doctrina Christi in unum compingere allaborabant, id effectum fuisse, ut praecipui Fidei nostrae articuli, de mundo a Deo ex nihilo creato, de Iesu, vero Mariae et Davidis Filio, ex sanguine nostro per matrem suam edito, proque nobis re ipsa passo, mortuo, et resuscitato, de Spiritu Sancto, a mittente Patre et a misso Messia distincto, et de resurrectione carnis, everterentur, eoque causa Philosophorum Gentilium, adversus revelationes Verbi Dei Religionemque Christianam, pertinaciter defenderetur. Hoc ipso in animis Gnosticorum, etsi Christianorum, secreta tamen quaedam ad superstitiones Gentilismi propensio fovebatur alebaturque, quam etiam verbis et factis prodere non magnopere verebantur. Exemplum ejus, quod

(*n*) v. g. *Renato Massueto*, in Prolegomenis ad Irenaeum, *Moshemio* in Institutionibus Historiae Ecclesiasticae, *Bruckero* in Historia Philosophica Tom. III. et IV, et nuperrime *Beausobrio* in Historia Manichaea, variis in locis.

quod dixi, capi poteſt ex Pſeudo-*Hermetis Trismegiſti* Poemandro. Etenim illius auctor e grege primorum illorum Gnoſticorum unus fuiſſe mihi videtur, quod etiam nuper a (*o*) doctiſſimo viro obſervatum video. Et ille tamen ubique Deos ſuos, et alia quaedam Gentilibus propria crepat, quo et a ſuis intelligatur, et tamen a Gentilibus non improbetur. Idem etiam, et clarius adhuc, ex gemmis Baſilidianorum et in genere Gnoſticorum Abraxeis, uti vocantur, perſpici poteſt. Sed ea de re plura forte alias obſervabimus [*].

§ 11. *Pergitur* (2) *ad doctrinae illius haereticae partem practicam.*

Quae iam ſequuntur, ad doctrinae Gnoſticorum, et Prophetiſſae eorum Iezabelis, partem *practicam* puto eſſe referenda. Dicitur autem ſervos Dei, id eſt, nominis Chriſti profeſſores, ſeduxiſſe φαγεῖν εἰδωλόθυτα, *ut de idolothytis manducarent.* Vbi nobis literae ipſi inhaerere licet. Id tamen omnino monendum, per *manducationem idolothytorum* intelligi tum oportere (*p*) actum religioſum in honorem falſorum Deorum peractum, quo quis communionem ſuam cum Diis illis, et cum religione Gentilium profiteri cenſebatur, ſive id faceret tempore perſecutionis coactus, ſive etiam alio modo et ultro. Ab eo quantopere, et merito quidem, abhorruerit Eccleſia antiqua,

(*o*) *Beauſobrio* in Hiſtoria Manichaea Tom. II. paſſim.
(*p*) Bene ille deſcribitur a *Grotio* ad *Actor.* XV. 20.

[*] Factum id eſt in Novis Miſcellaneis Lipſienſibus. Vid. praefat. tom. I Opuſc. *Iablonskii* p. XXVI.

qua, ab ipſis Apoſtolis edocta et inſtructa, *Actor.* xv. 20, 29, 1 Cor. x. 28, veterum paene omnium teſtimonio ſatis conſtat. Sed hac idololatriae ſpecie Gnoſticos ſecure et non illibenter ſe polluiſſe, ſcimus ex eorumdem teſtimonio. De *Baſilide*, quo vix quemquam Schola Gnoſticorum celebriorem habet, teſtatur *Caſtor Agrippa*, ſcriptor perveteuſtus, ipſique *Baſilidi* tempore aequalis (*q*), *eum docuiſſe, quod indifferens ſit, victimas Diis immolatas deguſtare.* Hoc ipſum videtur *Trypho* Iudaeus non ita diu poſt Chriſtianis ac ſigillatim *Iuſtino Martyri* exprobrare, quando (*r*) *plures*, ait, *qui ſe Ieſum profiteri dicunt, et Chriſtiani nominantur, audio ſimulachris mactata manducare, et nihil ſe ex eo capere detrimenti dicere.* Cui reſpondens *Iuſtinus*: *Ego quoque inquam, quod eiusmodi extent viri --- ſed non Chriſti, verum ſeductionis ſpirituum doctrinas docent.* Verba Graeca ita ſonant, διδάσκοντας τὰ ἀπὸ τῶν τῆς πλάνης πνευμάτων. Quibus verbis ad locum noſtrum Apocalypſeos alludi videtur. Suffragatur his ſcriptor eiusdem ſeculi II, *Irenaeus*, referens (*s*) de *Baſilide*, *eum contemnere idolothyta, et nihil arbitrari, ſed ſine aliqua trepidatione uti eis.* Alios ſecuti aevi ſcriptores idem tradentes, quod ab antiquioribus acceperunt, non invitus praetereo, unicum hocce tantum monitu-

rus,

(*q*) Apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. 7.

(*r*) *Iuſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone Iudaeo p. 253.

(*s*) Lib. I adv. Haer. c. XXIV § 1. edit. *Maſſueti*; adde c. XXVIII in fine, ubi de Baſilidis et Carpocratis ſectatoribus, et c. VI § 3. *Irenaeo* adiungantur *Clemens Alexandrinus* Lib. IV Stromat. p. 481, quo loco haud dubie Gnoſticos oppugnat, et *Epiphanius* Haereſi XXIV § 4.

rus, eadem plane de *Carpocratianis* etiam aliisque Gnoſticorum familiis literis prodita eſſe, in quo prolixe demonſtrando, cum ſatis notum atque vulgatum ſit, tempore et opera abuti nolo. Nihil tamen vetat, quominus *manducationem idolothytorum*, quae Iezabeli exprobratur, ſenſu aliquanto laxiori pro aliis quibuscumque actibus accipiamus, quibus Numinibus fictis cultus aliquis exhibetur, ſive verus, ſive ſimulatus. Nominatur itaque actus religioſus unus isque ſolemnis valde et frequens, et intelliguntur omnes alii, eamdem rationem habentes, idemque ſignificantes. Gnoſtici nempe imagines Deorum et in domibus ſuis habebant, et gemmis inſculptas ſecum circumferebant, uti vel ex gemmis eorum Abraxeis abunde perſpicitur, quamvis ex iisdem id quoque intelligamus, ipſos ſub hisce veluti ſymbolis quaedam myſteria Religionis verae occultare voluiſſe. Iidem ſolemnitates Gentilium feſtivas una quoque celebrabant omni laetitiae genere, uti *Irenaeus* (*t*) ſcriptum reliquit, quantumvis id inter ſuos more Chriſtiano et ad Religionem accommodato feciſſe videantur. Vero diſſimile non eſt, de hiſce hominibus *Adrianum* Imp. (*u*) in epiſtola ad Servianum ſcripſiſſe: *Aegyptum, quam mihi laudabas, totam didici levem, pendulam, et ad omnia famae momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt; et devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt.* Haec cum ita ſe habeant, non adeo difficulter fidem adhibebimus veteribus, referentibus Gnoſticos illos, ſi res ita tuliſſet, profeſſionem Chriſti, ut perſecutionem evitarent, ad tempus abnegaſſe.

(*t*) Adv. Haereſ. Lib. I cap. VI. § 3.

(*u*) Apud *Vopiscum* in vita Saturnini cap. 8, in Scriptoribus Hiſt. Auguſtae Tom. II p. 719, 720.

gaſſe. Ita *Caſtor Agrippa* de *Baſilide* (*v*) teſtatur, eum *docere, quod indifferens ſit victimas Diis immolatas deguſtare, et perſecutionum tempore licenter fidem abnegare.* Quod, ut alios iam praetermittam, auctor *Appendicis* ad *Tertulliani* Librum de Praeſcriptione cap. 46. ita exprimit: *Martyria negat eſſe facienda.* Sed haec de primis tantum Gnoſticorum fautoribus, qui tempore Apoſtolorum, et forte aliquanto poſt, floruerunt, dicendum eſſe puto, idque cum principiis eorum facile conciliari poſſet. Verum diſputationem hanc in aliud tempus reiicio.

§ 12. *Forte Iezabel fuit Thecla, veterum encomiis celebrata.*

Si quis ea omnia, quae ex certis piae vetuſtatis monumentis hactenus allata ſunt, rite penſitaverit, ambigere omnino non poterit, quin tempore B. Iohannis Apoſtoli tales in Aſia fuerint mulieres, qualem ille Iezabelem Prophetiſſam Thyatirenſem depingit. Ego, ubi ad ea, quae de Thecla virgine, cuius iam ſupra mentionem feci, memoriae prodita ſunt, animum appello, in eam fere ſententiam concedo, hanc ipſam in Epiſtola ad Eccleſiam Thyatirenſem deſignari et coargui. Coniecturam propono, cui, ſi cordatis eruditisque lectoribus displiceat, ipſe non magnopere inhaerebo. Eam tamen ideo non penitus negligendam eſſe credidi, quia argumentum illud, quod in ſupe-

(*v*) Apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. 7. Hoc per conſequentiam tantum, et eam non omnino iuſtam, de Baſilide affirmari, cenſet *Beauſobrius* Tom. II Hiſt. Manich. p. 25, 26. Vide et interpretum Gallicorum Berolinenſium N. Teſtamenti Praefationem in 2 Ep. ad Timoth. p. 379.

perioribus discuſſimus, non mediocriter illuſtrabit. Quodſi auctori Actorum Theclae antiquiorum, quae a *Grabio* in Spicilegio Patrum edita ſunt, fidem adhibemus, liquet profecto, eam Docetarum et Gnoſticorum gregi eſſe adſcribendam. Vbique in Actis hiſce commendatur Theclae ſtudium virginitatis, cum manifeſto matrimonii contemtu coniunctum. Si auctorem illum audimus, Paulus Apoſtolus, fidem Chriſti Iconienſibus annunciaturus, eo fere totam ſuam orationem convertit, ut virginitatis dignitatem evehat, et hoc quoque eſt, quod virginis hactenus Ethnicae animum ipſi conciliavit. Quinimo, quod oppido mireris, ubi iam ad perſecutiones horrendas plane perventum eſt, miſerae Theclae propter amorem Pauli et doctrinae eius exantlandas, vix ſubindicatur, eam tot mala propter fidem Chriſti pertuliſſe, ſed credere potius iubemur, haec omnia non alia de cauſa ipſi obveniſſe, quam quod aut matrimonium honeſtum et legitime, conſcia parente, contractum poſtea detrectaret, aut alio modo coelibatum et virginitatem ſervare vellet. Haec omnia manifeſte redolent genium Docetarum, qui, ut vere nuper obſervavit (*w*) vir de hiſtoria Eccleſiaſtica praeclare meritus, immodicum illud virginitatis ſtudium omnium primi in Eccleſiam invexere, eamque ob rem fabulas plurimas ac innumera miracula confinxere, quae poſthaec ab orthodoxis quoque bona fide admiſſa et firmiter credita fuerunt. Praeterea et id auctor horum Actorum in animo omnino habuit, ut exemplo Theclae, et auctoritate Pauli, mulieribus iura docendi et ſacra adminiſtrandi vindicaret. In ipſa

(*w*) Mr. *de Beauſobre* Hiſtoire de Manichée Tom. I Part. II Liv. II Chap. II, III, IV, V, VI. Vide tamen praecipue p. 359, 388, 413, 414.

ſa Actorum inſcriptione (*x*) dicitur Thecla Πρωτομάρτυρ καὶ Ἀπόστολος, *Protomartyr et Apoſtola*, quod in aliis Actis *Baſilio Seleucienſi* tributis, ita explicatur (*y*): *Secunda ab Apoſtolis et Stephano Martyr fuit Thecla; ita ut quemadmodum Stephanus virorum, qui pro Chriſto certamen ſubierunt, dux fuit, ita Thecla mulierum, quae pro Chriſto decertarunt, locum obtineat principem.* In Monaſterio S. Theclae Graecorum; non procul a Damaſco, legitur Inſcriptio in honorem Theclae, de qua *Richardus Pocockius*, Obſervations of the Eaſt Vol. II. Part. I. p. 131, *There is a Greek Inſcription on it, ſignifying, that she was the first Martyr of her ſex, and contemporary with the Apoſtels.* In illis Actis antiquioribus porro p. 110, 114, 115, refertur, Theclam ſemet ipſam a Baptismo initiaſſe, idque iis circumſtantiis, quae ſcholam Gnoſticorum ſapere videntur. Dehinc Paulus dicitur ipſi committere curam et munus verbum Dei docendi, p. 115, quo munere functa eſſe deinceps legitur. Non abſurdum erit cogitare, mulierem illam procedente tempore maiorem ſemper auctoritatem acquiſiviſſe, et exemplum praebuiſſe, quod Docetae et Gnoſtici frequenter poſtea, ut ſupra vidimus, imitati ſunt.

(*x*) Videtur hic obiici poſſe, in hac inſcriptione nihil ineſſe vitii, ſiquidem ipſe Paulus mulieres in numero Apoſtolorum poſuerit. Id ſaltem B. *La Crozius* colligit ex Rom. XVI. 6, 7. Sed vide obſervationes meas MSS. in h. l. ubi ad objectionem reſpondetur [*].

(*y*) Edit. Patini pag. 6. fin. et ſeq.

[*] Cum hae obſervationes ad me non pervenerint, quid reſponderit *Jablonskius*, dicere non habeo; quid autem potuerit reſpondere, non eſt difficilis coniectura.

ſunt. Et quid pluribus opus eſt? nonne ex veterum teſtimoniis perſpicuum eſt, Acta illa Theclae, quia referebant, ipſum Paulum Apoſtolum foeminae huic poteſtatem docendi permiſiſſe, a Iohanne Apoſtolo condemnata, auctoremque eorum loco ſuo et dignitate motum fuiſſe. Teſtatur id *Tertullianus*, qui eo ipſo ſeculo floruit, quo B. Iohannes mortuus eſt, in hisce verbis (z): *Quod ſi, quae perperam Paulo adſcripta ſunt, ad licentiam mulierum docendi tingendique, defendunt; ſciant, in Aſia Presbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli (a) de ſuo cumulans; convictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe.* Accedat etiam *Hieronymus* (b), quia teſtimonio *Tertulliani* modo allato in his lucem aliquam conciliat: *Igitur περιόδους Pauli et Theclae --- inter Apocryphas ſcripturas computamus. --- Sed et Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert, Presbyterum quendam in Aſia, σπουδαςὴν Apoſtoli Pauli convictum apud Iohannem, quod auctor eſſet et confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, ob id de loco excidiſſe.* Ipſum Theclae factum, munera doctoris ſibi in Eccleſia attribuentis, neque ab his, quos adduxi, neque ab aliis veterum in controverſiam vocatur. Neque etiam Presbyter ille, qui memoriam eius rei literis mandaverat, eo nomine accuſatur; ſed quod tale factum, auctoritate Pauli Apoſtoli, approbare aliisque commendare auſus fuiſſet. Eo ipſo tamen, B. Iohannem Foeminae huius audax facinus con-

(z) De Baptismo cap. 17.

(a) Significatur his verbis, auctorem illorum Actorum, ea quae de Paulo refert, de ſuo addidiſſe et finxiſſe.

(b) De viris illuſtribus cap. 7.

condemnaſſe, omnibus perſpicuum eſſe poteſt.

§ 13. *Gnoſtici memoriam Theclae, ut Proto-Prophetiſſae, in gemmis ſuis religioſe ſervarunt.*

Dixi rationes, quibus me moveri paſſus ſum, ut Theclam, virginem veteribus magnopere laudatam, Docetarum et Gnoſticorum gregi annumerarem. Venit nunc alia ratio in mentem, quam lectoris aequi iudicio libenter permitto. Inter Gnoſticorum gemmas, quae vulgo Abraxeae vocantur, quarum non poenitendam copiam *Chifletius* et poſt eum Illuſtris *Montefalconius*, vir de omnibus literis immortaliter meritus, aeri inſculptas ediderunt, reperio aliquam, qua homines illi, niſi me opinio fallit, Theclae memoriam conſervare et veluti conſecrare voluerunt (*c*). Facies huius gemmae altera oculis noſtris ſubiicit mulierem, aetatis, ut apparet, provectae, totam velatam, ſiniſtra manu ſive haſtam ſive virgam, dextra annulum aut circulum neſcio quem tenentem. Si *Chifletium* commentatorem audimus, cernimus hic (*d*) *Iunonem*, *Deam velatam*, *et qualis in nummis*, *haſtam tenentem ac pateram*, quod Numen Gnoſtici cum Numinibus ſuis patriis ſociaverint. Credat haec, qui volet. Ego hic nulla Divinitatis indicia invenio, ſed effigiem mulieris honeſtae, cuius etiam nomen verſa gemmae noſtrae facies exhibet. Sed praeterea videor

(*c*) Ea occurrit in Collectione *Chifletii* numero 105, et in *Montefalconii* Antiquitate explicata Tom. II Part. II. Tabula CLX. ad pag. 366.

(*d*) In Commentar. ad Gemmas Abraxeas pag. 135, 136.

deor mihi etiam Prophetiſſae quaedam ſymbola ac indicia hic obſervaſſe. Ad illa referri poterit velum, quod caput huius mulieris obtegit. Quam in rem apponam verba eruditi cuiusdam (*e*) ſcriptoris Angli, nobis hic inſignem uſum praeſtitura: *Dubitari non debet, quin* Prophetiſſae Montaniſtarum *caput ſuum velo virginali texerint* (*f*), *ſiquidem manifeſto conſtet, eos ceteroquin etiam veli uſum ſtricte et religioſe obſervaſſe. Erat praeterea conſtans mos veteris Eccleſiae, nixus praecepto Apoſtolico, ut mulieres Divinitus afflatae nonniſi velatae prophetarentur.* Quod de Prophetiſſis Docetarum ac Gnoſticorum dicendum ſimiliter eſt, idque tanto magis, quod ex Docetarum ſcholis Montaniſtae Prophetiſſas ſuas deſumſiſſe prorſus videantur. Manu ſiniſtra mulier illa tenet, non haſtam, uti *Chifletius* putat, ſed virgam, quam ſcimus, Prophetarum (*g*) in Oriente, apud Aegyptios, Chaldaeos, et Perſas, inſigne certiſſimum fuiſſe, quod hodieque in antiquiſſimo (*h*) Monumen-

(*e*) Anonymus auctor *Hiſtoriae Montanismi*, quae prodiit Lond. 1709, Artic. v. § 3, p. 94.

(*f*) Sine dubio auctor id colligit ex *Tertulliani* Montaniſtae Libro *de virginibus velandis*.

(*g*) Vid. *Gaulminii* notas ad auctorem Hebraeum *de vita Moſis* Lib. I. p. 235. edit. Paris. et Mr. *de Beauſobre* Hiſt. de Manichée Tom. I. p. 99. De Magis Perſarum *Diogenes Laërtius* in Prooem. § 7. ex Sotione κάλαμος ἡ βακτηρία.

(*h*) Effigiem illius dederunt *Chardinius* et *Corn. de Bruin* in itineratiis, et *Montefalconius* in Antiquitate explicata Tom. II. Part. II. p. 402. ſeq. In ruderibus Palatii, ſive Templi Perſepolitani, aliquoties occurrit imago alicujus vel regis, ut quidam putant, vel Archimagi, ut alii ſuſpicantur, vel forte ipſius Zoroaſtris, alis in ſublime eve-

to Perſepolitano ſaepiuscule viſitur. Dextra vero tenet annulum vel circulum, deſignantem forte compedes, quibus in tormentis vincta fuerit, aut coronam (*i*) veluti martyrii, quod perpeſſa fuerat. Altera vero huius gemmae facies hancce nobis inſcriptionem exhibet,

ΣΑΚΛΩΕ
ΣΟΦΗ
ΑΔΩΝΑΙ.

Quod ad poſtremam vocem ΑΔΩΝΑΙ attinet, eſt nomen Dei, quod in Gemmis Gnoſticorum frequentiſſime legitur. Primum nomen Illuſtris *Montefalconius* legendum cenſet ΣΑΒΑΩΘ, quippe quod in hiſce Gemmis ſaepiſſime pariter occurrit. Sed ego exiſtimo, eſſe nomen proprium illius Foeminae, cuius effigiem alterum latus oſtendit, et quae hic Σοφὴ *ſapiens* nuncupatur. *Sacloa* vero vel *Sacla* hic eſt ipſiſſimum *Theclae* nomen. Theclam aiunt veteres Iconio in Lycaonia oriundam fuiſſe. Lycaones autem utebantur, uti (*k*) alias probavi, ſermone Cappadocum,

vecti, qui ſiniſtra manu annulum tenet, eodem prorſus modo, qui in noſtra hacce gemma conſpicitur. Vide v. g. apud *Chardinium* Tom. IX. Fig. LXIV. ad p. 90, et Figur. LXVII. ad p. 94, et LXVIII. ad p. 100. In Figura vero LXXIV. duo equites ſibi mutuo occurrentes annulum unum arripiunt tenentque. Vide et *Tho. Hydium* de Religione Vet. Perſarum p. 305, et adiunctam illi e regione Tabulam VI, in qua annulus ille explicatur *circulus Zodiacalis*.

(*i*) Qualis etiam in aliis Abraxeis Gemmis conſpicitur. Vide Collect. *Chiſletii* num. VI.

(*k*) In Diſſertat. *de Lingua Lycaonica* § XVIII [p. 119—126 huius tomi].

cum, quem fuisse Syrium vel Assyrium impurum (*l*) *Bochartus* credidit. Vtrum ipse rem acu tetigerit, dicere non ausim. Gnostici tamen, qui frequens habebant cum Hebraeis commercium, nomen Theclae (*m*) sic intellexisse et interpretati esse videntur. Potuit omnino nomen illud a Chaldaico תַּקֵּל formatum esse, quod *ponderare, trutina expendere* significat, Dan. v. 25. Hebraei scribere solent שְׁקֵל. Vnde facile intelligitur, quomodo idem nomen et *Thecla*, et *Sacla* scribi et pronunciari potuerit. Ego originationem hanc veram esse, cum nemine contenderim; censeo tamen, Gnosticos, quibus Iudaei multi admixti erant, eam tanto libentius probasse, quia Hebraei Talmudistae voces שְׁקוּל, *libratus* et *ponderatus*, et שְׁקוּל *libratio*, *ponderatio*, quae magnam cum ΣΑΚΛΩΣ affinitatem habent, ad prudentiam (*n*) animi ac sapientiam transferunt, unde ipsis (*o*) אֱנוֹשׁ

(*l*) In Phaleg. col. 535.

(*m*) *Valesius* ad *Evagrium* p. m. 83. a. Tom. III. *Dicta autem Thecla per Syncopen pro Theoclia. Ita enim non raro eam appellat Basilius Seleuciensis.*

(*n*) *Manilius* in Astron. Lib. I. 769.

Quique animi vires, et stricta pondera mentis
Prudentes habuere viri ——.

vide ibi *Bentleii* annotat.

(*o*) Vide *Buxtorffii* Lexicon Talmudico-Rabbinicum in שְׁקוּל, col. 2514. Vocem Hebraicam שְׁקוּל, quae occurrit Esa. XXXIII. 18, et quam Paulus Apostolus, uti videtur, 1 Cor. I. 20. reddidit συζητητην, iudice *Iacobo Altingio*

אנשי שכל; quasi dicas *viros libratos*, dicuntur *cordati* et *sapientes*. Itaque *Sacla* Hebraeorum sermone fere idem significat, quod Graece Σοφὴ sonat, *sapiens*, quemadmodum mulier illa in nostra Inscriptione nuncupatur. Vox haec ceteroquin Σοφὴ videtur quoque *magistram*, doctorem foeminam, subinnuere. Hebraeis certe חכם, σοφὸς, *sapiens*, dicitur *Doctor*, praeterea et *Magister*, adeoque איש חכמה, cui respondet ἡ σοφὴ, non modo *sapientem*, ed et *magistram* designabit. Aut igitur oppido fallor, aut cernimus hic imaginem Theclae, a Gnosticis conservatam et ad nos transmissam. Illam honorabant ut *Apostolam* et Protomartyrem, ut *primam* Scholae suae *Prophetissam* ac *Magistram*, quaeque docendo vitam transegisset, ac ad senectutem summam pervenisset, uti in *Actis Grabianis* legitur. Cumque solerent Gnostici, sicuti tradunt (*p*) veteres, antiquissimorum suorum et dilectissimorum magistrorum imagines (*q*) sollicite custodire et reverenter colere, quid

gio in Heptade Orationum Academicarum p. 283, qui sic explicat: *Fuit* שוקל συζητητὴς, *Disputator, qui argumentorum et rationum pondera ad veritatis trutinam examinaret.* Aliter tamen de illa ipsa voce שוקל, quomodo in verbis Esaiae sit intelligenda, iudicat *Camp. Vitringa*, cuius vide Commentarium T. II p. 254. a.

(*p*) *Irenaeus* Lib. I. c. XXV § 6. *Epiphanius* Haeres. XXVII § 6. *Augustinus* de Haeres. cap. 7.

(*q*) Transiit postea hicce mos etiam ad Orthodoxos. *Chrysostomus* in Oratione in Melet. testatur, Episcopum hunc Antiochensibus adeo carum fuisse, ut eius imaginem gemmis insculptam gestarent in annulis, in parietibus alibique haberent depictam. De quo *Chrysostomi* loco vide *Montacutii* Anti-Diatribas adversus Bulenger. p. 25. et 26.

quid mirum eſt, eos huncce honorem etiam Theclae ſuae Apoſtolae exhibere voluiſſe?

§ 14. *Concluſio.*

Supra obſervavi, celeberrimum *Montefalconium* nomen hoc CAKΛΩE legere, CABAΩΘ, quod nemini, qui in legendis Gemmis illis Gnoſticorum operam aliquam poſuit, mirum videri poterit. Eadem litera K modo ut κ, modo etiam ut β legenda et pronuncianda eſt. Et aliis quoque modis in permutandis literis et corrumpendis nominibus luſitabant illi homines, ſive in eo nugas quasdam Cabbaliſticas affectarent, ſive id agerent, ut myſteria ſua nonniſi initiatis penitus perſpecta, aliis autem obſcura eſſent. Itaque ex *Thecla* fecerunt *Saclam*, et illud ipſum nomen etiam *Sabla* legi et pronunciari poterat. Forte hoc erat nomen myſticum, quo ſuis potiſſimum nota erat. Ad quod quam prope accedat nomen *Iezabelis* a *Ioanne* uſurpatum, nemo eſt, qui non videat. Vnde aliqua ratio reddi poterit, quam ob rem Apoſtolus nomine hoc ad vetuſtam *Iezabelem* alludere voluerit. Plura erant, quae addi potuiſſent. Aliquid etiam de iudicio Thyatirenis denunciato ſubnectere animus erat. Sed modum omnem iam exceſſi. Quae igitur forte ſupererant, in aliam commodam occaſionem differentur.

COGI-

COGITATIONES [*]

DE LACEDAEMONIORVM CVM IVDAEIS COGNATIONE, AD LOCVM I MACCAB. XII. 7, 21.

I.

Locus est percelebris, sed multorum disputationibus insigniter vexatus, de cognatione Lacedaemoniorum cum Iudaeis, qui legitur in primo Maccabaeorum libro cap. XII. Ibi enim primo quidem referuntur literae Ionathae, Principis et Sacerdotis maximi Iudaeorum, ad Lacedaemoniorum populum, in quibus is cum populo suo provocat de hac cognatione ad testimonium ipsius Arii, Spartanorum regis, vs. 7. Ἔτι πρότερον ἀπεστάλησαν ἐπιστολαὶ πρὸς Ὀνίαν τὸν Ἀρχιερέα, παρὰ Ἀρείου τοῦ βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν, ὅτι ἐστὲ

[*] Disputationem hanc in Opusculis *Iablonskianis* a me non repetitum iri, in praefat. t. I. p. XVII significavi. Nactus autem deinde e Germania exemplum, ab Auctore emendatum et locupletatum, meum consilium mutavi, quod nemo, ut spero et confido, aegre feret aut reprehendet.

ἐξὲ ἀδελφοὶ ἡμῶν, ὡς τὸ ἀντίγραφον ὑπόκειται. *Iam antea miſſae fuerunt literae ad Oniam Pontificem, ab Ario regnante apud vos, declarantes, vos eſſe fratres noſtros, uti exemplum ſubiectum docet.* Mox autem proferuntur ipſae illae Arii literae, in hunc ſenſum conſcriptae vs. 21. Ἐυρέθη ἐν γραφῇ περί τε τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων, ὅτι εἰσὶν ἀδελφοὶ, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ. *Scriptum invenimus, Spartiatas et Iudaeos fratres eſſe, ex genere Abrahae.* Hocce Spartanorum de Iudaeis teſtimonium longe illuſtrius et genti ſuae glorioſius eſſe exiſtimavit *Flavius Ioſephus*, quam ut tacite praeteriri poſſet. Itaque mentionem illius fecit duobus diſtinctis in locis, Antiquit. Lib. XII c. 5 [c. 4 § 10] et Lib. XIII c. 9 [c. 5 § 8]. Sed conferri debent exemplaria epiſtolarum apud auctorem Libri I Maccabaeorum et *Ioſephum*, licet hic eas ex illo deſumſerit, ſed cuius mentem non ſatis aſſecutus videtur, monente *Huetio* in Demonſtr. Euangel. Part. I p. 173.

II.

Quis neſcit, rem iſtam permultis ex Criticorum ordine, et viris quidem principibus crucem fixiſſe? Exercuit ſane illa ingenia praeſtantiſſima *Ioſephi Scaligeri*, *Hugonis Grotii*, *Sam. Bocharti*, *Stephani Morini*, *Ezech. Spanhemii*, *Hadr. Relandi*, *Io. Franc. Buddei*, et quot non aliorum? quorum nonnulli faſſi ſunt, haud inviti, ſe nihil hic cernere, alii, nonnumquam eximio cum eruditionis apparatu, ea protulerunt, quae tamen candide expenſa veri amantibus ſatisfacere omnino nequeunt. Animus erat quondam, in praecipuas ſaltem virorum eruditorum ſuper hac re

re ſententias inquirere. Verum cum (*a*) ex ephemeridibus literariis publicis intellexerim, *Gotl. Wernsdorffium*, Virum clariſſimum et doctiſſimum, in Oratione quadam auſpicatoria, Gedani in Pruſſia haud ita pridem habita, hoc ipſum argumentum perquam erudite perſecutum fuiſſe, et veluti exhauſiſſe, conſilium meum mutavi, etſi Orationis illius copiam nanciſci hactenus haud potuerim. Verum impetrare tamen a me non potui, quin ſententiam *Stephani Morini*, quam is (*b*) duabus peculiaribus de hoc argumento Diſſertationibus explicuit, quaeque non modo ingenioſa videbitur omnibus, ſed etiam inſigni veriſimilitudine, et *probabilitatis ſpecie*, iudice (*c*) *Buddeo*, ſe commendat, ſub examen vocarem, et praecipua illius fundamenta, quae non modo *Morino*, verum etiam eruditis aliis vehementer impoſuerunt, accurate excuterem, quod ab aliis factum eſſe, hactenus non deprehendi.

III.

Et primo quidem *Morinus* in Diſſertatione I. p. 13, et 14 edit. Genev. hariolatur, cognationem, quae Sparta-

(*a*) Relat. Lipſ. Germ. A. 1744. num XXXIII. et LXXXVI.

(*b*) Duae hae Diſſertationes cum aliis eiusdem auctoris coniunctim editae ſunt Genev. 1683. 8vo. ac recuſae poſtea Dordraci 1700.

(*c*) In Programmate *de origine gentis Hebraicae*, quod extat in Syntagmate eius Diſſertation. Theolog. p. 724 [*].

[*] Minus benignum de *Morini* ſententia eſt iudicium *Buddei* in Hiſt. Eccleſ. V. T. tom. II p. 746.

tanos inter et Iudaeos extitiſſe dicitur, optime repeti poſſe ab *Odomantibus*, vel, ut alii ſcribere malunt, *Odomantis*, populo Thraciae, quem ab *Edonorum* gente non differre, contra *Herodoti*, *Thucydidis*, aliorumque veterum auctoritatem, perperam adſtruit. *Odomantos* porro, vir doctus perſuadere nobis nititur, fuiſſe origine *Idumaeos*, ſtirpe Abrahamidas ſatos, quorum, uti auguratur p. 26, *ingens multitudo, cum pluribus Cananaeis, Thraciam et Graeciam petierit Cadmo duce, quando Ioſua Cananaeorum patriam adortus eſt, et cum ſuis Israëlitis occupavit.* Id vero partim ex ipſo *Odomantorum* nomine, partim ex Iudaismo gentis huius, veterum teſtimoniis diſertis comprobato, recte colligi poſſe confirmat. Et quod ad nomen quidem *Odomantorum* attinet, haud gravate largior, illud a nominibus אֱדוֹם, et אֲדוֹמִים, *Edom*, *Edomitarum* et *Idumaeorum*, non adeo longe recedere, etſi tamen dici nequeat, omnia haec, et Graeca et Hebraica, eſſe tantum unum idemque nomen. Viciſſim mihi largientur viri cordati et iudicii ſubacti, ex huiusmodi in nominibus aliquali literarum ſimilitudine et convenientia, nihil certo probari poſſe, niſi accedant alia argumenta ſolidiora.

IV.

Longe maiorem itaque vim haberet argumentum, quod ab eiusdem gentis Iudaismo petitur, ſi de eo certo conſtaret. Vir eruditus provocat ad teſtimonium antiqui interpretis *Ariſtophanis*, qui ad Poëtae huius *Acharnenſes* vs. 157, vel p. 378. edit. Genev. ita commentatur, Ὀδόμαντοι, ἔθνος Θρᾳκικόν. φασὶ δὲ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι. *Odomanti gens ſunt Thracica. Dicunt autem, ipſos Iudaeos eſſe.* Quae ex eo, uti ſolet, *Suidas* repetit, in voce Ἀποτεθρίακεν. Num-

quid

quid dici poteſt diſertius? Et profecto, ſi Scholiaſtae hu c fides tuto haberi poſſet, negotium hoc confectum utique eſſet, et Iudaeorum, aut ſaltem Abrahamidarum, gentem haberemus in media Thracia, ercti umciſionem, ab Abrahamo praeceptam, religioſe obſervantem. Et id ſane crediderunt eruditorum non pauci. Verum, quod pace ipſorum dixero, verba ſibi a Scholiaſte *Ariſtophanis* dari nimis facile paſſi ſunt. Quis quaeſo, praeter unum hunc Scholiaſten, et, qui eius verba tantum tranſcripſit, *Suidam*, talia de Odomantis, aut Thracibus in univerſum, ex veteribus memoriae umquam prodidit? *Herodotus*, hiſtoricorum omnium, quos habemus, antiquiſſimus, idemque rerum quarumcumque memoratu digniorum curioſiſſimus indagator, de *Odomantis* aliquoties loquitur, Lib. V c. 16, VII. c. 112, et tamen de ipſorum circumſione, aut qualicumque Iudaismo, verbum nullum adiicit, is ipſe *Herodotus*, qui de Colchis id obſervare minime neglexit. Verba eius, quia egregie pro nobis militant, hic quoque legi merentur: *Soli*, inquit, *omnium hominum Colchi, et Aegyptii, et Aethiopes, a temporibus ultimis circumciduntur. Nam Phoenices et Syri, qui ſunt in Palaeſtina* (loquitur de Iudaeis) *didiciſſe id ab Aegyptiis et ipſi confitentur. Syri vero, qui fluvium Thermodontem et Parthenium accolunt, et horum conterminii Macrones, a Colchis ſe nuper didiciſſe aiunt. Hi enim ex hominibus ſoli ſunt, qui circumciduntur*, Lib. II. c. 104. Ecce *Herodotum*, cui perbene cogniti erant *Odomanti*, non ſecus atque Colchi, teſtantem clare, Aegyptios, Aethiopes, Colchos, Macrones, Syros, et Phoenices, *ex omnibus hominibus ſolos eſſe, qui circumcidantur*. Itaque *Odomanti*, qui circumciſi eſſent, penitus latuerunt *Herodotum*, uti et ſcriptores veteres omnes, qui de gentibus Iudaeorum more circumciſis

loquuntur. Quoties vero ſcriptores vetuſti de *Odomantis* ſermonem iniiciunt, hos inter reliquosque Thraces, quorum mores et inſtituta patria, tum ſacra, tum civilia, non ignorantur, diſcrimen omnino nullum ponunt, iisque etiam originem non Idumaeam, neque Iudaicam, verum Thracicam aſſignant. Referunt enim (*d*), *ex Callirrhoë natos fuiſſe Biſtonem, Odomantem, et Edonum*, ex quibus nempe totidem Thraciae populi, *Biſtones*, *Odomanti* et *Edoni* ortum traxerint, ſatis hoc ipſo teſtantes, ſe Odomantorum aliam, quam Thracicam originem, cognitam non habere. Vnde rectiſſime *L. Kuſterus*, in notis ad *Ariſtophanis* Acharn. p. 119 ita iudicavit; *Sed tamen priorem interpretationem praeferam, donec ex veterum monumentis aliquis probaverit, Odomantes, quae erat gens Thraciae, olim circumcidi ſolitos fuiſſe.*

V.

Sed quid tamdem fiet de Scholiaſte *Ariſtophanis*, quem ducem viri eruditi ſequi ſolent? An non, quod ſupra intelleximus, conceptis verbis teſtatur de Odomantis? *Dicunt vero ipſos Iudaeos eſſe.* Non negaverim, Scholiaſten hunc optima fide egiſſe; ſed aio, ipſum, et quotquot eum ſequuntur, ex verbis Comici male intellectis in errorem inductos fuiſſe. Crediderunt, poëtam hunc teſtari, *Odomantos* more Iudaeorum genitalibus eſſe circumciſos, quantumvis ipſe de tali re ne per ſomnium quidem cogitaverit. Verba illius in Acharnenſibus haec ſunt. vſ. 157.

Τίς

(*d*) *Stephanus Byzantius* in Βισωνία. Vide et *Holſtenii* notas in hunc auctorem voce Ὀδόμαντοι.

Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτέθρακεν ἄν.

id eſt, interprete *Friſchlino*,

Quis quaeſo Odomantum praecidit genitalia?

in quibus explicandis miſere ſe torquet; ſed et continuo fere hallucinatur bonus Scholiaſtes, qui tamen permultos alios in ſocietatem erroris pertraxit. Et illi quidem primo in recte interpretanda voce ἀποτέθρακεν, vel ἀποτεθρίακεν aberrarunt. In univerſum duplici modo vox haec poteſt exponi. Quibusdam, ſicuti obſervat ad h l. *Kuſterus*, ἀποθριάζειν τὸ πέος eſt *veretrum diſtringere, ſeu glandem eius*, reducta pellicula, *nudare*. — *Alii de circumciſione pellicu-lae, quae ſuperiorem glandis partem tegit, locum hunc interpretantur: cui ſententiae favere videtur vox* ἀπεψωλημένος, *quae mox ſequitur. Ea quippe interdum ſignificat* recutitum, *ſive* circumciſum: *quales hodie ſunt Iudaei, et olim Aegyptii et Phoenices.* Deinde vero is idem, ut iam dixi § IV, et hic repeto, ita pergit: *ſed tamen priorem interpretationem praeferam, donec ex veterum monumentis aliquis probaverit, Odomantes olim circumcidi ſolitos fuiſſe.* Et credo, praeferent omnes, qui rem ſeria et aequa lance expendant. Ipſe bonus Scholiaſtes, poſtquam pueriles neſcio quas nugas attuliſſet, tamdem etiam hanc interpretationem amplectitur. Hoc enim ſibi volunt haec eius de Odomantis verba: ἀποσεσυρμένα εἶχον τὰ αἰδοῖα. Deinde vero et hoc monendum, quod neſcio, an ex interpretibus Poëtae hactenus quisquam obſervaverit, *Ariſtophanem* id, quod de Odomantis hic dicit, non toti ipſorum genti, ut ritum conſtantem et patrium attribuere, ſed iis tantum, qui nunc Legati ex Thracia Athenas venerant. Nam ſi Odo-

manti, ex antiqua patria conſuetudine, ſemper habuiſſent τὸ πέος ἀποτεθριασμένον, vel, quod idem eſt, ἀποσεσυρμένον, cur obſecro, Dicaeopolis, civis Athenienſis, apud Poëtam veluti mirabundus quaereret?

Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτέθραικεν ἄν
Quis, modo nunc, *Odomantorum genitalia deſtrinxit?*

Loquitur haud dubie de re, quae eo ipſo tempore contigiſſet. Et praeterea, qui genium Poëtae facetum perſpectum habet, non difficulter intelliget, eum more ſuo et hic iocos captare, et in verbis luſitare, quae etiam cauſa eſt, quod in exponendo verborum iſtorum genuino ſenſu tantopere haereant, et a ſe invicem diſſentiant interpretes.

VI.

Non exiſtimo me operam et oleum perditurum, ſi in indaganda vera Poëtae ſententia aliquod ſtudium poſuero. Hactenus enim illa nondum videtur ſatis intellecta fuiſſe. Et ea tamen perſpicue declarata, ruet omnis de Iudaismo Odomantorum male concepta ſuſpicio. In Fabula illa *Ariſtophanis*, cui nomen fecit Acharnenſibus, populus Athenienſis, qui iam aliquot annos onus belli Peloponneſiaci perſenſerat, ſpe vana eaque multiplici deluditur. Adſunt, qui ei animum addant, fiduciamque augeant, ut bellum ſemel coeptum ſtrenue perſequatur. Eum in finem, praeco publicus primo introducit Legatum regis Perſarum, qui, nomine eius, pecunias et ſumtus ad bellum gerendum neceſſarios populo promittat; verum neſcio quis fraudes negotio huic ſubeſſe, ſuſpicatur Dicaeopolis, civis Athe-

Athenienſis. Succedunt illi tum alii, tamquam a Sitalce, potenti Thracum rege, ad Athenienſes miſſi, qui polliceantur, regem ingenti cum exercitu delectorum militum auxilio ipſis venturum eſſe. Illos igitur adeſſe, coramque populo verba facere iubet praeco vſ. 154.

Οἱ Θρᾷκες, ἴτε δεῦρ', οὓς Θέωρος ἤγαγε
Thraces huc adeſte, quos Theorus, Athenienſium legatus, ſecum ex Thracia *adduxit.*

Cum vero illico compertum eſſet, Thraces hos, aut eſſe, aut ſaltem dici, de gente *Odomantorum*, Dicaeopolis, civis ille Athenienſis, cuius mentionem iam feci, ita ex praecone indignabundus quaerit,

Ποίων Ὀδομάντων, εἶπέ μοι τουτὶ τί ἦν
Quos tu mihi loqueris Odomantos? Dic quaeſo quid hoc rei eſt?

Et iam ſic pergit

Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτέθρακεν ἄν;

Mihi dubium non eſt, quin iocari voluerit Dicaeopolis. Latent hic facetiae et ſales Comici, quos, qui ad totam orationis ſeriem animum advertat, non ita difficulter ſubodorabitur. Exiſtimo autem, acumen huius ioci quaerendum eſſe in voce ἀποτέθρακεν, quam hoc modo in omnibus *Ariſtophanis* Codicibus MSS. ſcribi, teſtatur *Kuſterus*, etſi tamen ipſe malit legere ἀποτεθρίακεν, eo quod apud *Suidam* in vocibus ἀποτεθρίακεν et πέος, *Heſychium* v. ἀποτεθρίακεν, ipſum *Ariſtophanis* Scholiaſten ad Equites verſu 1007, ubi aut locum hunc citant, aut ad eum reſpiciunt, lectio

haec

haec conſtanter reperiatur. Mihi, ut verum fatear, magis placet lectio antiqua Codicum *Ariſtophanis*, cuius nunc rationem reddam. Athenienſibus facta fuerat ſpes, adfuturos a Sitalce, potenti Thracum rege, qui, teſte *Diodoro Siculo* Lib. XII [cap. 50] pag. 104, omnes fere Thraciae populos ſubegerat, legatos, qui verbis eius auxilia ampliſſima Athenienſibus pollicituri eſſent. Sed ubi iam comparere iubentur Thraces, loco ipſorum, ſiſtunt ſe quidam ex Odomantorum gente, qui regionem incolebant, finibus ſatis anguſtis circumſcriptam, Sitalcis imperio minime parentes, ſed ſui iuris, quod ex *Thucydide* liquet Lib. II [cap. 101.] p. 169. edit. Wechel. Eam igitur ob cauſam, Dicaeopolis ira et indignatione correptus, quaerit: *Quos tu mihi Odomantos narras?* tu, qui copiarum a Sitalce, magno Thracum rege, mittendarum ſpem modo nobis feceras. Et tum haec addit, ſaepius iam allata,

Τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτέθρακεν ἄν.

Coniicio, vocem ἀποτέθρακεν eſſe plane novam, et nunc ab *Ariſtophane* confictam, quales apud Poëtam hunc permultas occurrere, oppido notum eſt. Significat autem proprie, ex mente Comici, uti ego opinor, *Thracem exuere*, tamquam dixiſſet: Quis nunc hos, ex *Thracibus* ſceptro potentis et bellicoſi Sitalcis parentibus, ſubito transmutavit in Odomantos, gentem ignobilem, a qua parum commodi ſperare licet? Non deficiunt exempla ſimilia verborum, quae facta ſunt de nominibus populorum, aut ad ea alludunt. Sic ἀποσκυθίζειν *tondere more Scytharum*, in *Euripidis* Troadibus v. 1026, θράττειν ſive θράσσειν eleganter uſurpatur apud *Ariſtotelem* Lib III Rhetor. cap. 11, reſpectu ad Niconem, qui credebatur eſſe

esse Thrax. Lepide ergo Comicus h. l. utitur verbo ἀποτέθρακεν, allusione ad nomen Θρᾷκες, quorum paulo ante meminerat. Postquam haec scripseram, monuit me Celebratissimus *Reimarus*, se his non dissimilia legisse in Notis MSS. [*] elegantissimi *Stephani Bergleri* ad hunc *Aristophanis* locum, de cuius tanti Viri consensu equidem mihi insigniter gratulor. Quoniam vero vox nova ἀποθράζειν, cum antiqua omnibusque valde nota ἀποθριάζειν, de qua § v. dictum, insignem soni affinitatem habet, huic posteriori autem significatio obscoena inest, Comicus, quod homini impuro solenne est, relicta vocis suae novae genuino significatu, quem subinnuisse contentus est, ad cognatae vocis sensum obscoenum delabitur, eique inhaeret, ut genio suo iocoso obsecundet, utque apud auditores risum cieat. Et iocus tamen hic leviculus minimeque honestus, a lectoribus non recte perspectus, integram gentem, more Iudaeorum circumcisam, in media Thracia nobis produxit, in qua (e) eruditi nonnulli aliquas decem Tribuum Israëlis reliquias sibi reperisse visi sunt. Idem etiam sententiae Mo-

(e) *I. P. Baraterius*, iuvenis ingenii portentosi, et rarae in tali aetate eruditionis, in Dissert. VIII. subiuncta Itinerario Beniamini Tudelensis p. 337. ea de re sic loquitur: *Quelques uns de ces Israëlites penetrèrent dans la Thrace: c'est de quoi on ne peut douter, après les marques visibles de Judaisme, qu'on trouve dans ce païs. Les Odomantes, peuples de la Thrace, étoient Iuifs. Voici ce qu'en dit Aristophane* etc.

[*] Quas a. 1760 in lucem exire iussit Cl. *Burmannus*. In Latina tamen interpretatione *Bergleri* dedit: *Quisnam Odomantos fecit recutitos?*

Morini, de cognatione Spartanorum cum Iudaeis, quam viri doctiſſimi valde probabilem iudicant, fulcrum praecipuum conſtituit.

VII.

Poſtquam fundamentum hoc ſententiae *Morinianae* everti, omnia quae ſuperſtructa ei ſunt, una cum ipſo corruere oportet. Quare etſi illic permulta alia examine digna occurrant, ea tamen miſſa potius facio. Verum quando vir idem praeclarus, ſub finem Diſſert. I p. 35, novum nobis offert argumentum, a priori diſtinctum, ex quo colligit, iactatam illam Spartanorum cum Iudaeis cognationem vetuſtis etiam Graeciae ſcriptoribus ignotam non fuiſſe, id tanto minus praetermittendum eſſe putavi, quanto plures ex eruditis noſtris ad eumdem lapidem offendiſſe obſervavi. Verba *Morini* haec ſunt: *Deniqve, ne vel minimum ſententiae noſtrae deficiat fulcimentum, in ipſa Lacedaemone Iudaei inveniuntur, praeter Idumaeos et ceteros Cadmi ſocios: Iudaeos inquam Lacedaemone et vicinis regionibus ſatis celebres et numeroſos inveniam ut inter Orientis domitrices Bacchi copias eminuerint, et perſuaſerint, ipſam Iudaeam ab iis fuiſſe denominatam. Scilicet apud Stephanum de urbibus in Iudaea refertur, quod Claudius Iolaus eam velit dictam* (ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐξραστευκότος, quae ita vertit *Morinus*) *a Iudaeo Spartiata e Thebis cum Baccho in militiam profecto.* Deinde iſtud ſuum iudicium ſubiungit: *Neceſſe eſt ut Lacedaemone Iudaei fuerint celebres, quandoquidem a Iudaeis Lacedaemonenſibus Iudaeam denominatam Graeci crediderunt. Cum autem Iudaei illi vel Idumaei, Iudaeorum nomen uſurpantes, inter Spartae et Spartanorum authores et conditores extiterint, et in ean-*

eandem gentem coaluerint, non mirum, si Iudaeorum, Patrias sedes obtinentium, Lacedaemonii se fratres autumaverint. Quis tam sit iniquus, ut negare velit, haec acute et non sine aliqua veri specie dicta esse? Fateri certe oportet, nihil opportunius ad illustrandum argumentum, in quo versabatur *Morinus*, adferri potuisse, si *Stephanus*, aut quem is sequitur, ea re ipsa dicerent, quae dicere creduntur, aut si illa, quae dicunt, ullo modo cum veritate conciliare liceret. Verum profecto verba *Stephani*, corrupte edita, *Morino* fraudi fuerunt, sicuti et alios viros undecumque doctissimos, in erroris affinitatem induxerunt.

VIII.

Ipse ille, quo nemo in hisce literis felicius versatus est, praestantissimus *Bochartus*, lectis *Stephani* verbis, et sibi imponi passus est. Nam cum decantatam illam quaestionem de Spartanorum cum Iudaeis cognatione attigisset, eam ex solo *Stephano* aliquo modo illustrari posse putavit. Geogr. Sac. Part. II. Lib. I. c. XXII. *Aliud non habeo, inquit, quod regeram, quam quod apud Stephanum Byzantium, Claudius Iolaus, Iudaeos fabulose deducit ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος* etc. *Commentitius ille Sparton*, ita pergit, *author scilicet generis Iudaeorum*, potuit *confundi cum alio Spartone, Phoronei filio, Spartae conditore, ut nonnullis visum, quos tamen refellit Pausanias in Laconicis. Abrahamus Berkelius*, cui *Stephanus* plurimum debet, in notis ad hunc scriptorem iudicium magni *Bocharti* suffragio suo ita confirmat: *Optime suspicatur Bochartus, ex his Claudii verbis ortam esse Fabulam, Iudaeos et Lacedaemonios esse congeneres, sic enim scribit rex Lacedaemonum Arius in literis ad Oniam* I *Maccab.* XII. etc. In quibus eruditi viri

verbis, illud tantum animadvertendum esse duco, *Claudium Iolaum*, quem citat *Stephanus*, et de quo mox plura, Ario Spartanorum rege atque Onia Pontifice maximo Iudaeorum haud parum videri recentiorem, unde ex illo hi desumere utique non potuerunt, quod de cognatione Spartanorum cum Iudaeis, literis prodiderunt. Nec in diversum ab his abit vir de Geographia Sacra praeclare meritus, *Hadr. Relandus*, cuius haec leguntur, in Palaestina, verba p. 36: *Erant quoque, qui a Iudaeo nescio quo, Spartonis filio, Iudaeorum nomen deduxerunt; unde et originem traditionis illius, Spartanos et Iudaeos fuisse gentes cognatas, nonnulli petunt. Ita scribit Stephanus* etc. Fatendum quidem omnino est, viros hos doctissimos, fabulam de Iudaeis a Spartone oriundis, cum contemtu reiicere. Sed credidêrunt tamen, non minus atque *Morinus*, famam talem inter Graecos percrebuisse, idque *Claudium*, a *Stephano* adductum, testari. Verum ubi Claudii huius verba ab omni parte versaverimus, et a mendis, quae verba eius insederunt, liberaverimus, apparebit, de eum quidem tale quid cogitasse, aut dicere voluisse.

IX.

Verba *Stephani Byzantii*, quorum toties mentionem feci, in articulo Ἰουδαία, ita concepta leguntur, Ἰουδαία — ὡς Κλαύδιος Ἰόλαος, ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος, ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐστρατευκότος. Quae ex interpretatione *Abrahami Berkelii* id sonant: *Iudaea — secundum Claudium Iolaum nomen habet a Iudaeo Spartonis filio* (vel ut alii vertunt, *Spartiata Lacedaemone*) *qui Thebis una cum Baccho in militiam abiit.* Tota igitur haec traditio de Iudaea denominata a Iudaeo quodam Spartonis filio, testimonio nititur

Clau-

Claudii Iolai, hominis perquam obſcuri, cuius, quantum quidem ſcio, praeter unum *Stephanum*, nemo umquam mentionem fecit. Verum bene iam monuit *Lucas Holſtenius*, in notis, pro Ἰόλαος reſcribendum eſſe Ἰούλιος, quem *Stephanus* quoque laudat in articulis Ἄκη, Δῶρος, et Λάμπη, in quo poſtremo articulo nomen eius accurate ſcriptum occurrit. Obſervarunt etiam viri eruditi, auctorem Etymologici, in voce Ἀδειρα, hunc ipſum *Claudium Iulium* teſtem adhibere, ut igitur de emendatione illa dubitandum non ſit. Qua aetate ſcriptor hicce vixerit, hucusque nondum liquet. Primus, qui mentionem eius feciſſe deprehenditur, eſt *Stephanus*, ſcriptor ſeculi quinti, qui ad eius hiſtoriam Phoenicicam aliquoties provocat. Et nomina, quae iunctim geſſit, *Claudii Iulii*, indicio certo mihi ſunt, eum et *Iulio Caeſare*, et *Claudio* Imperatore poſteriorem extitiſſe. Vnde, quod § VIII iam monui, fieri non potuit, ut Arius Spartanus, aut Onias Iudaeorum Pontifex, ex eo aliquid mutuo ſumſerint. Cumque poſt *Stephanum*, non videamus quemquam *Claudii* huius *Iulii* auctoritate uti, praeter Etymologici magni auctorem, ex eo ſatis tuto colligimus, eum in exiguo admodum apud veteres pretio fuiſſe.

X.

Vtinam tamen extarent ipſa Claudii huius Julii verba, ad quae *Stephanus* provocat, et quae tamen ſive *Stephanus* ipſe, ſive Epitomator eius *Hermolaus*, integra non attulit, luculentius enim omnes tum intellecturi eſſent, auctori huic numquam in mentem veniſſe, *extitiſſe aliquem nomine Iudaeum, gente Spartanum, qui cum exercitu Bacchi, per Palaeſtinam tranſiens, regioni huic nomen Iudaeae impoſuerit*,

quod viri eruditi ſibi perſuadent. Equidem non nego, verba, uti in noſtris *Stephani* Codicibus ſcripta leguntur, tale quid omnino ſignificare. Legimus enim, Ἰουδάιαν regionem nomen hoc accepiſſe ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος, quod *Bochartus* ſic reddidit, *a Iudaeo quodam Spartone*, ubi incertum eſt, quodnam ex duobus hiſce nominibus, *Iudaei* et *Spartonis*, habuerit pro proprio, quodve pro gentilitio. Sed id tamen in aperto eſt, ſecundum *Bochartum*, hunc Iudaeum Spartonem Lacedaemonem fuiſſe. Ita enim ſcribit: *Commentitius iſte Sparton, author ſcilicet generis Iudaeorum, potuit confundi cum alio Spartone, Phoronei filio, Spartae conditore, ut nonnullis viſum, quos tamen refellit Pauſanias in Laconicis.* Aliter vero *Berkelius* verba *Stephani*, nempe hunc in modum, convertit, *a Iudaeo Spartonis filio*, quem *Relandus* ſequitur. Aliter denique *Stephanus Morinus*, ut qui nomen *Sparton* habuerit pro gentilitio, unde verſio eius ita ſonat, *a Iudaeo Spartiata.* Aequum etiam cenſuit vir doctus p. 35 hanc verſionis ſuae rationem reddere: *Vt Λάκων, Λάκωνος eſt Lacedaemonis incola, ſic Σπάρτων, Σπάρτωνος eſt Spartae incola.* Quod etiam atque etiam vereor, ut Grammaticis perſuadeat vir eruditus. Etenim Λάκων eſt primitivum, unde eſt Λακωνικὴ. *Lacedaemonum regio.* Sed a Σπάρτη, quae eſt urbs Laconicae regionis, non deſcendit Σπάρτων, ſed Σπαρτιάτης, idque *Stephanus* etiam obſervavit, in voce Σπάρτη, neque etiam exemplum in contrarium adduci poterit. Et haec ſane cauſa eſt, quod *Spartonem Bochartus* aliique eruditi viri maluerint accipere pro nomine proprio viri.

XI.

Verum enim vero verba illa *Stephani*, quae tantum in-

inter eruditos diſſenſum pepererunt, oſcitantia librariorum iam dudum depravata fuere, et medela aliqua opus habent, qua rite adhibita, omnis Spartae ac Spartanorum idea evaneſcet. Primo igitur apud *Stephanum* pro Σπάρτωνος reſcribendum plane eſt Σπαρτῶν ἑνὸς, id enim Claudius Iulius ſibi vult, *Iudaeum*, ſen quodcumque aliud viro illi nomen fuerit, extitiſſe *unum e Spartis*. Sic a Graecis dicuntur, qui in agro Thebano ex dentibus draconis, a Cadmo in terram proiectis, tamquam ex ſemine prognati, fabuloſe a Poëtis perhibebantur. Σπαρτοὶ enim ſunt *ſati*, vel *ſeminati*. Rem hoc modo narrat *Apollodorus*, in Bibliotheca Lib. I [cap. 4] p. 156. edit. Galei: *Quo Cadmus reſponſo accepto, per Phocenſium terram iter faciebat: mox bovi inter Pelagontis armenta obviam factus, eam pone ſequebatur: ea vero, Boeotia percurſa, humi procubuit, ubi nunc extant Thebae. Deinde bovem illam Palladi mactaturus, e ſociis ſuis quemdam, ex Martio fonte deſumtam aquam reportaturum mittit: draco fonti cuſtos appoſitus erat: hunc Marte ſatum fuiſſe perhibebant. Is ex aqua turis plerosque abſumſit. Quare indignatus Cadmus, draconem interemit: ac Minervae conſilio eius dentes ſerit, quibus ſatis, armati e terra viri exorti ſunt, quibus Spartis, id eſt, ſatis, nomen inditum fuit.* Graeca habent, οὓς ἐκάλεσαν ΣΠΑΡΤΟΥΣ. *Hi poſtea*, ſic pergit, *mutuis ſeſe vulneribus occiderunt. Sed Pherecydes ſcriptum reliquit, Cadmum, ut armatos viros e terra exoriri conſpexit, lapides in eos coniecisſe. Tum eos, quemque a ſocio ſe percuti exiſtimantes mutuam inter ſe pugnam iniiſſe. Verum ex iis quinque incolumes ſuperfuerunt.* Adiungatur *Hyginus* Fabula CLXXVIII. *Cadmus*, ſcribit, *ſorte audita, cum imperata perfeciſſet et aquam quaereret, ad fontem Caſtalium venit, quem Draco Martis filius cuſtodiebat:*

bat: qui cum ſocios Cadmi interfeciſſet, a Cadmo lapide eſt interfectus; dentesque eius, Minerva monſtrante, ſparſit et aravit, unde Spartae (ſic olim legebatur, ſed rectius legetur *Sparti*) *ſunt enati.* Ex horum *Spartorum* numero fuiſſe virum illum, de quo loquitur, vult Claudius Iulius, Σπαρτῶν ἕνα.

XII.

Nihil *Spartis* hiſce apud priſcos Graecos (*f*) celebrius aut nobilius extitit, unde toties apud Poëtas veteres, uti et hiſtoricos et Geographos, eorum mentio occurrit, etſi non ſemper amanuenſes et interpretes veram huius nominis vim perceperint, illudque ideo, aut inter ſcribendum, aut inter vertendum, ſaepe corruperint. Male olim in *Hygino* l. c. editum fuit *Spartae*, ut modo ante monui. Miror vitioſam lectionem placuiſſe *Schotto* aliisque, qui tamen non ignorabant, nomen Σπαρτῶν et *Spartanorum* ſaepius depravatum fuiſſe. Sic apud *Georgium Syncellum* in Chronographia p. 65. inter res Graecorum vetuſtiores, multorum ſermone celebratas, commemorantur etiam

(*f*) Videatur *Henr. Stephanus* in Theſ. Linguae Graecae Tom. II p. 932, 933. Latini eamdem vocem conſervarunt, aliquando etiam Graecis literis. *Varro* apud *Aulum Gellium* Lib. XVII. Noct. Attic. cap. 3: *Ego σπάρτα apud* Homerum (Il. B. v. 135) *non plus* Spartum *ſignificare puto, quam σπάρτους, qui dicuntur in agro Thebano nati.* Apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XIX cap. 8 appellantur quoque *Sparti.* Ad Graecam nominis originem et fabuloſam narrationem reſpicit *Hieronymus* in Chronico *Euſebiano* pag. 84. his verbis: *Inde orta fabula dentium* Satorum, et Spartorum *appellatio.*

etiam Σπαρτοὶ, ſed vox illa, in verſione Latina *Goari*, male omnino redditur *Spartani*, cum vertenda eſſet *Sparti*. Nam vocem iſtam, Graecorum ſermone percelebrem, retinent etiam ſcriptores optimi Latini. Ea igitur *Cenſorino* reſtituenda eſt *de die natali* cap. IV, ubi in editione Lindenbrogii legitur: *Et in Colchide, vel in Boeotia conſitis anguis dentibus armati partus.* Editio *Carrionis*, quod me notae *Lindenbrogianae* docent, hîc habet *Spartae*, unde facile patet, auctorem ſcripſiſſe *Sparti*, vel Graecis literis Σπάρτοί. *Lindenbrogius* ad hunc ipſum locum complura veterum congeſſit loca, in quibus τῶν Σπαρτῶν mentio occurrit; ſed, quod impenſe miror, textum ipſum in editione ſua neque correxit, neque corrigendum eſſe monuit. Conſimile mendum in *Lactantii* Lib. III cap. 4. advertere licet, cum longe plurimae et meliores editiones illic hunc in modum ſint conceptae, *tanquam Spartiatae illi Poëtarum, ſic ſe invicem iugulant.* Vbi dubium eſſe non poteſt, quin reſcribere oporteat *Sparti*, quod etiam in editionibus recentiſſimis *Walchii* et *Bunemanni*, Virorum de *Lactantio* optime meritorum, factum eſſe deprehendo. Ad Graecos ſcriptores ut iam redeam, maculam huic perſimilem e *Suidae* Codicibus ſuſtulerunt quoque viri eruditi, quibus calculum adiecit *Bochartus*. Apud *Suidam* haec legimus in voce Ἐπαμινώνδας, Τῷ τάφῳ δὲ κίων ἐφέστηκεν καὶ ἀσπὶς ὑπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχουσα ἐπειργασμένον· ἦθελε δὲ ὁ δράκων σημαίνειν τοῦ γένους τῶν Σπαρτιατῶν ὄντα. *Super tumulum columna erecta eſt cum ſcuto, in quo draco caelatus eſt, eoque inſigni indicatur, Epaminondam ortum eſſe e Spartanis.* Merito haec *Bocharto* huiusmodi viſa ſunt, quae concoqui non poſſint, Geograph. Sac. Part. II Lib. I c. XXII. *Quis enim umquam*, inquit, *fando audiit, Thebanum Epaminondam e*

Sparta genus duxisse? Proinde iis omnino assentior, qui apud Suidam Σπάρτῶν *legunt, pro* Σπαρτιατῶν. De hac vero emendatione tanto minus dubitare licet, quia *Suidas* haec, quae de tumulo *Epaminondae* adfert, totidem verbis descripsit e *Pausaniae* Arcadicis cap. XI. p. 622. edit. *Kühnii*. Ibi autem genuina haec lectio cernitur conservata: Ὁ μὲν δὲ δράκων ἐθέλει σημαίνειν, γένους τῶν Σπαρτῶν καλουμένων εἶναι τὸν Ἐπαμινώνδαν. *Draco autem in scuto sculptus indicio est, Epaminondam ab iis ortum ducere, qui Sparti nuncupantur* [*]. Toties igitur, ut ex his, quae diximus, abunde constare potest, librarii in scribenda voce hac aberrarunt, unde mirum non est, eosdem Codicem quoque *Stephani Byzantii*, in loco quem nunc prae manibus habemus, depravasse, scribendo Σπάρτωνος, pro eo, quod scribendum erat, ΣΠΑΡΤΩΝ ΈΝΟΣ, quae ipsa tamen lectio incorrupta apud eumdem *Stephanum* occurrit in voce Ἄζωτος· Ἐκαλεῖτο δὲ Πελωρία ἀπὸ τῶν ΣΠΑΡΤΩΝ ΈΝΟΣ Πελώρου· *Vocabatur vero* Azotus Achaiae civitas, *etiam Peloria, a Peloro, qui* unus ex *Spartis fuit.*

XIII.

Ea, quae hactenus de *Spartis* disputavimus, insigniter confirmabuntur, quando ad emendationem *Stephani*, quam in superioribus suppeditavi, aliam novam

[*] Σπαρτῶν in *Suida* edidit *Kusterus*, et ante eum *Portus*. Eorumdem Σπαρτῶν meminerunt *Euripides* in Phoen. v. 947, 949, et *Plutarchus* de S. N. Vind. p. 82; ad q. l. notarunt *Valckenarius* et *Wyttenbachius*, Viri Celeberrimi.

vam nunc addidero. Nempe corrigenda pariter vox Ἰουδαίου, quam Claudius Iulius pro ſua numquam agnituruſ eſſet, quamque librarii indocti ideo tantum *Stephano* invito obtruſerunt, quia ſermo eſt de Iudaea. Verum haud dubie totus locus ita conſtituendus eſt. Ὡς δὲ Κλαύδιος Ἰούλιος, (Ἰουδάια ἐκλήθη) ἀπὸ Ἰουδαίου Σπαρτῶν ἑνός. *Sicut autem Claudius Iulius perhibet, Iudaea nomen hoc accepit ab Vdaeo, uno ex inclytis illis Spartis.* Spartus itaque ille, qui ſecundum Claudium Iulium Iudaeae nomen hoc impoſuit, appellatus fuit *Vdaeus.* Poſſem id, ſi vellem, integra teſtium nube probare. Verum ne videar eruditorum quorumdam, ac ſigillatim *Iohannis Ionſii*, cuius extat ſingularis (*g*) Diſſertatio de Spartis, ſcrinia compilare, pauca tantum ſeligam teſtimonia; ſed idonea; et rem quam volo, extra dubitationis aleam collocatura. Teſtem itaque produco *Apollodorum*, qui poſtquam Libro I. Bibliothecae, hiſtoriam Spartorum, quam ſupra dedi § XI, retuliſſet, haec tamdem ſubiungit p. 157, περιεσώθησαν δὲ πέντε, Ἐχίων, ΟΥΔΑΙΟΣ, Χθόνιος, Ὑπερήνωρ, Πέλωρ. *Ex Spartis autem*, qui ſe mutuis vulneribus abſumſerunt, *quinque ſuperſtites fuerunt, Echion, Vdaeus, Chthonius, Hyperenor, et Pelor*, quem alii vocant Pelorum. Eruditus *Apollonii Rhodii* Scholiaſtes in Lib. III vſ 1178. ex Hellanico, auctore vetuſtiſſimo, refert, ὅτι (ὁ Κάδμος) τοὺς ὀδόντας ἔσπειρε τοῦ δράκοντος κατὰ Ἄρεος βούλησιν. Καὶ ἐγένοντο πέντε ἄνδρες ἔνοπλοι, ΟΥΔΑΙΟΣ, Χθόνιος, Πέλωρ, Ὑπερήνωρ, Ἐχίων, *Cadmum, uti Mars praeceperat, dentes draconis feviſſe, et ex illis exortos*

(*g*) Diſſertatio illa Epiſtolica, ſcripta A. 1654, recuſa eſt in *Graevii* Collectione Diſſertationum rariſſimarum Hiſtorico-Philologicarum p. 205. etc.

tos fuisse quinque viros armatos, Vdaeum, Chthonium, Pelorem, Hyperenorem, et Echionem. Adfert ibidem verba Pherecydis eadem Spartorum nomina referentis, et ex eo haec superaddit, Καὶ αὐτοὺς ὁ Κάδμος ποιεῖται πολίτας, κατοικίσας αὐτοὺς ἐν Θήβαις. *Et quinque hos Cadmus cives Thebanos fecit, ipsisque urbem inhabitandam dedit.* *Hyginus* Fab. CLXXVIII, *Qui* (Sparti) *inter se pugnarunt, ex quibus quinque superfuerunt, id est, Chthonius*, Vdaeus, *Hyperenor, Pelorus et Echion.* In his omnibus Vdaei nomen inter Spartos constanter apparet, sicuti et apud *Pindari* Scholiasten, in Isthm. Od. 1 p. 438. edit. *Pauli Stephani*, et apud Scholiasten *Euripidis* in *Phoenissas* vs. 949, qui illic ad testimonium *Aeschyli* provocat. Negligentiae igitur librariorum adscribendum est, quod apud *Stephanum* nomen Vdaei, illustre quidem, sed sibi minus cognitum, mutaverint in illud *Iudaei*. Similem errorem commissum etiam videmus in verbis *Lutatii*, non indocti *Papinii Statii* interpretis, quae in editione Lindenbrogii Parisina p. 96. ita leguntur: *Propter quinque illos, qui de draconis dentibus nati sunt, et occisis reliquis soli superfuisse dicuntur: qui condenti Cadmo Thebas socii fuerunt, id est, Echion, Pelorus, Hyperion, Tydeus, et Chthonius.* Vbi pro *Tydeus* reponendum omnino esse *Vdaeus*, ex superioribus satis liquet (*h*).

XIV.

Non deerunt, credo, quibus derivatio nominis *Iudaeae* ab *Vdaeo* videbitur a veri specie paulo remotior,

(*h*) Idem observatum est a *Munckero* ad *Hygini* l. c., ut postea vidi.

tior, quique ob iſtam rationem ſibi perſuadebunt, correctionem *Stephani*, quam obtuli, locum difficulter habere poſſe. Ita profecto cenſuerunt librarii, in quorum manus bonus noſter *Stephanus* incidit, ideoque nomen *Ydaei*, ſibi ignotum, quod hoc loco concoquere plane non potuerunt, detorquendum putarunt in illud, quod etiamnum illic legimus, *Iudaei*. Neque etiam re ipſa deeſt fabuloſus aliquis Graecorum *Iudaeus*, pater ſcilicet gentis *Iudaeorum* in Palaeſtina. Ecce, quae de hoc *Plutarchus* in Libro de *Iſide* et *Oſiride* memoriae prodidit p. 363, Οἱ δὲ λέγοντες ἐκ τῆς μάχης ἐπὶ ὄνου τῷ Τυφῶνι τὴν φυγὴν ἑπτὰ ἡμέραις, καὶ σωθέντα γεννῆσαι παῖδας, Ἱεροσόλυμον καὶ ΙΟΥΔΑΙΟΝ, αὐτόθεν εἰσὶ κατάδηλοι τὰ Ἰουδαϊκὰ παρέλκοντες εἰς τὸν μῦθον. *Qui autem dicunt, e proelio Typhonem aſino vectum, per ſeptem dies fugiſſe, elapſumque filios genuiſſe, Hieroſolymum et Iudaeum: facile patet, eos res Iudaicas in fabulam hanc adſciſcere.* Vocatur idem a *Tacito* Hiſt. Lib. v. c. 2. *Iudas*. Sic enim is ſcribit: *Quidam regnante Iſide, exundantem per Aegyptum multitudinem, duce Hieroſolymo et Iuda* (niſi modo ibi legendum ſit *Iudaeo*) *proximas in terras exoneratam.* Sed quis quaeſo fabularum Graecarum, quibus gentium omnium ſibi cognitarum, et populi quoque Iudaici, hiſtoriam inquinare ſolent, rationem ſemper reddere queat? Aliud exemplum cape ex illo ipſo *Stephani* loco, ex quo Claudii Iulii teſtimonium decerptum eſt. In eo enim et iſta habentur, Ἰουδαία, [ὡς μὲν] Ἀλέξανδρος ὁ πολυΐστωρ, ἀπὸ τῶν παίδων Σεμιράμιδος, Ἰούδα καὶ Ἰδουμαία. *Iudaea, uti quidem* (*i*) *Alexander Polyhiſtor perhibet, nomen ha-*

(*i*) Is ipſo tamen alio loco Iudae ex Iacobo originem veram refert, apud *Euſebium* Praepar. Evang. L. IX c. 21.

habet a filiis Semiramidis, Iuda et Idumaea. An non igitur is ipſe quoque fuerit *Iudaeus*, vel *Iudas*, de quo apud *Stephanum* Claudius Iulius loqui voluit?

XV.

Ego tamen, nequicquam his obſtantibus, ſpero, teſtimonia, quae ad ſtabiliendam emendationem propoſitam adduxi, talia eſſe, ut dubium omne eximere merito debeant. Et quidni licuerit Claudio illi Iulio *Iudaeae* nomen derivare ab *Vdaeo?* cum certo ſciamus, alios ratione plane ſimile nomen regionis illius deduxiſſe ab *Ida*, notiſſimo, in Crete inſula, monte. Sic enim *Tacitus* loco iam cit. *Iudaeos Creta inſula profugos, noviſſima Libyae inſediſſe memorant -- Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, aucto in Barbarum cognomento, Iudaeos vocitari.* Rationem derivationis illius, quam ſequitur Claudius Iulius, ipſe hic auctor nobis ſuggerit, quando ſcribit, *Vdaeum*, unum ex Spartis, a quo Iudaea nomen acceperit, cum *Baccho* in militiam profectum fuiſſe. In fabulis autem Graecorum perhibetur, Bacchum cum ſociis, quibus nonnulli etiam *Vdaeum* annumerant, expeditionem ſuſcepiſſe, non modo in Indiam et Arabiam, ſed etiam in Syriam et Phoeniciam, ſub quibus regionibus veteres Iudaeam quoque comprehendere communiter ſolent. Quia igitur Bacchus, in ſubigenda Palaeſtina, opera *Vdaei* uſus credebatur, pronum erat Graecis quibusdam, ex eo nomen *Iudaeae* arceſſere, etſi ceteroquin ſcriptores alii narrent, *Vdaeum* Thebis conſediſſe, et in urbe illa ex eius ſtirpe originem traxiſſe Tireſiam vatem, teſte *Apollodoro* Lib. III. p. 177.

XVI.

XVI.

Non invitus hucusque ea, quae de Iudaismo Odomantorum, et de Iudaeo Spartone, a viris eruditis adferri ſolent, paulo prolixius excuſſi. Haec enim praecipua ſunt, quae ad illuſtrandam aliquo modo venditatam illam ab Ario Lacedaemone et Ionathane Iudaeo, Spartanorum et Iudaeorum inter ſe cognationem, ex tota antiquitate proferri et cum aliqua probabilitatis ſpecie urgeri potuerunt. Si etiam hiſce argumentis ne vel tantillum quidem ineſt ſoliditatis, actum eſt de bona fide Arii, ſive auctoris, quisquis demum ſit, qui literas illas Maccabaeorum libro inſeruit. Et ut libere, quod res eſt, dicam, Epiſtola illa in univerſum, quae ſub Arii nomine illic lectoribus obtruditur, mihi iam dudum maiorem in modum ſuſpecta fuit. Solenne eſt veteribus hiſtoricis, Graecis et Romanis, ut orationes, tamquam a viris illuſtribus publice habitas, libris ſuis intertexant, etſi nemo ignoret, ex ipſorum hiſtoricorum proprio cerebro eas prodiiſſe. Et cum Epiſtolae publico nomine ſcriptae, nihil aliud ſint, quam orationes eius generis, literis conſignatae, et ad alios transmiſſae, nihil mirum eſt, Epiſtolas quoque huius ſurſuris, id eſt, fictitias et commentitias, in hiſtoricorum commentariis reperiri. In cenſum iſtiusmodi Epiſtolarum cogendam quoque eſſe illam, quae tanquam ab Ario Lacedaemonum rege ſcripta, in primo Maccabaeorum libro exhibetur, ut ſuſpicer, permultae ſuadent, eaeque maximi ponderis rationes. Idem in mentem iam venit, *Ioh. Franc. Buddeo*, in Programmate ſupra citato, et ante hunc *Ioſepho Scaligero*, qui Canonum Iſagogicorum Lib. III p. 340, 341, aliquot nobis hanc in rem rationes, perquam modeſte tamen, ſubminiſtrat. Et illas quidem pluribus nunc urgerem, et alias praeterea ſuperadderem, niſi ex (*k*) Ephe-

(*k*) Relat. erud. Lipſ. german. A. 1444. num. LXXXVI.

Ephemeridibus literariis huius anni didiciſſem, argumentum hocce a viro doctiſſimo, cuius § 11. mentionem iam feci, nuper occupatum et feliciter expeditum fuiſſe. Docent me Ephemerides memoratae, virum clariſſimum id agere, ut oſtendat, *et Epiſtolam Arii Lacedaemonum regis, et hiſtoriam totam foederis illius, Iudaeos inter ac Spartanos pacti, tempore Oniae Pontificis maximi, confictam fuiſſe a Iudaeo quopiam, Ionathanem autem, Iudaeorum omnium primum cum Spartanis foederis Societatem iniiſſe. Suppoſitionem porro Epiſtolae idem* rectiſſime *contendit probari poſſe, ex tota illius compoſitione ac textura. Nam et nomina, quorum ibi mentio occurrit, et argumentum, in quo verſatur, et dialectus, qua conſcripta eſt, et ſtyli, qui adhibitus eſt, ratio, Epiſtolam vehementer ſuſpectam reddunt. Adverſatur utique formae regiminis, quae tum Spartae obtinebat, repugnat ingenio, moribus, et ſtatui Lacedaemonum eius temporis atque viciſſim modum et ſentiendi, et ſcribendi, et agendi Hebraeorum prodit.* Ex quo liquet, verum eius auctorem, gente non Spartanum, ſed Iudaeum fuiſſe. Adhaec, quod propemodum totius rei caput eſt, vir idem eruditus ex rationibus Chronologicis probare ſatagit, *illis temporibus, quibus Oniae, et quidem nominis huius quatuor, ſummo Sacerdotio inter Iudaeos functi ſunt, numquam regno Lacedaemonum potitum fuiſſe regem, qui Arii nomen geſſerit.* Quae omnia cum prorſus ita ſe habeant, conſequitur neceſſario, non potuiſſe Arii regis ad Oniam Sacerdotem extare literas genuinas, eas vero, quae talem inſcriptionem praeferunt, nonniſi pro confictis et falſo ſuppoſitis agnoſci debere. Sequitur etiam, eruditis poſthaec de cognationis Spartanorum cum Iudaeis fundamento, ſollicite cogitandum amplius non eſſe.

EXER-

EXERCITATIONES

AD ANTIQVITATEM ET HISTORIAM ECCLESIASTICAM PERTINENTES.

DISSERTATIO

DE VLTIMIS PAVLI APOSTOLI LABORIBVS A. B. LVCA PRAETERMISSIS.

§ 1. *Commendatur eorum diligentia, qui labores Pauli ordine disponunt, et per annos digerunt.*

Non credo quemquam usque adeo iniquum rerum aestimatorem esse, ut eorum diligentiam, qui in digerendis Pauli, magni gentium Apostoli, annis, inque ordinandis eius itineribus, laboribus, rebusque gestis, aliquam studii et temporis partem collocant, contemnendam, aut etiam vituperandam esse existimet. Etenim, si in omni historia accuratus rerum et temporum ordo, non modo historiae ipsi plurimum lucis affundit, sed etiam lectoris animum insigniter delectat, attentionem eius dirigit, memoriamque adiuvat; an non idem de historia sacra Apostolica nobis fatendum quoque erit? Ego certe non sine ingenti voluptatis sensu mecum perpendere soleo, quid magnus hic Apostolus, primo, quid deinde, quid ultimo, ex consilio Dei peregerit; a quibus initiis, ad maiora maioraque semper progressus, tantum Ecclesiarum in toto orbe

numerum Christo Domino collegerit, et Ecclesias collectas ad maiorem in dies perfectionis cumulum deduxerit, quibusque gradibus in perdifficili ac molesto laborum Apostolicorum curriculo processerit, et procedendo tandem gloriosissimam metam contigerit. Talis meditatio, et ad recte pernoscenda Pauli in Ecclesiam et rem Christianam universam ingentia merita, et ad celebrandam Gratiae Divinae in ipsum ad utilitatem publicam collatae magnitudinem, et denique ad formandam sibi perfectam consummatissimi Theologi ideam, non potest non conducere plurimum. Neque etiam ignorare possunt, qui ad studium exegeticum curas cogitationesque suas sollicite converterunt, quantum ex observato accurate rerum et temporum ordine, in libros Scriptorum Sacrorum, et in quaedam eorum loca, alioquin valde obscura, lucis redundare soleat. Bene igitur de Scriptura N. Testamenti mereri censendi sunt, qui vitas Apostolorum, ac sigillatim Pauli, ex ipsorum librorum sacrorum inter se comparatione curatius investigant, annos sedulo distinguunt, et quantum fieri potest, in quemvis acta illi propria coniiciunt. Extant de hoc argumento complures virorum doctorum iustae commentationes, laude, dignissimae; extant etiam observationes singulares, in libris sparsim reperiundae, ad quas tenues quasdam symbolas hic conferre animus mihi est.

§ 2. *Id inprimis usu venit in iis, quae Paulo post id tempus, in quo Lucas desinit, evenerunt.*

Et in iis quidem, quae Paulo post conversionem et susceptum Apostolatum usque ad finem priorum vinculorum Romanorum contigerunt, quaeque is, durante toto illo tempore, in honorem et pro salute Eccle-

siae

ſiae Chriſtianae geſſit, ducem habemus certum, B. Evangeliſtam Lucam, qui in Actis Apoſtolorum lucem clariſſimam nobis praefert, filumque veluti Ariadneum ſubminiſtrat, quod cum Pauli Epiſtolis iunctim et rite adhibitum, nos a vero aberrare non ſinit. Quid ab eo tempore Paulus egerit, *qua occaſione, quave ratione, vinculis ſolutus ſit, quid poſtea rerum et ubi geſſerit, ob quam rem dein Romam redierit, ibi condemnandus et capite plectendus*, hoc omne, inquit Theologus memoriae venerabilis, *Hermannus Witſius, ſi verum fateri volumus, prorſus in obſcuro eſt*, ideoque Diſſertationes ſuas *de vita Pauli*, nemini non laudatas, et bonarum obſervationum plenas, in fine priorum eius vinculorum Romanorum deſinere iuſſit. Nempe in ea perſuaſione fuit vir numquam ſatis laudandus, nullas ſupereſſe Pauli Epiſtolas, ab eo poſt priora illa vincula ſcriptas, ex quo ſane, ſi res ita ſe haberet, luculenter ſequeretur, rebus illis, quas Paulus, prioribus vinculis Romanis ſolutus, geſſit, nullam omnino nec ab hiſtoria ſacra, nec ab Epiſtolis Paulinis accedere poſſe lucem, adeoque omnia incerta eſſe et in obſcuro manere. Sed, quod pace viri praeſtantiſſimi dictum cupio, ſunt rationes nec numero paucae, nec leves pondere, quae me credere iubent, extare in Canone N. Teſtamenti quinque Epiſtolas, a Paulo poſt liberationem e vinculis Romanis ſcriptas, ex quarum attenta et meditata lectione pars illa hiſtoriae Pauli, eiusque itinerum et laborum, quam Lucas praetermiſit, non ſine aliquo certitudinis ſenſu, aliqua ratione reſarciri poteſt. Res haec, a *Pearſono* Anglo, in (*a*) *Annalibus Paulinis*, aliis-

(*a*) Editis inter Epiſcopi illius Opera poſthuma, Londini 1688. 4to, et recuſis Halae 1719. 8vo.

aliisque etiam non infeliciter tentata, digna utique eſt, quae porro nova cura expoliatur, uberius illuſtretur, et in tuto collocetur. Et in hoc argumento haec noſtra quoque verſabitur opera.

§ 3. *De vinculis Pauli Romanis, in quibus Lucas deſinit.*

Hiſtoria Pauli, quam Lucas in Actis Apoſtolorum contexuit, perducta ab eo eſt usque ad Apoſtoli e vinculis Romanis biennalibus exceſſum. Cum enim Cap. xxviii. retuliſſet, quomodo Paulus Romam advenerit, et qua ratione illic a Iudaeis exceptus fuerit, hunc hiſtoriae Paulinae et toti ſuo libro finem impoſuit: *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: et ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei, et docens Evangelium de Domino Ieſu Chriſto, cum omni fiducia, ſine prohibitione.* Haec enim erat ratio et indoles vinculorum Pauli, quibus Romae conſtrictus fuit, quamque Lucas exponit eod. cap. v. 16. Τῷ δὲ Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ, *Paulo vero permiſſum eſt, ut habitaret ſeorſim cum milite, qui ipſum cuſtodiret.* Vbi recte *Beza* haec obſervat: *Seorſim*, καθ' ἑαυτὸν, *non in publica cuſtodia, ſed in privato hoſpitio, quod ſibi videlicet conduxerat.* Quomodo vero Paulus, in proprio conducto, a milite ſecundum mores Romanorum cuſtoditus fuerit, ex his *Senecae* locis, a *Grotio* virisque eruditis aliis, obſervatum explicatumque eſt. *De Tranquillitate* Lib. I c. x. *Sed quid refert? eadem cuſtodia univerſos circumdedit: alligatique ſunt etiam, qui alligaverunt, niſi tu forte leviorem in ſiniſtra catenam putas.* Epiſtola v. *Eadem catena et cuſtodiam et militem copulat.* Nempe, verba adfero *Lipſii* in *Taciti* Annal. Lib.

Lib. III p. 140. edit. Plantin. *Cuſtodiae modus, ut is qui in noxa eſſet, catenam manui dextrae alligatam haberet, quae eadem militis ſiniſtram vinciret, cuſtodiae eius praefecti.* Catena illa erat longa, quo fiebat, ut vinctus commode, quo vellet, ambularet, et negotia pro lubitu perageret. Haec erat conditio vinculorum Pauli Romanorum, quam per integrum biennium, teſte Luca, perpeti debuit, quo elapſo, priſtina libertate in univerſum frui, datum ipſi eſt.

§ 4. *De liberatione Pauli ex vinculis, illiusque occaſione.*

Parum equidem noſtra refert, qua occaſione Paulus vinculis ſolutus fuerit, quod prorſus in obſcuro eſſe optimus *Witſius* iudicat. Sed ipſe tamen Paulus quaedam nobis ſubminiſtrat, ex quibus de cauſis et occaſionibus ſolutionis eius aliquid, non ſine magna probabilitatis ſpecie, coniicere licet. Et quidni ad iucundiſſimas vias Providentiae Divinae, Paulo in commodum et ſalutem Eccleſiae tam ſollicite invigilantis, earumque veſtigia luculenta hic attendamus? Paulus Romae quidem hoſpes tantum et peregrinus erat, amicis opulentis et potentibus, cum eo veniret, penitus deſtitutus. Munus quod in ipſum Chriſtus Dominus contulerat digniſſimum Apoſtoli, ipſum veris cultoribus Dei carum quidem et venerabilem reddebat; ſed et eidem odium ſuperſtitioſae plebis, et inſuper potentium in Imperio Romano, et ſapientium huius mundi contemtum ſummum adterebat. Ad gubernacula Imperii Romani ſedebat Nero, in quo praeter externam ſpeciem nihil humani inerat, rerum divinarum omnium deriſor, et cunctorum bonorum hoſtis iuratus, monſtrum ex vitiis et criminibus, et omnium maxime iniuſtitia et crudelitate conflatum,

cuius ſententia tamen Paulo ſtandum nunc erat. At vero, quia Deus miniſterio Pauli, in uberius Eccleſiae ſuae commodum, etiam porro uti decreverat, facile ipſi erat, omnia illa triſtiſſima omina in honorem Evangelii et Pauli ſalutem vertere. Teſtatur certe Paulus, ad finem iam properante biennio illo captivitatis, quo detentus fuit, *ea quae ſibi* Romae *acciderunt, ad maiora Evangelii incrementa feciſſe, adeo ut vincula eius celebria evaſerint in toto Praetorio, et locis reliquis omnibus, et pleresque ex fratribus in Domino, vinculis ſuis fretos, magis impavide ſermonem* Evangelii *loqui auſos fuiſſe*, Phil. 1. 12, 13, 14. Notus igitur erat Paulus in toto Praetorio, id eſt, Palatio Caeſaris, ita ut inter eius domeſticos haberet quoque diſcipulos et amicos, quorum nomine Philippenſibus ſalutem dicit, c. IV, 22. Neque adeo abſurda eorum mihi videtur coniectura, qui ſibi imaginantur, inter domeſticos Caeſaris Neronis, quos amicos et benevolos expertus fuerat Paulus, ponendam quoque eſſe *Poppaeam Sabinam*, quam non ita pridem connubio ſibi iunxerat Nero. Illi enim teſtimonium perhibet *Ioſephus* Antiq. Lib. XX. c. 7, quod fuerit θεοσεβὴς, *Deum colens*, quo nomine Iudaei, Graece ſcribentes, uti et (*b*) ſcriptores N. Teſtamenti, deſignare ſolent *Proſelytos*, quos vocant *portae*, qui nempe, dimiſſo idolorum cultu, unum verum Deum adorabant, et ad ſervanda praecepta Noachica ſemet obſtringebant. Teſtatur idem auctor de Poppaea Sabina, quod Iudaeis impenſe faverit, et res eorum, ubi ſe obtulit occaſio, ſtrenue promoverit. Fieri utique potuit, ut a Iudaeis credentibus, (Act. XXVIII 24.) Apoſtolus noſter commendaretur Poppaeae, et haec,

(*b*) Vid. *Ioſ. Medi* Diatribas Vol. I p. 88, 89, etc.

haec, etsi moribus esset non omnino probatissimis, ipsi favorem Imperatoris conciliaret. Quomodocumque vero res haec se habuerit, de eo vix dubitandum esse videtur, amicos Pauli, quos habebat in domo Caesaris, auctoritate sua ipsi solutionem a vinculis, et libertatem plenam impetrasse. Perficilid tanto facilius poterat, quod Paulus aliorum criminum convinci a nemine posset, nisi dissensus a reliquis Iudaeis, in nonnullis doctrinae capitibus, et cultus sacri ritibus. Quae omnia quanto supercilio Romani despexerint, quam contemtim habuerint, vel ex illa sententia satis perspici potest, quam Gallio, Senecae frater, Achaiae Proconsul, adversus Pauli delatores, Iudaeos, aliquando tulit: *Si de facto quopiam iniusto et sceleste commisso quaestio esset, aequum esset, ut vos paterer, quantum velletis, dicere. Quando vero agitur de disputatiunculis, et verborum pugna, et lege vestra peculiari, vos ipsi videritis; ego iudicium de his rebus ferre nolo. Et abegit eos a tribunali*, Act. XVIII. 14, 15, 16. Quis ambigat, eamdem omnino fuisse mentem eorum, quos Paulus Romae, si causa eius illic fuisset examinanda, iudices habiturus erat.

§ 5. *Paulus vinculis solutus* A. C. 63. *per Italiam iter in Graeciam instituit, et in hoc itinere ad Hebraeos scribit.*

Vinculis Romanis exsolutus Paulus, secundum calculos *Pearsoni*, quos sequor, A. C. 63. iter sibi per Italiam in Graeciam et Iudaeam instituendum esse putavit, quod ex Epistola ad Hebraeos, in itinere Italico exarata, indiciis non obscuris colligitur. De Epistola ad Hebraeos, quia ad eam perventum nunc est, lites antiquas, dudum iam sopitas [*] et compositas, resu-

[*] Sed vide tamen *I. D. Michaelis* Introd. in N. T. t. II p. 1386—1395. ed. nov. Germ. et recentiores Epist. interpretes.

ſuſcitare hic nolim. Certum pono, quod (c) viri egregie docti argumentis evidentibus demonſtratum dederunt, Paulum eſſe verum Epiſtolae huius auctorem, eumque ad fratres ſuos, Iudaeos in Palaeſtina, ſermone non Hebraico, ſed, qui etiamnum ſupereſt, Graeco, ſcripſiſſe. Video quidem ita ſentire plerosque, ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam a Paulo Romae, eo tempore, quo vinculis conſtrictus, etiamnum in urbe illa detinebatur, idque ex eo probari, quod Paulus Hebr. x. 34. cum intimo gratitudinis ſenſu agnoſcat, Hebraeos cum vinculis ſuis compati. Verum profecto, verba illa attente legenti non poteſt non illico manifeſtum fieri, loqui Apoſtolum, de re non praeſenti, ſed praeterita, τοῖς δεσμοῖς μου συνεπάθησατε, *de vinculis meis mecum doluiſtis*, nempe, dum adhuc perferenda mihi erant. Monendum porro, Codd. MSS. non paucos, apud *Millium*, talem praeferre lectionem, τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε, *doluiſtis cum vinctis*, quod pietatis officium illis ipſis Hebraeis commendatur, Hebr. XIII. 3. Lectionem hanc, quae *Grotio* valde probatur, videntur etiam in Codicibus ſuis inveniſſe interpretes Syrus et Aegyptius, et Latinus vulgatus. Neque inficias ire poſſumus, a veterum plurimis verba haec ad iſtum modum laudari. Licebit igitur nobis ex loco iſto potius concludere, Paulum ſcribentem ad Hebraeos, aut vinculorum ſuorum mentionem plane nullam facere, ſecus atque eum egiſſe novimus in omnibus illis Epiſtolis, quas in vinculis Romanis ſcripſit, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad

(c) Conſulendae ſunt inprimis *Frid. Spanhemii Fil.* Diſſertationes *de auctore Epiſtolae ad Hebraeos*, Opp. Tom. II. col. 171, etc., cuius rationes eleganter contraxit *Witſius* in Diſſert. XII *de vita Pauli in Meletem*. Leidenſ. p. 199 etc. [*].

[*] Inngantur *Hallettus* in Curis *Welſii* in N. T. tom. IV. p. 806—831, *Storrius*, *Erneſtius*, alii.

ad Coloſſenſes, ad Philemonem, et ad Timotheum ſecunda, aut eum calamitatis huius meminiſſe, tamquam quae iam praeterierit. Non meliori iure, eruditi iidem ex Hebr XIII 18, 19, ubi Paulus ſe Hebraeorum precibus eo commendat, ut tanto citius ipſis reddatur, elicere volunt, Paulo haec ſcribenti, vinculis quippe adhucdum ligato, liberum nondum fuiſſe, ex voto ſuo Hebraeos inviſere. Nam huius rei contrarium diſertis verbis teſtatur capitis eiusdem v. 23. Paulus. Sed iſtum ex piis precibus Hebraeorum fructum Paulus ſibi promittit, fore, ut cogitata et coepta Deus clementiſſime ſecundet, et impedimenta, quae ſibi iter facienti obiici poterant, e medio tollat. Quibus attente conſideratis, non poſſum non adſtipulari doctiſſimo *Pearſono*, qui in *Annalibus Paulinis* ad A. C. 63. haec obſervat: *Paulus Roma exiit, et in Italiam proprie dictam ſeceſſit, ubi expectans Timotheum ſcripſit Epiſtolam ad Hebraeos.* In quam ſententiam concedit etiam *Millius* Prolegom. in N. Teſtam. fol. x. Certe Paulus in illa Epiſtola non meminit fratrum, ſociorum et amicorum, quos Romae habebat, quod ceteroquin ipſi ſolemne fuiſſe, ſciunt omnes, ſed tantum Italicorum: *Salutant vos de Italia fratres*, Hebr. XIII. 24, nempe quos in itinere ſuo recentiſſime viderat, et qui hoc ſalutandi fratres officium ipſi nunc modo commendaverant. Eodem cap. v. 23. Hebraeos ſuos certiores reddit, τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, *fratrem Timotheum vinculis exſolutum* eſſe, nempe Romae, ubi, paulo ante liberationem Pauli, aliquamdiu, incertum qua de cauſa, in cuſtodia militis fuerat, eiusque adventum ſe nunc operiri ſignificat, ut cum eo iter ad ipſos proſequi poſſit. Haec enim addit, *cum quo, ſi modo cito adfuerit, vos videbo.* Haec omnia ſatis teſtantur, Paulum, cum ad Hebraeos ſcriberet, in Italia proprie di-

dicta haesisse, et Timotheum Roma ad se properaturum expectasse, ut tum in eius comitatu ad Hebraeos contendere posset. Non latuit hoc auctorem subscriptionis, quae Epistolae ad Hebraeos, in nostris Codd. et editionibus, subiicitur, his verbis conceptae: *Scripta est Epistola ad Hebraeos ex Italia.* Interpres Aegyptius habet, *in Italia*, Syrus, *ex Italia Romana*; qui omnes sententiam nostram suo suffragio commendant.

§ 6. *Explicatur, quinam sint Hebraei illi, ad quos Paulus scripsit.*

Quinam sint Hebraei illi, quibus Apostolus Epistolam suam inscriptam voluit, difficile non est assequi, tametsi quaestio etiam haec eruditos in diversas partes distraxerit. Et de eo quidem nemo ambigit, per Hebraeos intelligi illos ex Abrahami posteris, qui, audita praedicatione Evangelii, fidem Christi amplexi erant, et ad coetum discipulorum eius se adiunxerant. Enim vero cum illi et coetum Hierosolymae haberent amplissimum, et praeterea per Iudaeae totius urbes, per Syriam, Asiam, Persidem, omnesque Imperii Romani Provincias dispersi essent, anquiri solet, utrum ad hos omnes quaquaversum, an ad aliquos eorum tantum, Epistolam suam auctor direxerit. Hic iam id extra omnem dubitationis aleam positum esse debet, scribere ad eos Apostolum, quos viderat, inter quos docuerat, quos familiari usu cognitos habuerat. Nam sperat *se brevi ipsis restitutum iri*, Hebr. XIII, 19, et desiderio tenebatur enixo eos videndi, ibid. v. 23. Potestne igitur obscurum esse cuiquam, primarium huius Epistolae respectum esse ad Hebraeos Hierosolymitanos conversos, inter quos ad pedes Gamalielis educatus fuerat, Act. XXII. 3, quorum Ecclę-

cleſiam, ut matrem reliquarum omnium per totum orbem, enixe colebat, quos ſive praeſens eſſet, ſive abſens, in oculis ſuis et in ſinu geſtabat, ad quos ſublevandos et ſolamine aliquo recreandos, peragraverat Aſiam, Macedoniam et Graeciam, ut in his et aliis quoque regionibus, ſive ipſe coram, ſive per ſuos in opere Domini laborum ſocios, ex liberalitate Eccleſiarum, idoneam pecuniae vim corrogaret, quam ipſe Hieroſolymam deportare, et dilectiſſimo ſibi gregi tradere cupiebat, Act. XIX. 21, Rom. XV. 25, 26, 1 Cor. XVI 1, 2, 3. Appulerat etiam eo ſine Hieroſolymam Apoſtolus, ut cogitata exſequeretur, ipſosque omni ſolatii, quo egebant, copia perfunderet, cum ecce, aliter rem dirigente Deo, inter primos amplexus a cariſſimis fratribus divulſus, Caeſaream primo ligatus, et exinde Romam deductus fuit. Itaque ſolutus iam vinculis, ante omnia Hebraeos ſuos Hieroſolymitanos reviſere, et, quae ante quinque circiter annos, propter iniquitatem temporum, interrumpenda fuerant, nunc perficere decreverat. Idque luculenter ſignificat Hebr. XIII. 19, *Precamini pro me, ut tanto citius vobis reſtituar*, vel, *ut negotium meum apud vos cito* (*d*) *in priſtinum ſtatum reſtituatur*. Alia argumenta, ex Epiſtola ipſa pariter a viris doctis acute eruta, et id ipſum, quod adſtruxi, egregie confirmantia, nunc, ne in nimium excreſcant hae pagellae, libenter omitto. Etſi igitur fatendum omnino ſit, Hebraeos, quos in Epiſtola Paulus compellat, intelligendos omnium primos eſſe Hie-

(*d*) Haec enim eſt vera vis vocis in Graeco textu occurrentis ἀποκαθίστημι. Vide *Budaei* Commentarios linguae Graecae pag. 487. edit. Pariſ., *Edu. Leigh* Criticam Sac. in h. v. et alios probatorum Lexicorum auctores.

Hierosolymitanos; nolim tamen id tam arctis limitibus circumscribere, ut alii credentes in Christum ex Hebraeis, qui in diversis Iudaeae, sicuti et Syriae et Asiae minoris urbibus domicilium habebant, et quibus in iisdem illis locis Apostolus Evangelium maximo cum fructu praedicaverat, hic excludantur. Magnum apud me pondus habet testimonium Petri Apostoli, Hebraeis his in memoriam revocantis literas, quas ad ipsos quondam Paulus scripserat, 2 Pet. III. 15, 16. Quamobrem non invitus subscribo iudicio, quod in hac causa tulerunt doctissimi interpretes Gallici Berolinenses N. Testamenti, quodque in Prolegomenis eorum ad Epistolam ad Hebraeos p. 436. hunc in sensum legitur: *Credimus Epistolam hanc a Paulo perscriptam fuisse ad Hebraeos Hierosolymae et in Palaestina degentes. --- Sed et ita iudicamus, non cum his solis Apostolo scribenti negotium fuisse, verum cum omnibus generatim, quibus Evangelium praedicaverat, in Syria, et in Asia quoque minori, quosque revisere decreverat. Est igitur Epistola haec re ipsa encyclica, missa primo in Iudaeam, sed deinde iussu Pauli cum ceteris quoque Hebraeis, apud quos Evangelium annunciaverat, communicanda.* Et profecto omnium hic aequaliter causa agebatur, omnium pariter quam maxime intererat, rerum Epistola hac ad Hebraeos propositarum gravissima momenta mente attenta volvere et revolvere, ac tenaci semper memoria complecti.

§ 7. *Paulus ex Italia non transiit in Hispaniam.*

Ex iis, quae de Epistola Pauli ad Hebraeos disputavimus, sic iam satis constare potuit, quonam Paulus, Roma per Italiam iter faciens, contendere porro in animo habuerit. Nempe Hierosolymam cogitabat, vo-

volebat repetere Iudaeam, ardebat desiderio revidendi beatos illos in Syria quoque et Asia coetus, quos aut per gratiam Dei plantaverat, aut labore indefesso, Deo incrementum benignissime concedente, irrigaverat, et qui nunc tempore afflictissimo, consolatione, adhortatione, et corroboratione in fide et pietate quam maxime indigebant. Si tamen B. *Clementem Romanum*, virum Apostolicum, et a temporibus Pauli non ita remotum, audiamus, Apostolus noster discedens Roma, iter suum non in Orientem, sed vice versa in Occidentem, Hispaniam videlicet, direxit. Ita enim verba eius in Epistola 1 ad Corinthios § v. accipiuntur, ubi de Paulo ait, quod ὅλον τὸν κόσμον καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως (ἦλθεν), *mundum totum peragraverit, et ad terminum Occidentis venerit.* Nam per *terminum Occidentis* designari Hispaniam, et res ipsa loquitur, et (*e*) veterum consensus declarat, qui auctoritate *Clementis* permoti, crediderunt, Hispaniam quoque laboribus et doctrina Pauli illustratam fuisse. Nec desunt, qui verba *Clementis* sensu adhuc laxiori et ampliori accipientes (*f*), Britanniae quoque insulam comprehendere hic velint. Sed quae de Britannia dicuntur, profecto omni

(*e*) Loca ipsorum citata et producta videri possunt in *Pearsoni Annalibus Paulinis* ad A. C. 63, *Cavei Antiquitatibus Apostolicis* in vita Pauli c. VII § 7. p. 420, 421. edit. Germanicae, *Baronii Annalibus* ad A. C. LXI. num. II, III, etc.

(*f*) Horum loca producuntur a *Guilielmo Burtono* in Observationibus Anglicis ad Epistolam Clementis. Londini A. 1647. editis, num. XI. p. 54, 55. Adde *Vsserii Antiquitates Ecclesiarum Britannicarum* cap. I, et *Cavei Antiquitates Apostolicas* loc. cit.

omni prorſus non veritatis modo, ſed et veroſimilitudinis qualiscumque fundamento deſtituta ſunt. Nam *Clemens* per *terminum Occidentis*, nihil quicquam niſi Hiſpaniam ſubinnuere voluit, quod omni procul dubio vir ſanctus ſibi ab ipſo Apoſtolo accepiſſe viſus eſt, ut qui ad Romanos ſcripſiſſet c. XV. v. 24: *Cum in Hiſpaniam proficiſci coepero, ſpero quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero*, et v. 25, 28: *Nunc igitur proficiſcar Hieroſolymam, ut ibi ſanctis miniſtrem. Et hoc cum perfecero --- per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Ex eo ſic collegerat optimus *Clemens*, Paulum, qui re ipſa Hieroſolymae fuiſſet, et poſtea Romam, quantumvis ligatus, perveniſſet, e vinculis dimiſſum, deinceps cogitatorum et promiſſorum memorem in Hiſpaniam pedem promoviſſe. Et huic id crediderunt veteres reliqui. Verum in Epiſtola ad Hebraeos, ſcripta ab Apoſtolo brevi poſt quam Romanis valedixiſſet, nulla iam amplius Hiſpaniae mentio deprehenditur. Cogitationes Apoſtoli omnes tum in Hebraeos intentae erant et defixae, illos quam primum videre animus nunc unice geſtiebat. Videor mihi ex Epiſtolae illius c. XIII. 19. veram Apoſtoli noſtri mentem et intentionem ſic colligere poſſe. Conſilia, quae mente ſua olim agitaverat, et rerum, quas in emolumentum Eccleſiae peragere intenderat, curſum perturbaverant vincula, quae in Iudaea ipſi iniecta, et Romae continuata fuerant. Illum curſum interturbatum de novo exordiri, et res ſuas in priſtinum ſtatum reſtitui cupiebat, ideoque nihil ipſi iam prius aut potius erat, quam ut Hebraeis ſuis in Palaeſtina et Hieroſolymae redderetur. Ceterum, ne quis mihi auctoritatem *Clementis*, viri temporibus Paulinis proximi, obiicere poſſit, monebo paucis, hiſtoriam horum temporum, ab anno videlicet 63 et 64 Chriſti

Christi usque ad annum 120, propter persecutiones Iudaeis in Palaestina, et Christianis ubique intentatas, atque dispersiones Christianorum multiplices, adeo obscuram et incertam esse, ut mirum non sit, *Clementem* rumore aliquo populari, sed falso, in erroris societatem pertractum fuisse.

§ 7. Ex Italia Paulus videtur delatus esse in Cretam, et exinde in Iudaeam.

Pearsonus, cuius accurationi et iudiciosis observationibus me multum debere, ultro et libenter fateor, auctoritate veterum inductus, Paulum ex Italia in Hispaniam deducit quidem, sed moram eius in istis oris nonnisi brevem agnoscit. Nam concipit, eodem anno Christi 63, Paulum Romae et vinctum fuisse, et vinculis solutum, et in Italiam secessisse, et deinde in Hispaniam profectum esse, ac ultimo in Cretam navigasse. Haec enim, in Annalibus eius, actis anni 63. finem imponunt: *Paulus navigat in Cretam.* Postremum hoc veritati et genuino ordini actorum Pauli prorsus consentaneum esse opinor. Id largiuntur omnes, Paulum aliquando profectionem in Cretam instituisse, et in laudibus eius hanc quoque ponendam esse, quod florentem illam Insulam salutari Evangelii luce primus imbuerit. De eo enim testatur ipse ad Titum I. 5: *Eius rei gratia te in Creta reliqui, ut, quae adhuc deerant, perficeres, et in urbibus Presbyteros ordinares.* Itaque Paulus in Creta Ecclesias Christo Domino colligere coeperat, et operis tam salutaris atque glorioſi consummationem Tito suo demandaverat. Qui hoc contigisse ante vincula Pauli Romana priora hariolantur, coniecturis meris et puris indulgent, quae probabilitatis nihil habent, et se in

dif-

difficultates conficiunt, ex quibus extricare se non possunt. Lucas in Actis, profectionis Paulinae in Cretam institutae, et verae religionis illic plantatae, quod tamen operae pretium ferebat, nullam prorsus mentionem iniecit. Et ordo quoque rerum a Paulo gestarum, quem Lucas describit, talis est, ut cum hac eius profectione in Cretam, et cum eiusdem hiematione Nicopolitana, de qua ad Tit. III. 12, amice conciliari nequeat. Sed omnia bene se habebunt, et nulla ne vel levissima quidem supersse poterit difficultas, si Acta Pauli Cretica, inter vincula eius Romana priora atque posteriora intermedia locemus. Cum Paulus ex Palaestina vinctus navi in Italiam veheretur, in unum alterumve Cretae portum appulit, et si per ipsum stetisset, in illa Insula tum hibernasset, id quod tamen a Centurione, in cuius custodia erat, impetrare non potuit, Act. XXVII. 7, 8, etc. Quoniam vero, uti dicebam, in uno alterove portu moram aliquam fecerat, atque tum forte inaudiverat, quanta pace et libertate Iudaei illic locorum frueren-tur, Tit. I. 10, intellexit facile, sibi, aut potius Evangelio, in Insula illa uberem messem paratam esse, cuius memoriam, uti erat semper gloriae Dei et salutis hominum promovendae cupidissimus, animo suo excidere passus utique non est. Credibile est, Apostolum nostrum, intentissimo mentis desiderio ex Italia ad Hebraeos suos festinantem, eamdem tenuisse viam, quam ex Iudaea in Italiam profecturus, emensus iam erat, adeoque in reditu similiter in Cretam appulisse, et forte ibi hiemem negotio, quod meditabatur, salutari impendisse. Aut si cursu non interrupto, tum quidem recta in Palaestinam delatus est, facile ipsi postea erat, ex Palaestina aut Syria in Cretam excurrere, ut mente olim conceptum pium et glorioſum opus in actum tamdem deduceret. Vbi re-

licto

licto in universum Oriente, per Graeciam Paulus in Italiam reverti voluit, alia plane via usus est, quod sequentia planum facient. Non commodius igitur Actis Pauli et Titi Creticis, quam id quod diximus, assignari poterit tempus, A. C. videlicet 63 vel 64.

§ 9. *A. C. 64. Coetus Ecclesiarum in Palaestina, Syria, et Asia minori invisit.*

Inter tot molestos quidem, sed et auspicatos labores, a Paulo in ornamentum et incrementum rei Christianae omnis, in commodum et aedificationem tot Ecclesiarum, ad corroborationem e consolationem tot piorum hominum, Romae, in Italia, in Creta, et, forte etiam in Iudaea, exantlatos, transactus est annus 63. aerae vulgaris Christianae. Qui iam sequitur annus 64. multo magis turbulentus, rebusque tum Hebraeorum in Iudaea, tum Christianorum, Romae, in Italia, et, quod incredibile non est, in imperio Romano quaquaversum, tristis vehementer et flebilis exitit. Nam quod ad Iudaeos attinet, illi, durante adhuc pacis nomine et aliquali specie, mala belli pene omnia et acerbissima quidem hactenus pertulerant. Tanta iniquitate, tam indignis modis, a Procuratoribus Romanis erant oppressi et veluti exhausti, tot caedes, rapinas et consimilia mala, sicariorum crudelis ferocitas, ubique per totam regionem post se traxerat, in tot angustias furor Zelotarum in populo, et deploranda dissidia intestina, totam Rempublicam Iudaicam coniecerant. Omnibus his malis cumulum ultimum adiecit Gessius Florus, Albino Procuratori Romano, hoc ipso anno Successor datus, de quo *Tacitus* Histor. Lib. v. c. 10: *Duravit patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum Procuratorem. Sub*

LIBRARY OF THE BOMBAY SOCIETY

eo bellum ortum. Ab hoc tempore itaque, in Iudaea omnia tumultus respirabant et bellum, quod biennio fere post in apertam flammam erupit. Haud laetae magis et pacatae erant res Christianorum, adversus quos, eodem illo anno, Romae persecutionem atrocem auspicatus erat Nero, quod sane inimicis ipsorum, ubique terrarum, quidvis adversus eos audendi et animum et facultates addidit. Quid temporibus adeo miseris, quae, si quodquam aliud, diligentia, patientia, fidelitate et zelo magni nostri Apostoli indigebant, egerit, non tam ex scriptis ipsius certo scimus, quam potius probabili ratione coniicimus. Ex Epistola ad Hebraeos c. XIII. 23. intelleximus, animum fuisse Paulo, fratres suos, Hierosolymae viventes, sed et per Iudaeam totam, Syriam, Asiamque minorem dispersos, comite Timotheo revisere. Dubio vix locus est, quin consilium istud, currente anno 64, ex animi sententia perfecerit, animosque credentium in Iudaea, multa ac vehementi anxietate et sollicitudine afflictos, ad pie in Christo vivendum, et ad fortiter quaevis propter nomen eius patiendum, omni mentis contentione et affectu adhortatus fuerit. Quod qua ratione aggressurus fuerit, ex Epistola eius ad Hebraeos non inaniter colligimus. Ex Palaestina et Syria, de quo non magis dubitare licet, transiit ad Hebraeos in Asia minori degentes, revidit coetus, quos olim tanto cum fructu in doctrina pietatis salutari erudierat, salutavit quoque Colossenses, sibi de facie hactenus non cognitos, sed quorum tamen videndorum et desiderio et spe certa ab aliquo tempore tenebatur, quod testatus fuerat Philemoni, Ecclesiae Colossensis Episcopo, Philem. v. 22. Et his omnibus peractis, Ephesum perrexit, ut post salutatum illic carissimum sibi Ecclesiae Ephesinae coetum, iter suum in Graeciam persequeretur.

§. 10.

§. 16. *Paulus A. C. 65. pervenit Epheſum, et poſt moram aliquam, illic Timotheum reliquit.*

Qui miſerandam infelicium horum temporum conditionem recte perſpectam habet, mihi non gravate largietur, Paulo, vaſtas illas Iudaeae, Syriae et Aſiae minoris, Provincias peragranti, et Eccleſias Chriſtiani nominis numeroſas in his Provinciis paterno et Apoſtolico affectu luſtranti, tantum ubique negotiorum, occupationum, et curarum obiectum fuiſſe, ut minus quam unius anni ſpatium obambulationi iſti vix aſſignari queat. Concedendum itaque erit, Paulum ſanctae huius peregrinationis curriculum abſolviſſe exeunte anno 64, aut ineunte 65, quo cum Timotheo ſuo Epheſum pervenit. Obtigit itaque Paulo exoptata illa felicitas, cuius ſpem, ante ſeptem annos, cum Presbyteris Epheſinis Mileti valedixiſſet, plane abieceratⁱ, ut cariſſimos ſuos Epheſinos, quos tot laboribus et doloribus Chriſto Domino parturiverat, quosque tanta cura et induſtria in doctrina fidei et pietatis enutriverat, revidere, et ſeſe cum illis in Domino oblectare potuerit. Verum tamen ſanctum hoc Pauli in Domino gaudium permultis cogitationibus moleſtis et ſollicitudinibus non mediocriter temperatum fuiſſe, facile intelliget, quisquis praedictiones Pauli de ſtatu Epheſiorum, Actor. xx. 29. 30, cum epiſtola illius poſtea ad eosdem conſcripta et duabus ad Timotheum Epheſi degentem directis, accurate contulerit. Conſideranti haec obſcurum eſſe non poterit, quantum iam illo tempore infelicis zizaniae tritico genuino et laeto inter Epheſios admixtum, et quantum paleae, foeni ac ſtipulae, fundamento ſolido, ab Apoſtolo illic laborioſiſſime poſito, ſuperinductum iam fuerit. Itaque res haec tanti ponderis, in qua

ſalus, non tantum Eccleſiae tam illuſtris Epheſinae, verum et multarum aliarum, quam maxime vertebatur, novos utique Pauli indefeſſosque labores, nova certamina, novas curas et ſollicitudines, novas et concatenatas vigilias, multumque temporis ſibi deposcit. Quis credat, Apoſtolum hoc omne, aut neceſſitatibus urgentiſſimis Eccleſiae Epheſinae, aut intentiſſimo ſuo in eam affectui, denegare vel voluiſſe vel potuiſſe? Liquet certe ex 1 Tim. 1. 19, 18, eum, In Eccleſia Epheſina, ut aliis terrorem incuteret, in haereticis quibusdam maledicentiae et pertinaciae invictae, Hymenaeo et Alexandro, actum auctoritatis et ſeverae disciplinae Apoſtolicae exercuiſſe, quamquam dubitari poſſit, utrum id a Paulo Epheſi praeſente, an vero abſente, poſtea in Macedonia, factum fuerit. Vid. § 14. Inſumſit igitur et hic partem temporis non ignobilem, quinimo poſtquam, rerum neceſſitate id exigente, Epheſo in Macedoniam diſceſſiſſet, amori tamen ſuo in gregem ſibi adeo carum tenerrimo usque adeo reſiſtere non potuit, ut priusquam oras has in univerſum relinqueret, iterato adhuc Epheſios ſuos reviſeret, ultimumque vale illis tum diceret, quod in ſequentibus docebitur. Interea cum Paulo nunc pes Epheſo aliorſum eſſet promovendus, cavit tamen, ne ex diſceſſu ſuo Eccleſia aliquid pateretur detrimenti, ideoque Timotheum ſuum illic permanere iuſſit, uti non ita pridem ante Titum in Creta, qui res omnes auctoritate ſua ad priſtinum ordinis, pacis et aedificationis ſtatum reduceret, maluitque ipſe ſuavi contubernio tam cari et ſancti capitis carere, quam Epheſios ſuos conſilio et auxilio tanti viri, tempore perdifficili, orbare. Ea de re Apoſtolus ipſe ad Timotheum ſic ſcribit: *Rogavi te, ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent*

etc.

etc. 1. Tim. 1. 3. Haec enim satis docent, Paulum, relictis Hebraeis suis, Colossensibus, ceterisque Asianis, perveniisse Ephesum, ibique affatim negotiorum reperisse, quae, cum diutius illic manere non posset, perficienda concredidit Timotheo. Epistolam vero hanc ad Timotheum, ista respicere, de quibus nunc loquimur, tempora, mox liquido probabitur.

§ 11. *De rebus Ephesinis illius temporis quaedam observantur.*

Quia de rebus Ecclesiae Ephesinae huius temporis aliquid delibavi, exponere mihi liceat, quae ista meditanti in mentem venerunt. Et primo quidem observasse non iniucundum erit, laboribus Pauli, qui Ecclesiam Ephesinam tanto studio plantaverat, et tam sollicita industria et ipse et per alios continuo, veluti irrigaverat, Deum quoque benedictionem ubertimam, et laetissimum incrementum addidisse. Etenim cum sub ultima Pauli tempora, in illustrem illam Ecclesiam, lupi rapaces, Pseudo-prophetae, doctores mendaciorum et errorum, furtim se insinuassent, ac fidei piorum, et puritati cognitionis eorum insidias struxissent vehementer metuendas, curis tamen et vigiliis Pauli atque Timothei effectum tamdem est, ut malum tantum feliciter cum ipsa radice evelleretur, et fidei rectitudo illibata conservaretur, cuius rei testem habemus *Iohannem* Apostolum Apocal. 11. 2, 3, 6; et *Ignatium* Antiochenum, a temporibus Iohannis non ita remotum, cuius *Epistola ad Ephesios* immortale quoddam genuinae ipsorum fidei et veraa pietatis monumentum censenda est. Si porro acta Pauli et Timothei Ephesina accurate ab omni parte versq, aliter quam sic statuere non possum, *Iohannem* Apostolum,

lum; nullas adhucdum illo tempore Epheſi, et in Eccleſiis Aſianis, obiiſſe doctoris partes, quod eum poſtea feciſſe certiſſimum eſt. Aliis rationibus id ipſum docte et egregie probavit B. *Lampius* in Prolegom. ad Iohannem L. 1. c. 111. §. 7, 9, 10, quibus id, quod hic proferimus argumentum, novum pondus adiicit. Quid quaeſo opus fuiſſet Paulo, ut discedens Epheſo, propter infelicitatem et difficultatem illorum temporum, Timotheum poſt ſe relinqueret, ſeque conſortio eius ſuaviſſimo ipſe privaret, ſi aut Epheſi, aut in vicinia adfuiſſet Iohannes? An non tanta erat magni illius Apoſtoli et ſapientia et auctoritas, ut malis, quae Eccleſiam Epheſinam turbabant, medelam idoneam parare potuiſſet? Praeterea in duabus Epiſtolis, quas Paulus ad Timotheum perſcripſit, dum is haereret Epheſi, nullam omnino Iohannis mentionem fieri videmus, et id ab Apoſtolo, qui in ſalutandis fratribus ea amicis usque adeo diligens et prolixus eſt. Salutem ſane nominatim Epheſiis quibusdam dicit, 2 Tim. IV. 19, at de Iohanne altum ſemper et pertinax fuit ſilentium. Idem illud ex Epiſtola ad Epheſios luculentiſſime confirmatur, de qua ſuo loco. Quidnam non hoc indicio luculentius eſt, Iohannem tum ab iis regionibus etiamnum abfuiſſe?

§ 12. *Eodem anno 65. Paulus in Macedoniam proficiſcitur.*

In eumdem A. C. 65. videtur mihi profectio Pauli Macedonica coniicienda eſſe. Nam Epheſo relicta, quod vidimus §. 10, traiecit in Macedoniam, haud dubie eo animo, ut Eccleſias in illa Provincia, ſtudio ſuo Chriſto Ieſu collectas, ampliſſimas et florentiſſimas, Philippenſem, Theſſalonicenſem, Beroeenſem, alias

aliasque adiret, ac verbi Divini virtute potenti recrearet. Philippenſibus, qui per delegatum ſuum Epaphroditum eum Romae ſalutaverant, et munificentia ſua refocillaverant, multa cum tenerrimi amoris demonſtratione id promiſerat, Phil. 1. 8, 25, 11. 24. Poteſtate igitur nunc ſibi facta pleniſſima, fidem datam liberavit, ſuoque et illorum deſiderio mutuo ſatisfecit. Quamvis autem fatendum omnino ſit, Paulum Philippenſes, optime, ſi quiquam alii, de ſe meritos, affectu prorſus ſingulari proſecutum fuiſſe, nemo idcirco alios in Macedonia fidelium greges excluſerit, quippe quos omnes Chriſto Domino per Evangelium pepererat, quos amore paterno et cura Apoſtolica aluerat ac foverat, et qui omnes opem eius et tutelam paſtoralem flagitabant. Quod uni promiſit, id omnibus ſervavit atque praeſtitit. Ceterum, quando Paulus, Epheſo abiens, curſum in Macedoniam direxit, omnino credibile eſt, eum et nunc eo itinere perrexiſſe, quod ſemper ſervare ſolitus eſt, quoties ex Aſia in Macedoniam, aut ex Macedonia in Aſiam traiicere voluit. Epheſo nempe Troadem petiit, et Troade in oppoſitam Macedoniam ſolvit. Vide Actor. XVI. 11, 12, XX. 4, 6. Quod eo tantum moneo, ne quis ſuſpicetur, Paulum nunc forte iter in Cretam ſuſcepiſſe, de quo § 8.

§ 13. *A. C. 65. ſcripta eſt Epiſtola* 1 *ad Timotheum e Macedonia.*

In Macedonia, quod multa ſuadent, Apoſtolus noſter anno hoc 65. primam ad Timotheum Epiſtolam perſcripſit. Nam in ea loquitur de itinere ſuo Epheſo in Macedoniam ſuſcepto, et de Timotheo Epheſi relicto, 1 Tim. 1. 3, ut *de re nuper geſta*, quod bene monet *Lud. Cappellus* in *Hiſtoria Apoſtolica il-*

luſtrata p. 74, etſi ab illa ratione temporum, quam hic in eo, vehementer diſcrepet. Cenſet namque, Epiſtolam 1 ad Timotheum ſcriptam fuiſſe multo ante priora Pauli vincula Romana, cui ſententiae applaudunt etiam *Salmaſius* in Apparatu ad Primatum Papae p. 38, 41, et magnus Scripturae interpres, *Coccejus*; ſed reclamante apertiſſime genuina hiſtoria Apoſtolica. Ex Epiſtolae enim 1 ad Timotheum loco cit. intelligitur, Paulum eo tempore Epheſo petiiſſe Macedoniam, Timotheo poſt ſe relicto, quod in nullum tempus, vinculis Romanis prius, congruere poſſe, iam dudum vere et recte obſervavit *Beza* ad 1 Tim. 1, 3. idque multis docte et prorſus invicte probavit (g) *Pearſonus* Diſſertat. 1. *de primis Epiſcopis Romanis* cap. IX, in Opp. poſthumis p. 75, 76. Omnia nos iubent cogitare de tempore aliquo, quod vincula Pauli Romana priora inſecutum eſt. Poteſt etiam hoc non immerito urgeri, Paulo, cum Presbyteris Epheſinis Mileti valediceret, nondum aliquid de doctoribus errorum et mendaciorum in ipſorum coetu cognitum fuiſſe; ſed eum hac de re loqui, ut aliquanto poſt futura, Act. XX. 29, 30, 31. At vero in Epiſtolis ſcriptis ad Timotheum, teſtatur Apoſtolus, adeſſe iam lupos illos rapaces, optimo Epheſiorum coetui valde pertimeſcendos, adverſus quos omni prudentia, omni ſtudio, induſtria et vigilantia, Timotheo decertandum ſit. Igitur Epiſtolam ad Timotheum, etiam priorem, compluribus annis, eo tempore, quod volunt viri eruditi, poſteriorem eſſe, conſequitur. Denique et hoc animadverſio-

(g) Conſuli hic etiam poteſt Interpretum N. Teſtamenti Gallicorum Berolinenſium Praefatio in 1. Epiſt. ad Timotheum, p. 348.

ſione dignum eſt, Epiſtolam ad Timotheum utramque in eodem fere verſari argumento, ut nempe ille edoceatur, quomodo munere Doctoris Apoſtolici, ad tempus ſibi in Eccleſia Epheſina concredito, ad gloriam Dei, et veram Eccleſiae illius ſalutem, rite fungi deberet. Luculenter apparet, Timotheum toto illo temporis intervallo, conſtanter haeſiſſe Epheſi, gubernationi illius Eccleſiae et vicinarum, ex voluntate ac mandato Pauli, unice intentum, neque interea labores Evangelicos alios in ſe ſuſcepiſſe. Iam quid quaeſo ex eo ſequi neceſſe eſt? *Cappellus.* Epiſt. II ad Timotheum coniicit in an. 52, et poſteriorem in an. 64, nam huic anno illigat quoque martyrium Pauli, quod brevi tantum praeceſſit Epiſtola ad Timotheum ſcripta poſterior. Quod ſi vero ſtemus calculis *Pearſoni*, quos ego hic ſemper fere ſequor, mors Pauli, adeoque a ad Timotheum Epiſtola protrahenda erit ad an. 68. Interceſſerunt igitur inter ſcriptam Epiſtolam utramque anni plus minus ſedecim, quale longum intervallum, res in utraque Epiſtola pertractatae, ſaepius eaedem plane, nullo modo admittunt. Dicendum praeterea eſſet, Timotheum ab anno 52 usque ad 64 vel 68 conſtanter Epheſi haeſiſſe, neque ab urbe illa diſceſſiſſe, quod totum ordinem hiſtoriae Apoſtolicae, vel ex ipſius *Cappelli* ſententia, immane quantum conturbaret. Quocumque igitur te vertas, fatendum ſemper ultimo erit, ſcriptam eſſe priorem ad Timotheum Epiſtolam, tempore inter vincula Pauli Romana, priora et poſteriora, intermedio.

§ 14. *Paulus e Macedonia Epheſum rediit.*

Cum Paulus, comite Timotheo, ad Epheſios poſt vincula ſua Romana perveniſſet, intellexit non ſine

gravi dolore, in coetu ipſorum, ex quo eum non viderat, multa in deterius fuiſſe mutata. Intruſerant ſe in coetum, diſciplina optima imbutum et formatum, homines, qui, neglecta ſolida religionis et pietatis cognitione, animum ſuum adiecerant ad quaeſtiones argutas et ſubtiles, ſed inanes, ad pugnas de vocibus, et diſputatiunculas aridas, e ſcholis infeliciter in Eccleſiam tractas, ſtudioque hoc vano atque inutili aliorum mentes quoque inflammare cupiebant, 1 Ep. I. 4, 6, IV. 7, VI. 4, 5, 2 Ep. II. 14, 23, III. 7. Erant, qui ab ipſo veritatis tramite longius recederent, et caſtam divinae religionis doctrinam turpiter incruſtarent, 1 Tim. I. 3, VI. 3, 2 Tim. IV. 3, 4. Nec deerant quidem, qui errores capitales, ipſum ſanctiſſimae fidei et ſpei noſtrae fundamentum labefactantes, ſine verecundia ſpargerent, 1 Tim. I. 19, IV. 1, 2, 2 Tim. II. 18; ut nihil iam dicam de pietatis vero ſtudio et iugi exercitio, quod paſſim a multis iam tum vilipendi coepiſſe, Epiſtolae hae plus ſatis declarant, quo factum eſt, ut apud nonnullos excellentiſſimae religionis contemtus oriretur, et horum quidam, a ſalutari fide re ipſa deficerent. 1 Tim. V. 15, VI. 10, 2 Tim. IV. 10. Equidem plerique, ſordibus huiusmodi commaculati, praeſente Apoſtolo, auctoritatem eius reveriti, crimina ſua et dedecora callide diſſimulabant, et impietatis ſemina nonniſi clanculum ſpargebant; aſt reperiebantur tamen, qui omni pudore conculcato, honorisque Apoſtolo debiti plane immemores, Paulo aeque ac Timotheo palam in faciem obniterentur, et temeritate incredibili ipſos non minus, quam doctrinam eorum, vocibus blasphemis inceſſere non verebantur. Eos inter Paulus numerat *Hymenaeum* et *Alexandrum* 1 Tim. I, 20, 2 Tim. IV, 14, et priori loco teſtatur, ſe *eos Satanae tradidiſſe*, ut nempe afflictione hac cor-

po-

porali valde moleſta, extra ordinem a Deo immiſſa, fracti et contriti, ad frugem bonam ſe reciperent. Crediderim, Paulum ſeverum hunc diſciplinae Apoſtolicae actum, in hominibus pertinaciae invictae, non Epheſi praeſentem, verum poſtea in Macedonia abſentem exercuiſſe, et ideo nunc demum ea de re Timotheum certiorem reddere, quale quid adverſus aliquem e coetu Corinthiorum olim quoque ſtatuerat, 1 Cor. v. 3, 4, 5. Et his quidem de cauſis, Apoſtolus noſter diutius utique libenter apud Epheſios permanſurus fuiſſet, ut ſcandala omnia ſublata, et cuncta in priſtinum ſtatum reſtituta, oculis ſuis videret, niſi ipſum negotia ponderis non minoris in Macedoniam vocaſſent. Non tamen tum abiens, Epheſiis ſuis vale ultimum dicere ſuſtinuit. Quamvis enim diſcedens in Macedoniam, loco ſuo, Timotheum plena auctoritate inſtructum, ipſis reliquiſſet, redire tamen ad eos a Macedonia decreverat. Timotheo ſuo iſtud promiſit in prima Epiſtola III, 14, *Spero me quantocius ad te venturum eſſe*, et IV. 13, *Inſta lectioni, adhortationi, doctrinae, donec veniam.* Et reſpondiſſe etiam cogitatis hiſce Apoſtoli atque promiſſis eventum, non eſt, quod dubitem, cum in poſteriori ad Timotheum Epiſtola, Romae in vinculis noviſſimis ſcripta, veſtigia illius rei non obſcura invenire liceat. Eo libenter retulerim, quod c. I, v. 4, ſcribit: *Cupio te videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear.* Quae illae lachrymae hic cogitari poſſunt, niſi quas optimus Timotheus fudit, in ultimis Pauli ſui amplexibus, cum is iter adeo longinquum et periculoſum in Italiam ſuſciperet, et quarum nunc Paulus de Timotheo cogitans, non poterat non meminiſſe. Et viae quoque, quam tum Paulus, Epheſo in Graeciam delatus, tenuit, luculenta deſignatio occurrit c. IV, ubi vs. 13, *Penulam*,

lam, inquit, vel *thecam librariam*, *quam reliqui Troade* (vide § 12.) *veniens affer tecum*, et vs. 20. *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Confer Act. xx. 17.

Inter haec igitur, A. C. 65 exiſtimaverim fuiſſe exactum. Quid annis ſequentibus molitus fuerit magnus Apoſtolus, et quae ipſi ad mortem usque evenerint, Diſſertationi de eodem argumento proximae [*] reſervare cogor.

[*] Prodieritne umquam, valde dubito, eoque magis, quia a duobus circiter annis fruſtra eam in Germania ubique quaeſivi. Nec invenitur in collectione variarum diſſertationum, a *Jablonskio* ſcriptarum, unde haec prima ducta eſt, et cuius ſyntagmatis uſum Clar. *van Voorst*, Collega amiciſſimus, perhumaniter mihi concesſit. De ipſo autem huius exercitationis argumento pauca in praefatione monebo.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

DE ORIGINE FESTI NATIVITATIS CHRISTI, IN ECCLESIA CHRISTIANA QVOTANNIS STATO DIE CELEBRARI SOLITI [*].

§ 1. In primitiva Eccleſia, dum eam Apoſtoli etiamnum, horumque pii ſucceſſores gubernabant, verae religionis profeſſores id ſibi inprimis datum eſſe negotii putabant, ut ingentia beneficia Servatoris optimi, noſtrae ſalutis cauſa, in carne manifeſtati, in eadem carne poſtea mortui, ad vitam revocati, et in coelos evecti, pura mente ſanctaque meditatione continuo recolerent; de inſtituendis vero, aut etiam multiplicandis diebus feſtis, quibus eorumdem beneficiorum memoria, quotannis, certis ſtatisque diebus, ſolemniter celebraretur, ſolliciti haud erant. In id, beato illo tempore, omni mentis niſu et affectu erant intenti, qui Chriſto nomen dederant, ut in eius ſalu-

[*] Vide praefationem ante tomum hunc tertium.

lutari cognitione, fide et gratia, laetos in dies progreſſus facerent; utque procedentibus annis, in ſtudio pariter verae pietatis et ſanctimoniae, beata caperent incrementa. Curae cordique ipſis ante omnia erat, ut ex piis animi ſanctificati motibus perſentiſcerent, Chriſtum Dominum, toti quondam mundo manifeſtatum, etiam re ipſa ſibi natum, inque cordibus ſuis formatum eſſe; ut de communione ſua cum paſſionibus et morte Servatoris, certi ac perſuaſi redderentur; utque vim fructumque reſurrectionis apud ſemet ipſos experirentur. In conſtituendis vero ac determinandis annis, menſibus et diebus, quibus lux illa coeleſtis, per nativitatem Chriſti mundo noſtro exorta, eidemque per mortem, ad exiguum tempus, ſubtracta fuiſſet, ut nempe anniverſariam illorum dierum recordationem, certo ſtatoque tempore, peragerent, operam omnino videntur collocaſſe nullam. Quodſi Apoſtolis ipſis, aut primis eorum ſucceſſoribus eadem fuiſſet, haec omnia certo ſciendi et definiendi cupido, quae poſthac tot eruditos viros invaſit, quorum in hiſce rebus ingens diſcordia ac incertitudo ſatis nota eſt, et tempori, et labori, quem perſaepe impenderunt, operoſo parcere hi potuiſſent. At enim, quando ſancti illi viri nihil de rebus his memoriae nobis prodiderunt, incertitudo, qua hucusque urgentur docti temporum rimatores, quantum iudicare licet, porro durabit, donec Dominus advenerit, diebusque memorialibus opus iam amplius non fuerit.

§ 2. Si antiquiſſima Eccleſiae Chriſtianae monumenta, ac praeſertim ipſas S. Codicis tabulas conſulimus, intelligimus facile, aevo Apoſtolorum, et quod huic proxime ſucceſſit, unam ſolamque illam *diem*, quam ſcriptores ſacri Κυριακὴν, *Dominicam* nuncupant, Apoc. 1. 10, Chriſto Domino conſecratam, inque eius honorem a Chriſtianis ſolemniter et ſan-

ſancte celebratam fuiſſe. Diem Sabbati, vel Feriam VII, iidem in gratiam Iudaeorum cultui divino dicabant, ubi res tempusque id ſecum ferre aut poſcere videbantur. Feſta Paſchatis et Pentecoſtes Apoſtoli ipſi, quando inter Iudaeos morabantur, cum iis celebrabant, ut ſic eos forte Chriſto lucrarentur, etſi dubio locus non ſit, Chriſtianos illius aevi Feſta haec cum Iudaeis quidem, et more ipſorum celebraſſe, ſed in privatis tamen ſuis conventibus, Actor. II. 47, illis ipſis temporibus, beneficia, quae Deus N. Teſtamento reſervavit, memori mente recoluiſſe, Deoque pro illis grates ſancte perſolviſſe. Hinc, uti credere par eſt, paulatim enata ſunt Feſta Paſchatis et Pentecoſtes Chriſtiana, non amplius cum Iudaeis, ſed peculiaribus temporibus, et ritu Eccleſiae Chriſtianae penitus conveniente, celebrata. Feſtum vero prima illa aetate, toti Eccleſiae Chriſtianae proprium et peculiare, erat tantum *Dies Dominica*, μία τῶν σαββάτων, *Feria* hebdomadis *prima*, *qua discipuli* Domini *conveniebant ad panem frangendum*, Act. XX. 7, ut in cognitione Ieſu crucifixi ſe mutuo aedificarent, fidemque ſuam in illa cognitione fundatam, ac ſpem vivam, per commemorationem mortis Domini in uſu S. Coenae confirmarent. Quod autem ad Feſtum Nativitatis Domini noſtri ſpeciatim attinet, quod Eccleſia, iam inde a temporibus ſeculi IV et V, die XXV Decembris ſolemnitate religioſa celebrare conſuevit, certum eſt, de eo intra plus quam centum annos, poſt adſcenſionem Servatoris noſtri in coelum, nihil prorſus auditum fuiſſe. Equidem negari nequaquam poteſt (*a*), quosdam e vetuſtioribus Ecclе-

(*a*) Adducuntur hanc etiam in rem doctores Eccleſiae, qui primo et ſecundo ſeculo floruerunt, *Clemens Romanus*, *Evodius Antiochenus*, *Telesphorus* Antiſtes Romanus, *Hip-*

cleſiae doctoribus, quos ſequuntur plurimi in Eccleſia Romanenſi ſcriptores, et ex ipſo quoque Proteſtantium coetu nonnulli, in ea fuiſſe ſententia, quam et aliis perſuadere annituntur, diem natalem optimi Servatoris, Apoſtolos et ipſos celebraſſe, et toti Eccleſiae celebrandum commendaſſe. Verum ex omnibus his non eſt quisquam, qui ſententiae, quam aſſerit, bonis rationibus fidem conciliare, et a doctioribus aſſenſum impetrare potuerit.

§ 3. Inter ſcriptores Eccleſiaſticos, qui aetatem tulere, antiquiſſimus eſt *Clemens Alexandrinus*, apud quem mentio deprehendatur natalis diei Chriſti, et Feſti in illius memoriam inſtituti. Is enim Libro I Stromatum (*b*), circa finem Seculi II, aut initium Seculi III contextorum, p. 340 ea de re haec obſervat: *Sunt autem, qui curioſius natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem aſſignant, quem aiunt eſſe anni* XXVIII *Auguſti* (*c*) *diem* XXV *Pachon. Baſilidis autem ſectatores etiam Baptismi eius diem celebrant, totam praecedentem noctem in lectionibus tranſigentes. Dicunt autem eum eſſe quintum decimum annum Tiberii* (*d*), *quintum decimum Menſis Tybi. Alii autem, eſſe* (*e*) *undecimum eiusdem*

Hippolytus Portuenſis, quem alii *Thebanum* vocant, et praeter hos alii; ſed fruſtra omnino, ſicuti rationibus invictis oſtenderunt *Thomas Ittigius*, in Diſſertat. *de Feſto Nativit. Chriſti* etc. et *Salomo van Til de anno, menſe, et die nati Chriſti*. Part. I cap. II § 2, 3.

(*b*) Nam mortis Commodi Imp., quae in A. C. 192 ingruit, aliquoties meminit, tamquam Epochae memorabilis usque ad ſuum tempus ultimae, p. 336, 339, 340. Scripſit ergo ſub imperio Septimii Severi.

(*c*) id eſt, Diem XX Maii.

(*d*) D. X Ianuarii.

(*e*) Diem VI Ianuar.

dem Menſis. Et paucis interiectis, ſic pergit: *Dicunt etiam ex iis aliqui, eum natum eſſe* (*f*) XXIV vel XXV *Pharmuthi.* Verba haec viri, merito ſuo, ſemper ſummo in pretio habiti, luculenter oſtendunt, I. in Eccleſia Alexandrina, cuius, illa iam aetate, magna ubique erat exiſtimatio et auctoritas, cuiusque ritus Eccleſiaſticos innumerae aliae Eccleſiae adoptabant ſuosque faciebant, Feſtum natalitium Chriſti, tum temporis, celebrari nondum conſueviſſe; ſed extitiſſe tantum nonnullos, qui in diem illius curioſius inquirere coeperint, eumque determinare conati fuerint. II. Eos, qui laborem hunc inquirendi in diem natalem Domini in ſe ſuſceperunt, opinionibus a ſe invicem magnopere discrepaſſe. Nam ſero nimis illi rem huius indolis discutere, et ad liquidum deducere in animum induxerant. Iudaea enim tempore illo vaſtata penitusque everſa erat. Vrbes priſtinas, quae praecipue adeundae fuiſſent, Hieroſolymam et Bethlechemum, ignis dudum abſumſerat, et ex illis monumenta ad rem iſtam neceſſaria ſperari nulla poterant. Apoſtoli aliique diſcipuli Domini, qui eum in carne viderant, eorumque amici familiares et ſucceſſores, qui forte aliquid huc pertinens ſuggerere potuiſſent, ſancte obdormiverant. Cum igitur certi quidpiam, et quod omne dubium tolleret, reſciri haudquaquam poſſet, locus non erat niſi coniecturis. Illae autem ita comparatae erant, ut huic quidem illa, alii vero alia maiorem probabilitatis ſpeciem prae ſe ferre videretur. Re ipſa vero res haec utique (*g*) in incerto

(*f*) Id eſt, die XIX vel XX Aprilis.

(*g*) Communior quidem, a temporibus praeſertim ſeculi V, fuit opinio, celebrationem diei natalis Chriſti, alligatam diei XXV Decemb., niti traditione antiquiſſima Apoſtolica. Sed fuerunt tamen ſemper, qui quam incerta haec

to relinquenda erat. Quibus addendum III. *Clementem Alexandrinum*, ſicut et alios eo tempore in Eccleſia doctores feciſſe, oppido veroſimile eſt, laborem illum, quem nonnulli eruendo et determinando diei natali Chriſti impendebant, vocaſſe περιεργίαν, id eſt, operam, laborioſam quidem et difficilem, ſed quae parum utilitatis pollicetur Περιεργότερον, inquit, τῇ γενέσει τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες, *Curioſius natali Domini, non ſolum annum, ſed et diem aſſignant.* A voce περιέργος, quâ utitur *Clemens*, eſt περιεργάζεσθαι, *curioſè agere*, quod *Lutherus* 2 Theſſ. III. 11, perquam commode reddidit *fürwitz treiben.* Neque omittendum IV. quod ex eodem *Clementis* loco, pariter et recte colligitur, *Baſilidianos*, haereticos peſſimae notae, et qui Catholicis, ſupra quam credi poteſt, inviſi erant, omnium primos Feſtum nativitatis Chriſto, certo quodam die, ſolemniter quotannis in Aegypto celebraſſe. Didicimus vero ex *Clemente*, Baſilidianos hos, eodem die, memoriam et nativitatis et baptismi Chriſti, religioſe et ſolemniter recoluiſſe. Vnde concludere non abs ratione licet, alios in orbe Chriſtiano Eccleſias, quae poſtea utriusque huius eventus recordationem feſtivam, itidem uno eodemque die inſtituerunt, in eo exemplum Baſilidianorum imitatos fuiſſe. Qui iam ea, quae hactenus obſervavimus, iuſta lance expendere dignatus fuerit, haud ita difficulter intelliget, Feſtum nativitatis Domi-

res eſſet, probe perſpicerent. Sic *Iacobus Edeſſenus*, qui ſeculo VII floruit, ea de re loquens, *nemo*, inquit, *exacte novit diem nativitatis Domini: hoc duntaxat indubitabile eſt, eum noctu natum fuiſſe, ex his quae ſcribit Lucas.* Apud *Aſſemanum* Biblioth. Oriental. Vatic. Tom. II p. 1636.

mini, circa finem ſeculi II eo modo, quo nunc, in Eccleſia Chriſtiana celebrari nondum conſueviſſe; ſed morem hunc, temporibus demum inſecutis, paulatim in plures ſucceſſive Eccleſias invectum fuiſſe.

§ 4. Obſervavimus tmemate ſuperiori 3 ex *Clemente* colligi, diem nativitatis Chriſti, illius tempore, adeoque exeunte ſeculo II, certo determinari non potuiſſe, quamvis eſſent, qui in eum inquirerent, et qui eum definire auderent. Non diſſimulabo autem, apud ſcriptorem eumdem talia praecedere, quae contrarium eius, quod dixi, adſtruere videntur. Haec enim ibi ſunt ſcriptoris laudatiſſimi verba. Γίνονται οὖν ἀφ' οὗ ὁ Κύριος ἐγεννήθη, ἕως Κομόδου τελευτῆς, τὰ πάντα ἔτη ἑκατὸν ἐννενήκοντα τέσσαρα μὴν εἷς (*h*), ἡμέραι γ'. *Fiunt autem, ex quo natus eſt Dominus, usque ad mortem Commodi, anni omnes* CXCIV. *menſis unus, dies tres.* Vnde vir clariſſimus *Salomo à Till* ita argumentatur (*i*): *Patet, ex mente Clementis, non ſolum anticipandam eſſe aeram vulgarem integro biennio, ſed et menſe uno et diebus tredecim, ut natalis Chriſti ponatur anno Iul.* 43, 13. *Kal. Decembris* (d. 19 Novembr.) *ita enim invenias demum menſem illum unum cum diebus tredecim iuſto loco inſertum: quod propterea diligentius notandum eſt, quia vix ullus eſt, qui eius menſis, et iſtorum dierum, in exponenda Clementis ſententia rationem habuit.* Et (*k*) alio loco: *Quinta eſt ſententia ipſius Alexandrini, quam licet non expreſſe tradat, tamen ſuo calculo indi-*

(*h*) Editio prima Graeca Florentina, habet hic p. 128. ἡμέραι ιγ', pro ἡμέραι γ', *dies tredecim.* [non aliter edidit *Potterus* p. 407].

(*i*) In Commentatione *de Anno, menſe et die natl Chriſti*, Part. I cap. I § IV. p. 6, 7.

(*k*) Cap. II § VII. p. 37.

dicat, dum a nativitate Chriſti, usque ad Commodi mortem (in ultimum Decembris incidentem) praeter annos 194 putat adhuc menſem unum et dies tredecim. unde iam ſupra confecimus, virum illum magnum, natalem Chriſti collocaſſe ad XIII *Kal. Decembris, qui eſt* XVIII *Novembris* (imo potius XIX Novembr.) *anni Iul.* XLIII. Verum, ſi haec fuit ſententia *Clementis*, tum dies nativitatis Chriſti Domini, ſcriptori huic certa erat et determinata. Et qua ratione verba haec eius conciliari poſſent cum iis, quae confeſtim ſequuntur, tmemate 3. allata, in quibus curioſam eorum diligentiam, qui in diem natalem Chriſti inquirebant, reprehendit, et rem penitus in incerto relinquit? Hanc fuiſſe veram *Clementis* ſententiam, omnia aperte loquuntur. Ratio vero temporum, quam in praecedentibus a nativitate Chriſti ad mortem usque Commodi deducit, mihi quidem videtur perplexa, et ſine ope codicum MSS. vix expedienda. Et ſi re ipſa *Clemens* in computo ſuo, a die nativitatis Chriſti, non annorum tantum, ſed et menſium et dierum rationem habuiſſet, qua ratione, quaeſo, illico ſubiungere potuiſſet: *Sunt autem, qui curioſius natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt?* His ergo praetermiſſis, illis inhaerebo, in quibus ſcriptor optimus veram ſuam ſententiam mentemque nobis luculenter declaravit.

§ 5. Revertamur iam in viam. Primus nempe eſt, ut diximus, *Clemens Alexandrinus*, qui Feſti nativitatis Chriſti, in Eccleſia, aetate ſua, qualicumque modo celebrati, mentionem fecerit. Neque ſupervacaneum fuerit, hic monuiſſe, quod viri harum rerum egregie periti obſervarunt (*l*), poſt *Clementem*, Fe-

(*l*) *Mémoires* de Mr. *Tillemont pour ſervir à l'hiſtoire Eccleſ.* Tom. I p. 433.

Feſtum Epiphaniae, quo in Oriente memoria et nativitatis et baptismi Chriſti peragebatur, non commemorari ante annum 372 (*m*), quo Valens Imperator Caeſareae in Cappadocia celebrationi huius Feſti interfuit. Verum ad *Clementem* redeamus, eiusque obſervationi, iuxta quam anniverſariam et ſolemnem commemorationem baptismi Servatoris noſtri, adeoque etiam nativitatis, quia utrumque eodem die primitus peragebatur, Baſilidiani primi in Eccleſia inſtituerunt, nonnihil etiamnum inhaereamus. Baſilidiani iſti ſectam componebant numeroſam, per Aegyptum totam, praeſertim vero inferiorem, disperſi, erantque propago Gnoſticorum, quorum dogmata probabant, ſuaque faciebant. Hinc vel ſic ſatis intelligitur, quod etiam hiſtoria confirmat, eos argutis potius Philoſophis, quam piis Chriſti discipulis, annumerari deberi, tametſi cum nugis Philoſophiae ſuae Orientalis, vel, uti aliis eam nuncupare placet, Platonicae recentioris, dogmata quoque ſanctae noſtrae religionis, ſed mirum in modum contorta, ac ad principia ſua Philoſophica inflexa, copula infauſta coniungere, et in unum ſyſtema compingere allaborarent. Id enim Gnoſticis, quorum Baſilidianos propaginem aut ſectam diximus, proprium fuiſſe, hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis teſtatur. Baſilidiani igitur, moribus ſcholae ſuae velificantes, ſubtilia potiſſimum, obſcura et intellectu difficilia, atque rara, aliorum fere cognitioni negata, ſectabantur, ſcientiam ſibi arrogabant ſublimem, ideoque nomen affectabant *Gnoſticorum*, quaſi dicas *profundae cognitionis profeſſores*.

(*m*) *Gregorius Nazianzenus* Orat. XX. Opp. Tom. I p. 351. Adde *Tillemontium*, loc. cit.

res. Praeterea τῇ περιεργίᾳ, curioſitati cuidam vanae et inani, modum ponebant nullum. Eo referendum eſt, quod (n) in conquirendis imaginibus veterum, ſibique inprimis charorum Philoſophorum, *Pythagorae*, *Socratis*, *Platonis*, hisque ſimilium, ſtudium impenderent haud mediocre, hisque adiungerent imagines Chriſti Domini, ex theſauro, ut aiebant, Pontii Pilati, Romani in Iudaea Procuratoris, derivatas. Et imagines has omnes mirifico proſequebantur honore, et propemodum divino. Quae cum ita ſe habeant, vero diſſimile non eſt, imagines Chriſti, quae pro talibus venditari in Eccleſia, a multis iam ſeculis, ſolitae ſunt, et quae notabilem inter ſe ſimilitudinem prae ſe ferunt, ex qua facile dignoſcuntur, per Gnoſticos primum inter cultores Chriſti ſparſas, ac deinde propagatas fuiſſe.

§ 6. Eidem hominum huiusce indolis genio et ſtudio debetur, quod Philoſophi e Secta Platonicorum recentiorum, natales cariſſimorum ſuorum maximeque venerabilium magiſtrorum, vertente anno quovis, pompa religioſa omnique honoris genere proſequerentur. Equidem conſuetudinis huius origines multo ſunt antiquiores. *Platonis* enim et *Socratis* Feſta natalitia, ab antiquo tempore, menſe Thargelione celebrata fuiſſe, vel (o) ex *Plutarcho* conſtat. Quinimo *Epicurum* Philoſophum teſtamento ſanciviſſe, *ut ex reditibus*, a ſe relictis, *pars attribuatur in ſacrificia ipſi in natali die, qui quotannis decimá die*

(n) Teſtantur hoc *Irenaeus*, adverſus Haereſ. Lib. I c. XXV. §. 6. edit. ultimae, *Epiphanius* Haereſi XXVII. § 6. et *Auguſtinus de Haereſibus* cap. 7. Vide et Diſſertat. meam de origine imaginem Chriſti § 10.

(o) *Plutarchus* Sympoſiac. Lib. VIII. c. I. p. 717.

die menſis Gamelionis agi deberet, facienda (*p*), ex ipſo hoc teſtamento ſatis intelligi poteſt. Teſtatur etiam *Plinius* maior Lib. XXXV. cap. 2, ſua adhuc aetate, fautores et admiratores *Epicuri* praeſcriptum hocce religioſe obſervaſſe. *Vultus Epicuri*, inquit, *per cubicula geſtant, ac circumferunt ſecum. Natali eius viceſima luna ſacrificant.* Verum ex hiſtoria tamen Philoſophica perſpicuum fit, morem iſtum ſectatoribus Philoſophiae Platonicae recentioris, cui dediti erant Gnoſtici, et ſigillatim Baſilidiani, fuiſſe inprimis familiarem et carum. De Plotino, inclyto ſectae illius ſodali, memoriae prodidit (*q*) in eius vita *Porphyrius* cap. 11: *Ipſe vero Plotinus, neque quo menſe, neque quo die natus eſſet, cuiquam declaravit: quippe cum nequaquam decere putaret, natalem eius conviviis et ſacrificiis celebrari. Quamvis ipſe in Platonis Socratisque, quae traduntur, natalibus, et ſacris operaretur, et convivio amicos exciperet.* Quanta fuerit *Procli*, Philoſophi ex eadem ſchola magni nominis, circa huiusmodi ritus natalitios cura et ſollicitudo, *Marinus* diſcipulus, in eius vita, tradit cap. 36. Alia lector harum rerum ſtudioſus inveniet in *Eunapii vitis Philoſophorum*, qui omnes fuerunt eiusdem ſcholae alumni. Sed loca quaerere et indicare iam non vacat. Accedit ad ea, quae de moribus Gnoſticorum obſervavimus, quod (*r*) Gentiti-

(*p*) Adfert teſtamentum hoc *Diogenes Laërtius* de vitis Philoſophorum Lib. X § 16. ſqq. et ex eo, quae huc ſpectant, repetit *Cicero* Lib. II *de Finibus*, cap. 31.

(*q*) Apud *Fabricium* in Bibliothec. Graec. vol. IV p. 95.

(*r*) Res eſt oppido nota. Poſſunt tamen, ſi lubet, conſuli *Iac. Ouzelii* Animadverſiones ad Minutium Felicem p. 43.

tiles Feſta Deorum ſuorum natalitia frequenter magna pompa celebrarent, quare credi utique poteſt, Gnoſticos, interque eos ſpeciatim Baſilidianos, qui primi, ut auguror, inter Chriſtianos, ritus plures in ſacris Gentilium obſervatos, ad coetus ſuos Eccleſiaſticos tranſtulerunt, etiam hoc Gentilium exemplum imitatos fuiſſe, ſolemnitatem natalis Chriſti inſtituiſſe, et cum illa memoriam baptismi eius ſociaſſe. Quod Baſilidiani illis, quas modo ſuggeſſi, rationibus inducti, in Eccleſias ſectae ſuae initiatas invexerunt, poſtea Catholici quidam paulatim probarunt et adoptarunt, atque ſucceſſu temporis, in Eccleſias ſuas admiſerunt, neque ſine inſigni fructu. Nam cum inſignis ille pro vera religione zelus, qui primos Chriſti et Apoſtolorum eius diſcipulos totos animaverat, pedetentim frigeſcere et languere coepiſſet, opus erat quibusdam veluti igniculis et incitamentis, quibus priſtinus pietatis et devotionis ardor denuo incenderetur, ad vitam veluti revocaretur, novumque robur acciperet. Hunc igitur in finem Feſta, beneficiorum Dei memorialia, interque ea Feſtum quoque nativitatis Domini, non ſine fructu et aedificatione inſtituta ſunt.

§ 7. Quodſi igitur *Clementi* noſtro fidem adhibeamus, et quidni adhiberemus? Baſilidiani, famoſa illa Gnoſticorum ſecta, primi Feſtum nativitatis Chriſti, quotannis die ſtato, in Eccleſia celebrarunt. *Baſilidis ſectatores*, inquit ille, *etiam baptismi illius diem celebrant, totam praecedentem noctem in lectionibus tranſigentes.* Haec mihi videtur prima Feſti huius Epocha. Equidem, ſi quis verba haec eximii ſcriptoris obiter tantum conſideret, videri poterit, nonniſi de memoria baptismi Chriſti, in Iordane peracti, locutus eſſe. At totus verborum *Clementis* contextus, rite expenſus, aliud omnino docet. Is enim et

in

in praecedentibus, et in iis quae ſequuntur, proprie et praecipue verba fecerat de natali Chriſti, dixeratque illum a quibusdam haberi *diem* XXV *Pachon* vel XX *Maii*. Tum vero addit, Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου, καὶ τοῦ Βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, quaſi dixiſſet, *Baſilidiani non diem nativitatis tantum, ſed praeterea etiam baptismi celebrant die* X *vel* VI *Ianuarii*. Scimus porro, procedente tempore, et ab aliis, et (*s*) *maxime a Graecis Aegyptum incolentibus, natalem et baptismum Chriſti, eodem, nempe Epiphaniorum die, celebrata fuiſſe*. Quem morem paulatim Oriens totus imitatus eſt, nec ab eo Eccleſias quasdam in Occidente alienas fuiſſe deprehendimus. *Veteres uno eodemque die*, inquit (*t*) *Dionyſius Barſalibi*, Amidenſis in Meſopotamia ſeculo XII Epiſcopus, *Feſtum nativitatis et Epiphaniae peragebant, quoniam eadem die natus et baptizatus eſt. Quare hodie etiam ab Armenis uno die ambae Feſtivitates celebrantur. Quibus adſtipulantur doctores, qui de utroque Feſto ſimul loquuntur*. Cum igitur conſuetudinem hanc inter Catholicos omnium primi obſervaverint Graeci in Aegypto, ubi Baſilides eiusque ſectatores id ipſum dudum ante iam inſtituerant, et ſeculo II toto, et forte parte maxima ſeculi III,

(*s*) *Iacobus Gothofredus* ad Codicem Theodoſ. Lib. XV. Tit. V, Tom. V. p. 355, ubi plura habes huc ſpectantia. Vide et *Cotelerii* notas in Conſtitut. Apoſtol. Lib. V c. 13 et *Binghami* Origines Eccleſiaſt. Lib. XXI. cap. IV. § 2. Adde *les Mèmoires* de Mr. *Tillemont* Tom. I. p. 429, 430. et *l'Hiſtoire de Manichée* de Mr. de *Beauſobre* Tom. II. p. 693. ſqq.

(*t*) Apud *Ioſeph. Simon. Aſſemanum* Biblioth. Oriental. Tom. II. p. 164.

III; ſoli retinuerant, vix eſt, quod quisquam dubitet, conſuetudinem hanc, ſolemnitatem duplicem eodem die celebrandi, quae iucunda pietatis ſpecie ſe commendabat, ab haereticis ad Catholicos dimanaſſe. Dixi, duplicem eodem die ſolemnitatem fuiſſe celebratam, in memoriam tum nativitatis, tum baptismi Chriſti Domini. Verum (*u*) eodem illo die, qui nomen *Epiphaniorum* et *Theophaniorum* ab illo tempore ſervavit, ſolebat quoque peragi recordatio adventus Magorum Orientis ad Chriſtum, et primi miraculi a Domino Canae in Galilaea editi, quo aquam in vinum mutavit; quem ritum pariter Baſilidi et Baſilidianis deberi, mihi certo perſuaſum eſt. Ex eo vero non abſurde colligi poſſe videtur, Baſilidianos Feſtum hoc, inque eo memoriam eventus quadruplicis, non eam ob cauſam celebraſſe, quod exiſtimarent, omnia illa, quorum recordationem religioſam et ſolemnem uno die coniungebant, olim re ipſa, diverſis quidem annis, ſed eodem ſemper die contigiſſe; verum in eam potius pedibus eo ſententiam, haereticos hos, ob rationes ſymbolicas et emblematicas, memoriam quatuor ingentium beneficiorum Chriſti, uno eodemque die, celebrare voluiſſe, quoniam quatuor illos dies, qui teſtes fuerant horum tam inſignitorum beneficiorum Chriſti, pro diebus totius vitae Chriſti glorioſiſſimis habebant, quibus nempe gloriam ſuam hominibus manifeſtaverit, quod de uno eorum conceptis verbis affirmat Scriptor hiſtoriae ſacrae, *Iohannes Evangel.* c. II. v. II, eaque de cauſa, recordationem eorum omnium, uno die peragi volebant. Hinc forte ratio peti poſſet, quod Graeci diem illum, exemplo Baſilidianorum, non appellaverint τὰ γενέθλια, *Feſtum*

(*u*) Vide auctores paulo ante citatos.

ſtum nativitatis Ieſu; ſed ἐπιφάνια, Feſtum *apparitionis* illius, et Θεοφάνια, *Feſtum manifeſtationis divinae* Ieſu, quamvis minime inficias eam (*v*), τὰ ἐπιφάνια, ex uſu Graecae linguae, et Patrum Graecorum, etiam ſignificare poſſe et re ipſa ſignificaſſe *Feſtum natalitium* Ieſu.

§ 8. Dies ille, quem Baſilides, aut ſectatores eius, memoriae nativitatis et baptismi Chriſti ſacrum eſſe voluerunt, erat d. XI Menſis Aegyptiorum *Tybi*, cui reſpondet d. VI *Ianuarii*. *Clementem* diſertis verbis id teſtantem vidimus, § 3. Equidem is ipſe ibidem addit, alios ſectae Baſilidianorum alumnos, ſolemnitatem hanc peragere d. XV *Tybi*, ſive X *Ianuarii*. At mihi perſuaſum eſt, Baſilidianos omnes celebritatem hancce, uno eodemque die, nempe d. VI *Ianuar.* peregiſſe. Poteſtque non citra cauſam dubitari, hauſeritne *Clemens* id, quod de d. X *Ianuar.* ſcribit, ex bonis fideque dignis monumentis. Multa quidem ille e Baſilidianorum et dogmatibus et ritibus paſſim profert, at non videtur ipſe cum haereticis his familiariter converſatus eſſe. Didicit id, quod de d. XV *Tybi* commemorat, aut ex aliorum relationibus, aut ex libro quopiam ſcripto, in quo forte, quod non raro contigiſſe ſatis novimus, nota numeralis depravata erat. *Clemens* illic legerat τὴν ιε̄ τοῦ τυβ̄, *diem* XV *Tybi*, pro eo quod ſcribi debuiſſet, τὴν ιᾱ τοῦ τυβ̄, *diem* XI *Tybi*, quae eſt VI *Ianuarii*. Error adeo levis admitti facillime potuit, ſed et eadem facilitate a nobis deprehendi et emendari. Vt vero verbis *Clementis*, uti hodie leguntur, mendum ſubeſſe ſu-

(*v*) De uſu huius vocis, inprimis Eccleſiaſtico, vide *Caſauboni* Exercit. adv. Baron. II. num. XI, et praeter alios *Suiceri* Theſaur. Eccleſiaſt. in vocibus illis.

ſuſpicer, pluribus inducor, neque minimi momenti rationibus. Nam diei x *Ianuar.* ſolemniter celebrati, in uno tantum illo *Clementis* loco, de quo diſputamus, mentionem deprehendimus. Praeter eum non invenias, qui rem hanc vel verbulo tetigerit. At quem fugit, quam celebris, quam ſolemnis extiterit, quam ſancta habita fuerit, ſeculo IV et V in toto Oriente dies VI *Ianuarii*? Et quandoquidem *Clemens* aperte teſtatur, diem illam ſuo tempore, id eſt, exeunte ſeculo II, a ſolis Baſilidianis, in memoriam nativitatis et baptismi Divini noſtri Servatoris, concelebratam fuiſſe, plusquam probabile eſt, ab his reliquos Orientales morem hunc mutuo ſumſiſſe, et imitatione ſua dignum cenſuiſſe. Apud hos vero, de Feſtivitate aliqua, die x *Ianuar.* celebrata, nemo quidquam fando umquam audivit. Habuerunt porro Baſilidiani rationem, neque penitus ſpernendam, ob quam memoriam natalis diei Chriſti, die quapiam certa ac ſtata, VI nempe *Ianuar.* quovis vertente anno, celebrandam eſſe ducerent, quam mox aperiam, Diſſ. II § 8, et hanc rationem probarunt omnino et ſecuti ſunt, qui in Occidente Feſtum hoc a d. VI *Ianuar.* ad d. XXV *Decembris* transferre maluerunt, quod pariter in ſequentibus evincere conabor. Illa vero ratio in Aegypto quidem convenit diei VI *Ianuarii*, haudquaquam vero diei X: diem igitur VI *Ianuar.* et hunc ſolum, Baſilidis ſectatores primi elegerunt, quo memoriam nati, terrisque donati Servatoris, aliorumque eius beneficiorum celebrarent. A Baſilidianis mos hic, ut credo, tranſiit paulatim ad Gnoſticos omnes, et hos, labente tempore, pedetentim imitati ſunt Catholici in Oriente, in quorum coetus celebritas haec ſucceſſive introducta eſt, ſeculo III adulto, aut IV inchoato, etſi tamen ne initio quidem

dem huius ſeculi IV (*w*) ubique, praeſertim in Occidente, obtinere potuerit. Nam cum in coetu Gnoſticorum, dies VI *Ianuar.* a tempore tam longo celebratus, eoque memoria nativitatis Chriſti conſtanter peracta eſſet, vero admodum videtur ſimile, alios, procedente tempore, in eas incidiſſe cogitationes, diem a tot hominibus uſu tam diuturno conſecratum, et ſolemnitate religioſa reverenter habitum, eſſe illum ipſum diem, quo Servator mundi, ante aliquot ſecula, lucem adſpexerit, atque id ex antiqua et certa traditione haberi. Eccleſiam namque, ſaltem Orientalem, ſeculo IV in ea fuiſſe perſuaſione, dubitari vix poteſt. Itaque ex communi tum recepta ſententia, ſcribit *Epiphanius* (*x*): *Quicquid ſit, non dubium eſt,* XI *die Tybi ſecundum Aegyptios, Salvatoris ortum accidiſſe. Et eadem d.* XI *Tybi poſtea, trigeſimo anno vertente, primum in Cana Galilaeae miraculum edidit, tum cum ex aqua vinum eſt factum.* Eamdem ſententiam, ſuo etiamnum tempore, ſecutus *Anony-*

(*w*) *Origenes*, cuius nomen circa an. 230. ubique clarum erat, Lib. VIII adverſus *Celſum*, p. 392. inter tempora Chriſtianorum ſacris dicata, non numerat, niſi *Dominicas, Paraſcevas, Paſcha et Pentecoſten, recurrentes ſolemniter.* Epiphania aut Theophania non commemorat. Et quando *Arnobius* poſt initia Seculi IV Ethnicis obiicit, Lib. VII adverſus Gentes p. 238. *Telluris natalis eſt: Dii enim ex utero prodeunt, et habent dies laetos, quibus eis adſcriptum eſt, auram uſurpare vitalem?* an non ſatis prodit, Feſtum natale Chriſti, in Africa tum celebrari non conſueviſſe. Et in univerſum probari non poteſt, in Eccleſia Africana Feſtum natalitium Chriſti Domini celebratum fuiſſe ante ſeculum IV. adultum. Vide *les Mémoires* de Mr. de *Tillemont*, Tom. I p. 430, et 419.

(*x*) *Adverſus Haereſes*, Haereſi LI § XXIX.

nymus quidam Syrus, ab *Assemano* adductus (*y*), *Mense Ianuario*, inquit, *natus est Dominus, eodem die, quo Epiphania celebramus, id est*, VI *Ianuar.* Quae res cum ita se habeat, mirum nemini videri potest, Ecclesiam unam ab altera ritum hunc celebrandi Festum natalitium Christi, qui aedificationem publicam insigniter iuvabat, paulatim mutuatam esse, donec tandem ille, post initia seculi IV, ad Ecclesias fere omnes transiisset.

§. 9. At seculum illud idem quartum, cuius ultimo loco mentionem feci, magnam negotio huic mutationem intulit; ex uno enim Festo, nativitatis Christi et adventus Magorum ad eum, semper eodem die celebrari solito, exorta sunt duo Festa diversa, quorum alterum, quo recolitur memoria nativitatis Domini, illigare iam placuit d. XXV *Decembris*, alterum vero, quo renovabatur recordatio apparitionis Christi, factae Magis, relinquebatur diei VI *Ianuarii*. Mutationem hanc in Ecclesia Romana primum fuisse susceptam, vix dubitari potest. Aut (*z*) si illic mutatio nulla contigit, dicendum erit, Ecclesiam istam, cum antehac Festum nativitatis Domini non admisisset, et nunc iam aliarum Ecclesiarum consuetudinem imitari vellet, illi tamen diei, quam hucusque Festivitati huic religiose consecraverant ceterae Ecclesiae, nempe VI *Ianuar.*, novo exemplo alium substituisse, d. XXV *Decembr.*, et hocce eius exemplum ad alias successive Ecclesias pertransiisse. Verus tamen et pro-

(*y*) Apud *Assemanum* in Bibliotheca Orientali Vaticana, Tom II. p. 164. b.

(*z*) *Tillemontio* verosimile fit, in Occidente memoriam nativitatis Christi semper celebratam fuisse d. XXV *Decembris*.

proprius temporis illius articulus, qui novam consuetudinem Romae exorientem vidit, certo et accurate definiri nequit. *Iosephus Scaliger* (*a*) non sine magna veri specie censuit, contigisse hoc post mortem Constantini M., quae in an. 337 incidit, verum tametsi (*b*) ratio, qua sententiam hanc fulcire annisus est, eum fefellerit, adsunt tamen alia, quae mihi eamdem magnopere persuadent. Certe (*c*) in Calendario antiquo Ecclesiae Romanae, contexto, ut videtur, circa A. 354. et a *Buchério* edito, Festum natalitium Christi illigatur d. XXV *Decembris*. Quare quando *Ambrosius* Mediolanensis furori suae Marcellinae in memoriam revocat, quod (*d*) praesente Liberio Episcopo, qui Ecclesiae Romanae ab a. 352 usque ad 366. praefuit, *die Salvatoris natali*, *vir-*

(*a*) De Emendatione Temporum Lib. VI. p. 545.

(*b*) Magnus ille vir in ea erat sententia, Chrysostomum, evectum postea ad Episcopatum Constantinopolitanum, Homiliam illam, ex qua particulam aliquam mox adscribemus, recitasse Constantinopoli; ex eo ita concludebat rationesque subducebat: Si tempore iam Constantini M. Festum Christi natalitium celebratum fuisset d. XXV Decembr., Imperator ritum hunc, ut multa alia, in novam suam Romam, nempe Constantinopolin, invexisset. At *Chrysostomus* in illa Homilia testatur, diu demum post, Festi huius solemnitatem introductam fuisse Constantinopoli. At certum est, et a viris doctis rationibus bonis evictum, Homiliam illam non Constantinopoli, verum Antiochiae in Syria fuisse habitam. Ceterum in eadem Homilia fatetur Praesul disertus, Festum nativitatis Christi, in Thracia, adeoque Constantinopoli quoque, iam antehac celebrari consuevisse.

(*c*) Les Mémoires de Mr. *Tillemont* Tom. I. p. 419. a.

(*d*) Lib. *de originibus*, init., Opp. Tom. I. p. 84. edit. Basil. 1567.

virginitatis professionem signasset, alius quam XXV *Decembr.* intelligi haud potest. Si fides haberi posset Epistolae *Iohannis Nicaeni* Archiepiscopi, ad Zachariam Armenum (*e*), a *Combefisio* publicatae, et historiolae auctoris cuiusdam Anonymi, quam e Codice MS. Parisiensi dedit (*f*) *Cotelerius*, Iulius Romanus Episcopus, Liberii decessor, qui a. 337. ad 352 Ecclesiam Romanam rexit, post institutum rei huius examen sollicitum, primus decrevit, ut natalis Domini nostri celebraretur d. XXV *Decembris*. Etsi vero (*g*) narrationes illae insulsae plurimis scateant fabulis, multiplicemque et crassam historiae ignorantiam prodant, improbabile tamen non est, tempore Iulii, Festi huius in d. XXV *Decemb.* coniecti celebrationem Romae invectam fuisse. Ideoque *Calendarium Romanum*, cuius mentionem paulo ante feci, quodque anno circiter 354, biennio post mortem Iulii, adornatum creditur, Festum hoc commemorat, tamquam ab aliquo iam tempore Romae celebrari solitum.

§ 10 Quidquid autem sit, de eo certo constat, consuetudinem, Romae primum stabilitam, ut dies natalis Christi d. XXV *Decembris* celebraretur, post medium seculi IV paulatim per Orientem totum propagari coepisse, diei vero VI *Ianuar.* partem tantum pristinae Festivitatis religiosae, memoriam nempe adventus Magorum ad Iesum, et baptismi, quo a Iohanne in Iordane tinctus fuit, propriam permansisse. Nos

(*e*) In Auctario Bibliothecae Patrum, Paris. 1648, Tom. II col. 297.

(*f*) In notis ad Constitutiones Apostolicas Lib. V c. 13.

(*g*) Vide *Cotelerium* loc. cit. Les Mémoires de *Tillemont*, ubi supra p. 418. Dissertation de Mr. *des Vignoles*, *touchant le iour de Noël*, dans la Bibliothèque Germanique Tom. II p. 32 et sqq.

Non ignota ſunt verba magni *Iohannis Chryſoſtomi*, quibus id teſtatur, et a viris eruditis pluribus in medium iam allata. Sed nec ego omittere ea hic poſſum. Ita vero Patrum facundiſſimus, in Oratione, qua ſolemnitatem Feſti natalitii Chriſti, A. 386, Antiochiae proſequi voluit, hac de re loquitur (*h*): *Nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſte nobis innotuit. Attamen perinde, ac ſi iam olim a multis annis nobis traditus eſſet, ita opera veſtra celebratus inclaruit. Quare non erraverit, qui eumdem novum ſimul et antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum illius notitia ad nos pervenerit, antiquum vero et vetuſtum, quod celeriter, vetuſtioribus aetate velut ſuppar, redditus ſit, et ad eamdem cum ipſis aetatis menſuram pervenerit.* Et quibusdam interiectis: *Non aliter hic dies, cum ab exordio iis, quia in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum, non ante multos annos transmiſſus, repente ita increvit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet.* Et poſt plura: *Nam multos etiam nunc de eo ipſo inter ſe diſceptare, probe novi, et hos quidem illum reprehendere, alios defendere: multus ubique de hoc die ſermo; partim incuſantium, quaſi novus ſit, nuncque recens invectus; partim eumdem propugnantium, tamquam antiquum et vetuſtum.* Et poſt alia nonnulla: *Et iam inde a primordio, ab ipſa Thracia ad Gades incolentibus, manifeſtus et celebris fuerit.*

§ 11.

(*h*) *Chryſoſtomus* Operum Tom. 11. edit. Montfaucon. p. 355. Quod vero ad tempus attinet et locum, ubi Homilia illa fuit habita, id omne perdocte exponitur in *Montfauconii* Monito de hac Homilia p. 352.

§ 11. Ex his tamen ſatis liquere arbitror, adulto ſeculo IV diverſas admodum fuiſſe in Eccleſiis Orientalibus, circa verum Feſti illius celebrandi tempus, hominum ſententias, plurimosque etiamnum, conſuetudini recens a Romanis invectae, antiquiorem, quae Feſtum natalitium Domini die VI *Ianuarii* fixerat, conſtanter praetuliſſe. Idque etiam ex hiſtoria illius temporis confirmatur. Nam in ipſa illa Eccleſia, quae reliquarum omnium mater extitit, Hieroſolymitana, ſeculo demum V Iuvenalis Epiſcopus, qui Concilio Epheſino, adverſus Neſtorium coacto, A. 431, interfuit, diem natalem Domini, ritu Romano, die XXV *Decembris* primus celebrari voluit, quod teſtatur (*i*) *Baſilius Seleucienſis*, illius aequalis, adſtipulante (*k*) auctore anonymo hiſtoriolae illius, cuius § 9. mentionem iniecimus, quae falſis et incertis vera quoque nonnulla adtexta habet. Conſimiliter in Cypro inſula, quo tempore *Epiphanius* Episcopatum Salaminienſem adminiſtrabat (*l*), uti is ipſe teſtatur in *Panario*, A. 374 et ſequentibus conſcripto, mos antiquus, celebrandi natalium Chriſti memoriam die VI *Ianuarii*, etiamnum obtinuit. Et *Epiphanio* ipſi certum videbatur et exploratum, non alio quam hoc die, Servatorem optimum lucem huius mundi adſpexiſſe. Quare mirum videri nemini poteſt, in Aegypto, quae Feſti huius inſtitutionem prima vidit et admiſit, cultores Chriſtianae religionis priſtini ſui moris, ſaltem ad an-

(*i*) In *laudatione S. Stephani* (a *Combefiſio* inter alia Monumenta Eccleſiae Graecae edita Pariſ. 1656. 8vo.) p. 302.

(*k*) Vide *Cotelerii* notas ad *Conſtitutiones Apoſtolicas*, Lib. V. c. 13. Adde Opera *Cyrilli Hieroſolymitani* p. 370, 371, edit. Touttei.

(*l*) Haereſi L. I. § 29. vide et § 24, 27.

annum usque 425, tenaces fuisse et mansisse. *Iohannes* enim *Cassianus*, qui septem annos in Aegypto exegit, et ab A. 424 ad scribendum se contulit, haec memoriae prodidit, *Collatione* X c. 1: *Intra Aegypti regionem, mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto Epiphaniorum die, quem Provinciae illius sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt, et idcirco utriusque sacramenti solemnitatem, non bifarie, ut in occiduis Provinciis, sed sub una huius diei festivitate concelebrant.* Sed non ita diu post annum, quem modo nunc designavi, 324 vel 325, tempore Cyrilli Alexandrini Episcopi, etiam Aegyptus pristinum suum ritum celebrandi Festum natalitium Christi, cum novo Romano commutari passa est, quod ex indicio non uno (*m*) *Tillemontius* ad liquidum perduxit. Et ab illo tempore, reliquae in orbe Orientali Ecclesiae, exemplum Aegyptiorum paulatim secutae, ritum Ecclesiae Romanae adoptarunt, praesertim postquam (*n*) *Theodosius* iunior, et post eum *Iustinianus*, Imperatores, leges hac de re tulissent. Quin imo post haec persuasio homines invasit (*o*), institutum hoc derivatum esse ex traditione Apostolica, a qua secedere Christianos parum deceret. Soli, quantum nunc recordari possum, Armeni (*p*), pristinam consuetudinem de-

(*m*) *Mémoires pour servir à l'histoire Ecclesiastique*, Tom. I. p. 420.

(*n*) *Pagius* in Critica Annalium Baronii ad A. C. 551. num. XXI. XXII.

(*o*) Vide *Tillemontium* loc. cit. p. 416.

(*p*) *Dionysius Barsalibi* apud *Assemanum*, Biblioth. Oriental. Tom. II. p. 164. a. et b. *Clementis Galani Historia Armena*, p. 50. sqq. edit. Colon. 1686.

deſerere, religioni ſibi duxerunt, quos tamen idcirco (*q*) *Dionyſius Barſalibi*, Amidenſis in Meſopotamia ſeculo XII Epiſcopus, homines *durae cervicis, craſſaeque mentis, veritati non obedientes*, vocare veritus haud eſt.

§ 12. Vbi ergo ritus ille, Feſtum natalitium Chriſti Domini, die XXV *Decembris*, celebrandi, ab Eccleſia Romana ad reliquas in toto orbe tantum non omnes dimanavit, credi quoque paſſim coepit, eum niti antiqua traditione Apoſtolica. Ipſe *Chryſoſtomus*, in Oratione illa ſacra, ex qua nonnulla attuli § 10, auditoribus ſuis perſuadere conatur, ſolemnitatem illius diei, ab antiquo, ipſis videlicet Apoſtolis, quod facile ſuggerere vult, ad ſuum usque tempus propagatam fuiſſe. Verum ne hoc quidem contentus, quandoquidem multi, quod diffiteri haud poteſt, veritatem antiquae huius, ut credebat, traditionis in dubium vocabant, dictis alio praeterea argumento, ex hiſtoria Evangeliſtarum de nativitate Chriſti depromto, fidem conciliare annititur. Locum ex oratione eius integrum hic deſcribere, prolixum valde foret. Cum vero totam illius argumentationem in pauca contraxerit doctiſſimus (*r*) *Vignolius*, ea repetenda hic eſſe duxi. Ita vero rationes *Chryſoſtomi* procedunt. *Eliſabetha* (mater Iohannis Baptiſtae) *ſextum menſem gravida iam erat, cum benedicta virgo Maria conciperet: Zacharias autem, in Sancto Sanctorum ſacris operabatur, quando Angelus Domini ipſi apparuit, futurum filii Iohannis ex uxore partum eidem annuntians. Sacerdoti autem ſummo, et quidem ſoli, nonniſi ſemel quot-*

(*q*) Loco citato.

(*r*) Diſſertation de Mr. *des Vignoles*, *touchant le Iour de Noël*, ubi ſupra p. 40, 41.

quotannis, Sanctum Sanctorum ingredi licebat, die, videlicet magno expiationis, qui erat x *menſis Tiſri, inque finem menſis Romanorum Septembris ingruere ſolebat. Si vero a Septembre exeunte, ſex menſes numeres, invenies, conceptionem Chriſti Domini, in ultima menſis Martii incidere, quo pacto nativitas eius novem menſibus poſt, in finem Decembris coniicienda erit.* Calculos hos e veteribus (*s*) alii etiam magnopere probant. Sed iam dudum obſervarunt monuerunt que viri docti, in hac doctoris eloquentiſſimi ratiocinatione, multa ut vera et certa poni, quae tamen longe aliter ſe habuiſſe, indubitate ſcimus, et cum veritate conſiſtere haudquaquam poſſunt. Nam ſi vel de ceteris conſtaret, praecipuum tamen rei huius fundamentum, cui reliqua ſuperſtruuntur, quod Zacharias nempe munere functus fuerit Pontificis maximi: quod Angelus in Sancto Sanctorum verba ad eum fecerit: quodque omnia haec contigerint die x Tiſri, qui ſecundum calculos (*t*) *Scaligeri*, tum fuit d. XXVII *Septembris*, hoc, inquam, fundamentum, totum quippe ex erroribus conflatum, non poteſt non corruere. Inter Pontifices maximos Iudaeorum huius temporis (*u*), nullus commemoratur *Zacharias*. Is vero in hiſtoria Evangelica *Lucae*, cap. I v. 5.

(*s*) *Vide Scaligerum de emendatione temporum* Lib. VI p. 543, *Chemnitii Harmoniam Evangelicam*, cap. II p. 47, *Salomonem à Til*, de anno, menſe, et die nati Chriſti, Part. I cap. II § V, *L'Hiſtoire de Manichée*, de Mr. *de Beauſobre* Tom. II p. 697. ſqq.

(*t*) *De emendatione temporum*, ubi ſupra.

(*u*) Series horum Pontificum videri poteſt apud *Seldenum*, *de ſucceſſione in Pontificatum Hebraeorum*, Lib. I cap. XI.

v. 5. appellatur tantum Ἱερεὺς, *Sacerdos* gregarius. Ibidem indicatur quoque classis, vel ephemeria Sacerdotalis, e qua is ortum traxerat, et quam ordo ministerii sacri in templo, illo tempore, tangebat, *ephemeria* scilicet *Abiae*. Vices ministerii sui obibat in Templo, thusque adolebat, ubi ordo eum vocaverat, v. 8, 9. Cum Angelus ei appareret, ad altare suffitus consistebat, v. 11, quod non in Sancto Sanctorum, verum in Sancto collocatum erat, ubi etiam Sacerdotibus gregariis sua assignata erant munia. Et denique, expleto ministerii sui tempore, domum ad suos revertebatur, v. 23. Quae omnia invicta ratione probant, Zachariam nequaquam Principem Sacerdotum fuisse, sed unum tantum e reliquorum grege, quod etiam docti omnes, a longo iam tempore, libenter agnoscunt.

§ 13. Ratio igitur primaria, qua *Chrysostomus*, veteresque permulti alii, inducti se passi sunt, ut crederent, sanctissimum Servatorem, die XXV *Decembris*, in lucem editum fuisse, re ipsa nulla est, et ne minimam quidem attentionem meretur. At in promtu ratio est, eaque ex Evangelica pariter historia petita, quae planum facit, in diem illum, quem volebant veteres modo nunc adducti, nativitatem Domini incidere omnino non potuisse. Etenim e vetustis fideque dignis rerum Iudaicarum monumentis perspicitur, Iudaeos in patria sua hunc constanter morem servasse, ut pecora sua tempore verno pastum in agros camposque emitterent, ut ibi non interdiu tantum, sed et noctu permanerent, neque domum revertérentur, nisi adventante prima pluvia, quae in mense *Marchesvan* cadere solebat. Is vero partim *Octobri*, partim *Novembri* nostro respondebat. Ab eo tempore pecora Iudaeorum iam non amplius in agris pernoctabant, sed quotidie, inclinato die, domum reducebantur. Ex hi-

hiſtoria vero nativitatis Chriſti, *Lucae* cap. II v. 8. diſcimus, tempore illo paſtores cum gregibus ſuis in agris etiamnum pernoctaſſe, quod poſt Feſtum Paſchatis, ad usque *Novembrem* menſem tantum, fieri conſueverat. Videntur rei huius rationem habuiſſe, qui omnium primi in diem et menſem nativitatis Chriſti inquirere ſategerunt, quibusque indoles Palaeſtinae, et conſuetudines illic receptae notiores erant; quam aetati inſecutae. Illi enim, ſicuti teſtatur *Clemens Alexandrinus*, cuius verba dedimus ſupra § 3, nativitatem Chriſti, in finem Aprilis, aut in menſem Maium, coniiciendam eſſe exiſtimabant, forte quia ipſos non latebat, illo iam tempore, Iudaeos greges ſuos in agros camposque ſolitos fuiſſe mittere, ut illic pernoctarent. Quod de iſta Iudaeorum conſuetudine hic monui, res ipſa (*y*) per ſe ſatis loquitur. eam demque ex Hebraeorum Pandectis Thalmudicis docte aſſeruit vir harum rerum longe peritiſſimus (*w*), *Iohannes Lightfootus*. Ipſe *Iohannes Harduinus*, e Societate Ieſu, non obſtante mirifico illo, et nonnumquam vere ridiculo zelo, quo traditiones omnes, et opiniones praeiudicatas Eccleſiae Romanae propugnare ſolet, in hoc tamen negotio, robur argumenti, quo uſus erat doctus Anglus, palam agnovit, eiusque ſententiam ſuffragio ſuo (*x*) comprobavit, etſi nominis eius mentionem non facere ſatius duxerit.

(*y*) *Salomo van Til*, ubi ſupra, § VII. p. 39. Edit. Ienenſ.

(*w*) In H. Hebr. ad Lucae l. c.

(*x*) In Antirrhetico adv. Vaillantium de Nummis antiquis p. 65.

rit. Sententiae eidem (*y*) Chronologorum noſtri temporis princeps, ante plures annos, ex Pandectis quoque Thalmudicis, novam et eximiam lucem affudit, eamque adverſus exceptiones nonnullas doctiſſimi alicuius e coetu Romanenſium Theologi, tam egregie indicavit, ut dubio locus non ſuperſit.

§ 14. Vnum hocce, antequam ad alia progrediar, adhuc monebo, morem illum, quem Iudaeis nunc vidimus aſſertum, ita illis proprium et peculiarem haud fuiſſe, quin eumdem Graecos quoque et Romanos obſervaſſe, deprehendamus. De Graecis teſtari poſſunt hi *Sophoclis* verſus, in *Oedipo Tyranno* v. 1154 et ſqq.

——— ἦμος· τὸν Κιθαιρῶνος τόπον
Ὁ μὲν διπλοῖσι ποιμνίοις, ἐγὼ δ' ἑνὶ
Ἐπλησίαζον τῷδε τ' ἀνδρὶ τρεῖς ὅλους
Ἐξ ἦρος εἰς ἀρκτοῦρον ἐμμήνους χρόνους,
Χειμῶνι δ' ἤδη τ' ἀμάτ' εἰς ἔπαυλ' ἐγὼ
Ἤλαυνον, οὗτός τ' εἰς τὰ Λαΐου σταθμά.

——— *quando in Cithaeronis locis,*
Vt ille duobus gregibus praeerat, ego vero uni,
Converſatus ſum cum hoc viro, per tres totos
Menſes, a tempore veris, usque ſub ortum Arcturi,
Cum iam hyems immineret, ego in mea ſtabula
Pecora agebam, ipſe vero in Laii ſepta.

Paſtores igitur Graeci, cum gregibus per aeſtatem aliquot menſibus in campis pernoctabant, et imminen-

(*y*) *Vignolius* l. c. p. 62, 63.

nente tantum hyeme, id eſt, tempore pluvioſo, menſe Septembri eos in ſtabula domeſtica reducebant. Sed et Romanos aliter non egiſſe, liquet ex hiſce T. *Calpurnii*, Ecloga v. 15 ſeqq.

——— Vere novo, cum iam tinnire volucres
Incipient, nidosque reverſa lutabit hirundo:
Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
Sed non ante greges in paſcua mittito clauſos,
Quam fuerit placata Pales. ———

id eſt, non ante Aprilem menſem, quo Palilia celebrata fuiſſe a Romanis, norunt harum literarum ſtudioſi.

Plura his addere operae pretium non eſt.

ROYAL ASIATIC SOCIETY LIBRARY OF THE BOMBAY BRANCH OF THE

DISSERTATIO SECVNDA

DE ORIGINE FESTI NATIVITATIS CHRISTI, IN ECCLESIA CHRISTIANA QVOTANNIS STATO DIE CELEBRARI SOLITI.

§ 1. Ex obſervatione illa, quam Diſſertatione ſuperiori § 13 ſuppeditavi, ſi bonis rationibus nititur, de quo dubitare mihi non licet, certo colligitur, duobus illis diebus feſtis, quibus a tempore ſeculi III vel IV Eccleſia memoriam nativitatis Chriſti celebrare conſuevit, primo quidem d. VI *Ianuarii*, deinde vero d. XXV *Decembris*, Servatorem noſtrum optimum mundo utique non apparuiſſe. Ea quoque inſuper mihi firmiter ſtat ſententia, illos, qui celebritatem horum dierum primi in Eccleſiam invexere, haudquaquam ſibi perſuaſiſſe, aut aliis etiam perſuadere voluiſſe, illis ipſis diebus benedictum noſtrum Servatorem lucem hanc noſtram adſpexiſſe; verum quod de

de Basilidianis (*a*) iam monui, rationes videntur fuisse symbolicae et emblematicae, ob quas memoriam nativitatis Christi salutaris hisce diebus illigare voluerint. Nempe uterque hicce dies, quem modo designavi, populis cultioribus plurimis, his iste, aliis ille, sacro sanctus habebatur, et impensa religione solemniter celebrabatur. Solebant diebus hisce idolorum cultores memoriam recolere mirabilium Dei operum et beneficiorum, quibus summum Numen, sapientiae suae, bonitatis, et potentiae specimina illustria, in rerum natura, omnibus hominibus quotannis edit, etsi religiosae illae solemnitates multa impietate idololatrica essent contaminatae. Cultus ille idololatrarum religiosus, apud gentes per totum orbem tantum non omnes, ad solem praecipue dirigebatur, eoque tendebat, ut beneficia, quae Deus invisibilis, mediante sole, in hunc mundum eiusque incolas confert, grata mente concelebrarentur. Sol vero circa finem mensis Decembris lucem suam veluti renovat, propius ad nos accedit, et splendore magis conspicuo terras nostras collustrat beatque. Tempus hoc eo nomine hominibus periucundum, Gentilium Philosophi et Sacerdotes haberi voluerunt a populo pro natali solis, idque ritibus religiosis, et laeta solemnitate populis ubique percelebrandum proposuerunt. Maximo huic et iucundissimo idololatrarum Festo, quo renovatio, nativitas, aut renascentia solis, magna cum laetitia solemniter peragebatur, Christiani quidam seculo II substituere coeperunt recordationem solemnem (*b*) *exortae ex alto lucis* coelestis, vel (*c*) *exorti piis in mundo solis iustitiae*, diem

(*a*) Dissertat. I § 7.
(*b*) *Lucae* cap. I v. 78.
(*c*) *Malachiae* III. 20, vel IV. 2.

diemque recordationi huic dicatum, nuncuparunt *Feſtum apparitionis et nativitatis Chriſti Domini.*

§ 2. Difficile non eſt, idoneis teſtimoniis veterum evincere, diem utrumque, hic a nobis deſignatum, d. XXV *Decembr.* et VI *Ianuar.* a diverſis gentibus, pro natali ſolis habitum, et celebritate religioſa conſecratum fuiſſe. Ordiar a d. XXV *Decembris*, quia, quod de eo diſſerendum nobis eſt, aliis iam obſervatum, adeoque penitus ignotum non eſt. In vetuſto *Calendario Romano*, regnante Conſtantio Imperatore, circa A. 354 compoſito, ad d. VIII *Kal. Ianuar.* ſive XXV *Decembr.* legitur N. *invicti*, i. e. *Natalis invicti*, qui igitur Romae celebrabatur d. XXV *Decembris* (*d*). *Bucherius* et *Lambecius*, quorum unusquisque Calendarium illud, e Codicibus diverſis, ſeorſim edidit, hariolantur, verbis iſtis ſubinnui diem, quo Conſtantius Imperator Vetranionem imperio deturbavit, quo facto cognomen *invicti* meruerit. Verum coniectura iſthaec, plurimas ob rationes, locum hic habere nequit. Satis mirari non poſſum, qui fieri potuerit, ut, cum *Petavius*, ante centum

(*d*) Habentur tres Calendarii huius editiones, in nonnullis a ſe invicem diverſae. Prima eſt *Iohannis Georgii Herwarti*, quam in *Vranologio* repetiit *Petavius* p. 112. Idem Calendarium ex alio cod. MS. edidit *Aegidius Bucherius*, in libro *de Doctrina temporum* p. 279. Poſt hunc *Petrus Lambecius* idem illud e Codice Bibliothecae Vindobonenſis vulgavit in Tom. IV *de Bibliotheca Vindobonenſi*. Omnes has tres editiones ſeparatim typis deſcribi curavit *H. L. Schurtzfleiſchius* in *Anno Romanorum Iuliano*, illiusque editione utor. *Bucherii* annotatio de *Natali invicti* habetur illic p. 288, *Lambecii* vero p. 318.

tum fere et triginta annos (*e*), recte iam obſervaverit, per N. *invicti*, in *Calendario Herwartiano*, nonniſi *natalem ſolis* intelligi poſſe, viri tamen omni doctrina inſigniter culti, qui Calendarium iſtud, poſt eius diligentiam, publici iuris fecerunt, a ſententia eius certa, et extra omnem dubitationis aleam poſita, diſcedere ſuſtinuerint. Etenim latere haud poteſt viros eruditione praeſtantes, *invictum* cognomen fuiſſe, a Romanis ſoli ſigillatim et oppido frequenter tribui ſolitum, ac veluti proprium. In vetuſtis inſcriptionibus, cognomen illud ſoli attributum, perſaepe legitur, quemadmodum (*f*) in iſta,

SOLI INVIC
TO ET LVNAE
AETERNAE
C. METTI GER
MANI. LIB.
DVO PARA
TVS ET HER
MES DEDERVNT.

at:

(*e*) Verba eius haec ſunt in comment. ad Orat. IV Iuliani Imp. in ſolem p. 87. edit. *Spanhem. Ludi* in honorem *ſolis invicti celebrantur* VIII *Kal. Ianuar. hoc eſt, ipſo die natali Chriſti Domini* (d. XXV. Decemb.). His ſubiungit verba Calendarii Romani a nobis allata. Hanc ſententiam merito ſuam fecit *Ant. Pagius*, in *Critica Annal. Baronii* ad A. C. 306. num. XV. uti nec minus *Ioh. Georgius Graevius* in notis ad Lactantium de mortibus Perſecutorum, cap. XXV p. 185, et *Gisbertus Cuperus*, in epiſtola ſubiuncta notis in Lactantium p. 9, eosque merito ſequitur *Salomo van Til*, in libro ſaepius citato p. 15 ſqq.

(*f*) Duae inſcriptiones, hic adductae, extant in *Gruteri*

Ix.

atque in ſequenti Graeca,

ΗΛΙΩ
ΜΙΘΡΑ
ΑΝΙΚΗ
ΤΩ

id eſt *Soli Mithrae, invicto.*

Cognomen idem *invicti*, conſecratum ſoli; non raro in nummis Imperatorum Romanorum reperitur. Commemorat *Harduinus* (*g*) *nummos* complures Gallieni, aliorumque inſcriptos SOLI INVICTO. In ipſis (*h*) Conſtantini M. nummis, quod mirari quis poſſet, ſaepenumero conſpicitur imago ſolis, cum epigraphe, SOLI INVICTO COMITI. Neque minus certum teſtatumque eſt, Romanos nativitatem, vel renovationem ſolis, die in Calendario deſignata, VIII *Kal. Ianuar.* vel XXV *Decembris*, magna laetitia et religioſa ſolemnitate celebraſſe. *Servii* hanc eſt obſervatio in *Virgilii Aen.* VII. 720: *Proprie* SOL NOVVS *octavo Kalendas Ianuarias*, vel, d XXV *Decembris.* Idem in I *Georgic.* 100. *Hyemale Solſtitium eſt octavo Kalend. Ianuariarum die, quo tempore ſol altiores incipit circulos petere.* Similiter *Cenſorie*

Inſcriptionibus antiquis totius Orbis Romani pag. XXXIII. vid. et p. XXXIV et XXXV. ubi pluſculae aliae, cum cognomine hoc ſolis leguntur. Adde *Reineſii Syntagma Inſcriptionum antiq.* Claſſ. I num XLV ad XLIX.

(*g*) In *Antirrhetico*, p. 66 edit. in 4to. Vide et *Pagii* Criticam Baronianam, ad A. C. 306. num. XV.

(*h*) Vide *Pagium* loc. cit., et inprimis auctorem libri perdocti, qui inſcribitur *Naturae et Scripturae concordia* p. 27, ubi et depicti videri poſſunt.

rinus, *de die natali* cap. XXI, NOVVM SOLEM dicit esse *brumam*. Brumam vero Romanos illigasse diei XXV *Decembris*, testatur *Plinius* in *Histor. Natur.* Lib. XVIII cap. 25. Pluribus aliis (*i*) veterum pro hac re testimoniis afferendis libenter supersedeo. Nihil vero tantam tamque egregiam lucem Calendario Romano, in nostra praesenti causa, affundit, atque locus *Iuliani* Imperatoris, in *Oratione in Solem*, quem adscribere nec me, nec legisse alios poenitebit. Ita autem ille (*k*): *Maiores nostri, iam tum a diviniſſimo illo rege Numa, usus utilitatisque ratione posthabita, ut homines decebat, divina indole et excellenti mente praeditos, ad ipsum potius horum omnium largitorem auctoremque respexerunt: ac praesenti tempestati illigari caput anni consentanee iusserunt; quando rex Sol, extremo meridiano limite derelicto, rursus ad nos revertitur: et ad capricornum, tamquam ad metas, cursum reflectens, ab Austro ad Septentriones progreditur, ut annua commoda nobis impertiat.* Et paucis interiectis: *Non eo die, quo sol conversionem facit, solemne illud peragi voluerunt; sed quo demum manifestus omnibus est illius ad Septentriones a meridie progressus.* Et post nonnulla alia: *Itaque statim exacto ultimo mense, qui Saturno*

(*i*) Possunt tamen, si tanti videbitur, consuli *Petavius* in notis ad *Iulianum* p. 86, 87, *Graevius* ad Lactantium de Mortibus Persecutor. p. 185. sq., *Philippi* à *Turre Monumenta veteris Antii* p. 226, 227, et Dissertatio *Vignolii* dans la *Bibliothèque Germanique* Tom. II p. 48, 49.

(*k*) *Iulianus* Oratione IV p. 155 et 156, edit. Spanhemii. Videtur Oratio haec, circa idem fere tempus, quo Calendarium Romanum, cuius toties meminimus, conscripta fuisse.

no dicatus est, ante initium anni, magnificentissimos ludos in honorem solis committimus, quos INVICTO SOLI *nuncupamus.* En! igitur natalem invicti, cui, quod etiam Imperator innuit, in Calendario Romano, d. XXV *Decembris* assignatum esse videmus.

§. 3. *Petavius*, quod supra monuimus, verbo iam observaverat, uno eodemque die, XXV. *Decembris*, tum ab idolorum cultoribus natalem celebrari consuevisse solis, tum a professoribus religionis Christianae natalem Servatoris mundi. Quod *Petavio*, haec scribenti, verosimiliter in mentem venit, id alius eiusdem ordinis Loyolitarum socius, aetate iunior, *Iohannes Harduinus*, libere et citra ambages, hunc in modum proloquitur (*l*): *Nam quod die* XXV *Decembris natalis* Christi Domini *dies colitur, id suspicamur sapientissime institutum ab Ecclesia Romana, iam a primis temporibus. Nempe eo consilio, ut, quoniam dies ille ab Ethnicis natali solis dedicabatur, ob reditum solis a bruma, religione mutata, Iesu Christi Domini ac veri solis nostri natali, cuius alioquin verus dies natalis lateret, tribueretur.* Neque tamen censeri debet, *Harduinum* aut primum, aut saltem inter primos fuisse, qui in huiusmodi cogitationes inciderit. Praeiverunt illi meliores ecclesiae nostrae scriptores ac doctores, qui partim eo ipso tempore, quo natalis Domini nostri, d. XXV *Decembris* illigari coepit, aut seculis proxime insecutis floruerunt, quod nunc nonnihil curatius persequi abs re non fuerit.

§. 4. Vir ille doctissimus, qui *Monumenta veteris Antii* in lucem protulit (*m*), aliquot veterum loca, ar-

(*l*) In *Antirrhetico* p. 65, 66. edit. primae.
(*m*) *Philippi* à *Turre Monumenta Veteris Antii*, p. 227,

argumentum, hoc inprimis illuſtrantia, nobis ſuppeditat, quorum nonnulla et hic deſcribemus, quibus deinde alia ſubiungemus. In ſermone, qui tribuitur *Ambroſio Mediolanenſi*, cuius tempore dies XXV *Decembris* memoriae nativitatis Domini conſecratus fuerat, haec leguntur verba (*n*): *Bene quodammodo, ſanctum hunc diem natalis Domini,* SOLEM NOVVM *vulgus appellat, et tanta ſui auctoritate confirmat, ut Iudaei etiam et Gentiles in hanc vocem conſentiant. Quod libenter amplectendum nobis eſt, quia oriente Salvatore, non ſolum humani generis ſalus, ſed etiam* SOLIS IPSIVS CLARITAS INNOVATVR. Habetur inter Opera Latina *Iohannis Chryſoſtomi* Homilia, quae quidem magnum illum Eccleſiae Graecae doctorem haud agnoſcit auctorem, ſed quae tamen eſſe illius aevi, et non immerito, iudicatur. In ea et haec occurrunt (*o*): *Sed* INVICTI NATALEM *appellant. Quis utique tam invictus, niſi Dominus noſter? qui mortem ſubactam devicit. Vel quod dicunt,* SOLIS *eſſe* NATALEM, *ipſe eſt* SOL IVSTITIAE, *de quo Malachias Propheta dixit: Orietur vobis timentibus nomen ipſius Sol iuſtitiae, et ſanitas eſt in pennis eius. Leo* M. Pontifex Romanus, in *Homilia* XXI, quae eſt *de nativitate Domini* II, cap. VI (*p*) *quorumdam perſuaſionem peſtiferam* repre-

hen-

227, 228. Adde Diſſertationem *Vignolii* dans la *Bibliothèque Germanique* Tom. II p. 49, 50.

(*n*) Sermone X *de nativit. Domini*, vel edit. Benedictinorum, Tom. II Appendice, Sermone VI.

(*o*) *Chryſoſtomi* Opera, edit. Venet. 1583. Lat. Tom. II p. 432.

(*p*) In Operibus edit. *Quesnelli* Tom. I p. 148.

hendit, *quibus haec dies ſolemnitatis* Chriſtianae, *non tam de nativitate Chriſti, quam de* NOVI, *ut dicunt,* SOLIS ORTV, *honorabilis videtur. Quorum corda vaſtis tenebris obvoluta, et ab omni incremento veræ lucis aliena ſunt: trahuntur enim adhuc ſtultiſſimis gentilitatis erroribus; et quia ſupra id, quod carnali intuentur adſpectu, nequeunt aciem mentis erigere, miniſtra mundi luminaria divino honore venerantur.* Et quae ibi ſequuntur pluſcula, lectu certe digna ſunt, ſed prolixiora, quam ut deſcribi hic queant. Addo huic Pontificis loco, ſane egregio, alium e Sermone XXV, qui eſt *de nativitate Domini* VI, cap. I (*q*): *Hanc adorandam in coelo et in terra nativitatem Filii Dei, nullus nobis dies magis quam hodiernus inſinuat, et* NOVA *etiam in elementis* LVCE *radiante, totam ſenſibus noſtris mirabilis ſacramenti ingerit claritatem. Non ſolum enim in memoriam, ſed et in conſpectum quodammodo redit Angeli Gabrielis cum Maria ſtupente colloquium. —— Hodie enim autor mundi editus eſt utero virginali.* Quis ex hiſce non intelligat, *Leonem* Antiſtitem, multa profecto laude, ſicuti inſignibus meritis, cumulatum, populum Romanum, ſuae curae creditum, at vero ludis, quos olim ſuperſtitio Ethnica d. XXV *Decembris* inſtituerat in honorem *Novi Solis*, nimis adhuc faſcinatum, et in ipſa Eccleſia Chriſtiana, in ipſa nativitatis Domini ſolemni celebratione, quae eidem diei illigata erat, oculos tamen et mentes ad ſolem in coelo fulgidum etiamnum dirigentem, a viſibilibus ad inviſibilia, a luce coeli corporea ad aeternum iuſtitiae Solem, eiusque laetiſſimum in terra noſtra ortum, convertere voluiſſe? Nempe haec erat Feſti nativitatis Domini, in illud an-

(*q*) In Operibus *Leonis* M. Tom. I. p. 161.

anni tempus reiecti, indoles, hocce ingenium. Hoc ſpectaverant, qui illius recordationem ſolemnem cum ſolſtitio hyberno coniunxerant. Idque *Leo* iucunda quadam ratione, et prudenter, auditorum ſuorum animis inſtillat.

§ 5. Sunt permulti alii, e vetuſtioribus Eccleſiae luminibus, qui ad rem hanc non ita obſcure digitum intendant. Et ex horum quoque ſcriptis quaedam hic in medium proferam, lectoribus, ut ſpero, haud ingrata futura. *Aurelius Prudentius* (*r*) Hymnum, quem in natalem Chriſti Servatoris condidit, verſibus hiſce auſpicatur:

Quid eſt, quod arctum circulum
Sol iam recurrens deſerit?
Chriſtusne terris naſcitur,
Qui lucis auget tramitem?

Tangit rem eamdem *Paulinus*, Nolanus in Italia Epiſcopus, qui ubi natalem tertium Felicis Martyris verſibus celebrat, etiam natalis diei Chriſti ſic meminit (*s*):

Nam poſt ſolſtitium, quo Chriſtus corpore natus
SOLE NOVO, *gelidae mutavit tempora brumae,*
Atque ſalutiferum praeſtans mortalibus ortum,
Procedente die, ſecum decreſcere noctes
Iuſſit. ——

Iungam his, quae apud auctorem Homiliarum, *Euſebio*

(*r*) In Libro *Cathemerinon*, Hymno XI.
(*s*) Vide eius *Poëmata* num. XVIII p. 538. edit. Rosweydi.

bio Emiſſeno falſo adſcriptarum, reperi etiam haec verba (*t*): *Hodie enim noctis damna in diei transeunt lucra. Hodie nox deficientibus tenebris minoratur, et dies* (*u*) *additus luci producitur: ut, naſcente lucis auctore, omni illa, quae totum mundum operuerat et texerat, infidelitatis nocte diſcuſſa, fides noſtra veluti dies luceat.* Et poſt interpoſita nonnulla: *Omnium ſeculorum anteceſſor et conditor, hanc diem ſibi, in qua naſceretur, elegit: ut ſicut proficiebat luce, proficeret etiam dignitate.* Quid poſt haec opus eſt pluribus?

§ 6. Quae hactenus attulimus, ſcriptores Eccleſiae Latinae nobis ſuppeditarunt. Addamus iis nonnulla, e ſcriptoribus Graecis, aut magis etiam ad Orientem poſitis, excerpta. Ex Graecis unum commemoraſſe ſufficiat *Gregorium Nyſſenum*, qui (*v*) alicubi obſervat, *diem natalem Chriſti* celebrari *in ſolſtitio hyberno, cum dies augentur.* Extat in Bibliotheca Vaticana, *Dionyſii Barſalibi*, Theologi Syri, qui ſeculo XII adulto Eccleſiae Amidenſi in Meſopotamia praefuit, Commentarius in IV Evangeliſtas, in quo et haec (*w*) habentur: *Natus eſt Dominus* d. XXV. *Decembris, quia eo tempore lux tenebras incipit ſuperare, ſignificans, Dominum eſſe lucem*

(*t*) Homilia II *de nativitate Domini*, in Operibus, Pariſ. 1575 editis, p. 239. a.

(*u*) *Graevius*, qui hunc ipſum locum in teſtimonium adhibet, ad *Lactantium de mortibus Perſecutorum* p. 185, legendum hic cenſet, *addita luce.*

(*v*) In Homiliis in octo beatitudines, Operum edit. Graeco-Latinae Tom. I p. 778, 779.

(*w*) Apud *Aſſemanum* in *Bibliotheca Orientali Vaticana*, Tom. II fol. 163.

cem mundi, et ab ipso diabolum fuisse superatum, qui tenebris figuratur. Observavit autem (*x*) vir doctissimus, a quo haec accepimus, Amidensem Praesulem haec hausisse ex *Ephraemo*, *Eusebio*, et *Iacobo Edesseno*, scriptoribus longe antiquioribus. Prae aliis vero, ad mentem *Harduini* prorsus apposite, *Anonymus* quidam Syrus rem hanc ita exponit (*y*): *Causam porro; cur a Patribus praedicta solemnitas*, nativitatis Domini, *a die* VI *Ianuar. ad* XXV *Decembr. translata fuit, hanc ferunt fuisse. Solemne erat Ethnicis, hac ipsa die* XXV *Decembris Festum ortus solis celebrare; ad augendam porro diei celebritatem, ignes accendere solebant: ad quos ritus populum etiam Christianum invitare et admittere consueverant. Quum igitur animadverterent doctores, ad eum morem Christianos propendere, excogitato consilio, eo die Festum ortus veri Solis constituerunt. Die vero* VI *Ianuar. Epiphaniam celebrari iussere. Hunc itaque morem, ad hodiernum usque diem, cum ritu accendendi ignis retinuerunt.* Ex his omnibus satis liquere arbitror, 1) Romanos, cum idolorum cultui adhucdum essent mancipati, die XXV *Decembris* quovis anno, nativitatem vel renovationem solis, ritibus multis et ingenti populi laetitia, celebrasse. Et 2) pios Ecclesiae Christianae Antistites, ut populum, sacris verae religionis iam initiatum, ab insano studio, quo etiamnum Festum hocce, ab Ethnicis olim institutum, prosequebantur, tanto facilius abducerent, Festo Ethnico substituisse aliud, sacris Christianorum plane consonum, quo non iam amplius renovatio solis visibilis, in coelo lucentis,

(*x*) *Assemanus* loc. cit. fol. 162.
(*y*) Apud *Assemanum*, Tomo citato, fol. 164.

tis, ſed ortus ſalutaris veri Solis iuſtitiae, decente modo, celebraretur. Ac 3) ne ſic quidem effuſum illud ſtudium populi Romani, quo feſtivitatem religioſam priſcam, cultui ſolis renovati dicatam, a pluribus ſeculis quotannis recoluerant, potuiſſe reprimi. Id nos docuit oratio ſacra *Leonis* Papae, ex qua particulam decerptam exhibuimus § 4. Quinimo ſeculo VIII, quo ſacra gentilium avita penitus iam dudum abolita erant, reliquias tamen illius ſuperſtitionis paganicae aliquas etiamnum ſuperfuiſſe, diſcimus ex Concilio Romano, a Zacharia Papa A. 743. coacto, cuius canon IX ita ſonat (*z*): *Vt nullus Kalendas Ianuarias et broma colere praeſumſerit, aut menſas cum dapibus in domibus praeparare, aut per vicos et plateas cantationes et choros ducere.* Per *broma* intelliguntur *brumalia*, quomodo forte legendum ibi fuerit. Eorum mentio reperitur in Concilio Conſtantinopolitano, Quini-ſexto, vel Trullano, congregato anno 691, vel, ut alii, 692, canone LXII (*a*) ubi, quemadmodum in Concilio Romano, coniunguntur, *αἱ καλάνδαι καὶ τὰ καλούμενα βρουμάλια*, *Calendae* (ſubintellige, *Ianuariae*) *et dicta Brumalia*. Erant autem *brumalia* Feſtum veterum Romanorum, quod reſpiciebat *brumam*, ſive ſolſtitium hybernum, in quo ſol renovari credebatur. Tanguntur itaque hic ſine dubio reliquiae nonnullae ſuperſtitionum, quibus olim Gentiles in illo Feſto indulſerant, et quae nondum penitus aboleri potuerant.

§ 7. Quae hactenus de ſolemnitate diei XXV *Decembris*, alios ſecuti, obſervavimus, novum ex eo nec

(*z*) In Collectione Conciliorum *Labbeana*, Tom. VI col. 1548.

(*a*) In eadem Collectione, Tom. VI col. 1170.

nec exigui ponderis robur acquirent, quod, uti nunc pluribus adſtruetur, antiquior natalis Chriſti commemoratio, cui in Aegypto primum dies VI *Ianuar.* dicata fuit, non aliam habuerit originem, nec alia nitatur ratione, quam illa, quae poſtea effecit, ut ſolemnis illa natalium Ieſu commemoratio in diem XXV *Decembris* coniiceretur. Feſtum nativitatis Domini, quantum novimus, omnium primi in Aegypto ſolemniter celebrarunt Baſilides eiusque ſectatores, illamque ſolemnitatem peragi voluerunt d. V *Ianuarii*, quod (*b*) ſupra ex *Clemente Alexandrino* evicimus. Feſtum hoc, conſecratum primitus, non tantum memoriae Chriſti nati, verum et quaeſiti et inventi a Magis Ethnicis, ac praeterea a Iohanne Baptiſta in Iordane undis tincti, et denique editi ab eo Canae in Galilaea miraculi primi, initio nuncupabatur ἐπιφάνεια, vel τὰ ἐπιφάνια, *Feſtum manifeſtationis et apparitionis glorioſae*, qualis eſt apparitio ſolis in coelo. Vocem eamdem adhibere etiam (*c*) Scriptores N. Teſtamenti, ubi vel de primo eius in mundum adventu humili, cuius teſtes fuerunt ante tot ſecula homines in Iudaea, vel de ſecundo glorioſo, quem adhuc expectamus, eiusdem adventu, loquuntur, neminem latere poteſt. Inprimis vero vox eadem maiorem in modum placebat Baſilidianis, omnibusque in univerſum Gnoſticis, ut qui Servatorem optimum imagine ſymbolica et emblematica ſolis perlibenter deſignarent et repraeſentarent, atque ex Theologia ſua Aegyptiaco-Philoſophica, de ſole multa ad Chriſtum Dominum transferrent. In gemmis Gnoſticorum, quas Abra-

(*b*) Diſſertat. I § 7, 8.
(*c*) Poſſunt evolvi loca Lucae c. I v. 78, 79; *ad Titum* II, 11, 13, I ad Timoth. I. 10, IV, 18.

Abraxeas appellare eruditi ſolent, plures cernuntur imagines, in quibus ſymbola ſolis manifeſta docti omnes agnoſcunt, illas vero ad Servatorem noſtrum referendas eſſe, huncque Gnoſticos per illas deſignare voluiſſe, mihi certum ac perſuaſum eſt. In gemma *Chifletiana* XLII vir iuvenis conſpicitur, in capite coronam, dextra vero manu calicem gerens, qua effigie Bacchum depingi cenſet (*d*) *Chifletius*, ego vero benedictum noſtrum Servatorem. Calix, quem ille, quisquis eſt, manu tenet, calicibus noſtris Euchariſticis adeo ſimilis eſt, ut ovum ovo nequeat eſſe ſimilius. Calicem igitur Euchariſticum hic deſignari, non eſt quod dubitem. Sed ſi quod poſſet ſupereſſe dubium, illud literae ab utroque figurae huius latere adſcriptae Θ. X. animo meo prorſus omne eximerent. Hae enim literae, quarum rationem nullam, aliqua probabilitatis ſpecie ſe tuentem, reddere potuit *Chifletius*, non Baccho, quod ille putabat, ſed Servatori noſtro optime conveniunt. Significant enim luculenter Θεὸν Χριϛὸν *Deum Chriſtum*, in quibus recte intelligendis adeo aberrari non poteſt, ut videam, praeſtantiſſimum *Montefalconium* (*e*) id quoque animadvertiſſe, tametſi mox addiderit: *At nollem affirmare, eam eſſe veram lectionem.* Ego vero illud affirmare nullatenus vereor. Plura huiusmodi adderem, niſi iſtud ſtudiorum genus, a pluribus annis intermiſſum, ex animo meo fere evanuiſſet. Si forte ad illud reverti D. V, dabitur, alio loco neglecta hic reſarciam.

§ 8.

(*d*) In *Commentariis ad Gemmas Abraxeas*, cap. VII p. 86 ſqq.

(*e*) *Antiquité explicée* du *P. Montfaucon* Tom. II Part. II p. 366.

§ 8. Quoniam igitur Gnoſtici, ac ſigillatim Baſilidiani, ſymbolo ſolis, ad deſignandum Servatorem mundi, eiusque divina beneficia, tantopere delectabantur, apparitionis eius in terra memoriam, illo ipſo die, a ſuis ſolemniter recoli volebant, quo Aegyptii, qui idola colebant, omnes reditum ſolis ad nos, eiusque renaſcentiam vel renovationem, effuſa laetitia et ſolemnitate impenſa celebrabant. Feſtum illud, cuius ſaepiſſime veteres meminerunt, communius appellari ſolet *Inventio Oſiridis*, vel *Feſtum Oſiridis nati*, aut *renati*, quem ſymbolum Aegyptiis fuiſſe ſacroſanctum ſolis, probatione non eget. Hoc in Feſto populus, per totam Aegyptum ad honorandam tantam ſolemnitatem congregatus, accepto nuncio de invento iam Oſiride (*f*), exclamare ſolebat, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, *invenimus* Oſiridem, *et de eo cuncti magnopere laetamur.* Quae verba aliquid ſimile ſonant illis (*g*), quibus olim Angelus Domini ſalutarem Servatoris noſtri in carne apparitionem, vel nativitatem, paſtoribus annunciavit, Εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ, ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον Σωτήρ, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator.* Maximum iſtud Feſtum ab omnibus avitorum ſacrorum fautoribus, per totam Aegyptum, quotannis peragebatur d. XI *Tybi*, id eſt, VI *Ianuarii*. Equidem fatendum mihi eſt, id quod nunc aſſerui, neque ex vetuſtis ſcriptoribus, neque ex doctis noſtris Cri-

(*f*) *Iuvenalis Satyra* VIII. 29, 30, et ad eum locum vetus Scholiaſtes. *Athenagoras in ſupplicatione pro Chriſtianis* p. 24. *Firmicus de errore profan. relig.* p. 5.

(*g*) *Euang. Lucae* cap. II v. 10.

Criticis et Literatoribus, quemquam conceptis verbis docuisse vel adstruxisse. Sunt potius inter hos, qui aliud omnino sentiant, nobisque persuadere laborent, a quibus tamen discedere ego vel invitus cogor. Etenim postquam adhibita omni studio et cura, argumentum hoc ab omni parte versavi, et diligenter excussi, expensis omnibus, quae hic se offerunt, rei momentis, in ea tamdem sententia acquiescendum mihi esse vidi, Festum illud Aegyptiorum, de quo quaerimus, in diem XI *Tybi*, anni Aegyptiorum fixi, quo utebantur illic Alexandrini a tempore Augusti Imperatoris, et cum his incolae illius regionis Christiani, citra omne dubium incidisse. Sententiae meae rationes nunc proferam.

§ 9. Aliorum (*h*) primo hac de re sententias, ne quid dissimulasse videar, lectori exponam iuxta atque explicabo, deinde vero meam idoneo argumento adstruam. Haud ita pridem Scriptor (*i*) eruditus et amoenus historiae Philosophicae religiosam hanccc Aegyptiorum festivitatem in *veris principium* conie-cit. Neque dissiteor, rationem, qua utitur, ingeniosam esse, et ab indole Theologiae Aegyptiorum non ita videri alienam. Verum aliter re ipsa gentis illius sacerdotibus visum esse, ea quae iam sequentur, palam facient. *Io. Marshamus*, doctus et laboriosus omnis

(*h*) Quandoquidem Schediasma meum Germanicum, paucis ante annis a me editum, cuius versio hic benevolo lectori offertur, pertractationem uberiorem huius argumenti, plurimas ob rationes, haud admisit, eam loco magis opportuno, in *Miscellaneis Berolinensibus* Tom. VII p. 387. sqq. examini eruditorum exposui, unde illa hoc loco repeti debuit. [vid. t. II Opusculorum *Iablonskii* p. 256 sqq.; ubi fere eadem. Conf. quae illic notavi.].

(*i*) Mr. *Des Landes Histoire Critique de la Philosophie* Tom. I p. 151.

omnis antiquitatis, ac praeſertim Aegyptiacae, inveſtigator (*k*), *menſem Iunium* ſolemnitati illi dicatum cenſet, forte quod ſub idem fere tempus, mundum conditum eſſe, Aegyptiorum ferret traditio. Magnus *Scaliger* (*l*) mavult menſem *Athyr*, qui Romanorum *Novembri* fere reſpondet, eumque ſecutus *Seldenus* (*m*), qui nobis etiam erroris huius, quem iamiam examinabo, originem aperuit. *Kircherus* hic quidem non adeo procul a veritate aberravit (*n*), quando ſacra haec, menſe *Choeac*, id eſt, *Decembre*, celebrata eſſe affirmat.

§ 10. *Scaligerum* non moror, cui impoſuerunt ſcriptores quidam Latini, verae Aegyptiorum Theologiae ignari, eamque ex opinionibus Graecorum quorumdam et Romanorum, haud bene fundatis, dimetientes. Vitandae nimiae prolixitatis ergo, eum aviam ſectantem, iam non ſequemur, contenti propoſuiſſe, ſed et idoneis rationibus adſtruxiſſe veram Aegyptiorum doctrinam. *Seldeno*, qui id ſubodoratus eſt, aliamque ea de cauſa viam ingredi voluit, fraudi fuerunt verba *Plutarchi*, quae haud dubie in mendo cubant, verum correcta atque rite expenſa, ad inveſtigandum verum manu ducere nos poterunt. Verba *Plutarchi* haec ſunt (*o*): *Menſe Athyr periiſſe Oſiridem dicunt, quando eteſiis omnino deficientibus, Nilus recedit, et ſolum nudatur. Quando autem nox fit longior, tenebrae*

(*k*) In *Canone Chronico*, p. 31, edit. Franeker.
(*l*) *De Emendat. temporum* Lib. II p. 70.
(*m*) *De Diis Syris* Syntag. I. cap. IV p. 141, et Synt. II. cap. XI p. 335.
(*n*) In *Oedipo Aegyptiaco* Tom. II Parte II p. 262.
(*o*) In libro *de Iſide et Oſiride* p. 366, edit. Graeco-Lat.

brae creſcunt, lucisque ſuperatur et tabeſcit vis: tunc ſacerdotes cum aliis lugubres ritus exercent, tum bovem auratum, nigro byſſino amictu contectum, Deae nempe Iſidi tum lugenti, oſtentant. Eſt autem bos Oſiridis pariter (p), et terrae ſymbolum. — Die vero menſis XIX (τῇ δὲ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα) *noctu ad mare deſcenditur, et ſacram ciſtam Stoliſtae,* (quaſi *veſtitores* diceres,) *una cum Sacerdotibus efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis, et clamor tollitur ab his, qui adſunt, vociferantibus:* OSIRIDEM ESSE INVENTUM En! igitur *Oſiridem inventum*, et *clamorem ab adſtantibus ſublatum*, nempe ut § 8 intellexi nus, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, cuiusque *Iuvenalis* ſic meminit *Satyra* VIII. 29, 30.

Exclamare libet, populus quod clamat Oſiri
Invento. ———

Idque *Plutarchus* affirmat contingere τῇ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα, die XIX, cum paulo ante menſis *Athyr* nominatim feciſſet mentionem. Licebitne igitur *Seldeno* iam aſſeverare, haec omnia (q) *uno eodemque menſe Athyr celebrata fuiſſe*? cum *Plutarchus* id clare teſtetur. Ego vero minime cenſeo. Verba enim *Plutarchi*, ex quibus id elicitur, corrupta eſſe, ſi non aliunde conſtaret, ex ſolo tamen rerum et verborum contextu evidenter colligere quilibet poteſt. Ait enim auctor il-

(p) Graecus textus in editionibus, quas conſulere potui, Stephaniana, Baſileenſi, et Pariſina Graeco-Latina, ita concipitur, Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσι. Lege omnino καὶ γῆς, et ſic verti.

(q) Vbi ſupra p. 335.

ille eximius, Aegyptios per quatuor dies continuos, initium faciendo a. d. XVII *Athyr*, sacra lugubria peregisse, plangentes nempe Osirin deperditum. Luctus igitur ille Aegyptiorum perdurabat usque ad diem XX *Athyr*, et cum illo demum finiebatur. Qua ratione autem verum id esse possit, si die XIX eiusdem mensis, Osiris iam inventus, adeoque luctus omnis in laetitiam versus fuisset? Sensit hoc, ut credi potest, *Kircherus*, eamque ob causam, mensem sequentem *Choeac*, sive *Decembrem*, substitui debere ratus est. At enim profecto, ne in hoc quidem subsistendum, sed misso et eo mense, ad hunc qui sequitur, *Tybi*, vel *Ianuarium*, pergendum erat. Nam secundum rationes anni fixi Aegyptiorum, quod brevi post ad liquidum deducetur, ineunte *Tybi*, in confiniis *Decembris* et *Ianuarii*, Osiris nondum putabatur inventus. Neque tamen minus est certum, solemnitatem *Osiridis inventi* praecedere mensem *Mechir*, vel *Februarium*. Inventio igitur Osiridis, omni necessitatis lege, in mensem *Tybi* erit coniicienda, neque prorsus ad alium referri potest. Ausim ergo dicere, esse plus quam probabile, *Plutarchum* ita scripsisse: τῇ δὲ ἐννάτῃ ἐπὶ δέκα μηνὸς Τυβὶ νυκτὸς ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι, *die vero* XIX *mensis Tybi, noctu ad mare descenditur*. Nempe accidit hic, quod etiam alibi in isto egregio *Plutarchi* libro observavi, ut vitio librariorum, qui rerum, quas describebant, plane ignari erant, nomen mensis alicuius exciderit.

§ 11. Mihi vero *Plutarchus* ipse, quem sic scripsisse, uti nunc monui, verosimillimum est, nondum satisfacit. Credo potius, auctorem, quantivis ceteroquin pretii, cum ea scriberet, verum non vidisse, atque dum in congerendis rebus minus obviis totus occupatus est, levem aliquem errorem commisisse. Dixi iam, me omnibus, quae huc spectant, studiose expensis,

non

non potuiſſe non in eo acquieſcere, maximam illam *Oſiridis inventi* celebritatem ab Aegyptiis die XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, peragi conſueviſſe. Auctorem habeo *Epiphanium*, ex quo id confici poſſe confido. Apud eum quidem haec tantum leguntur, quae ad inventum Oſiridem non pertinere multis videbuntur (*r*), διόπερ ΤΗ ΕΝΔΕΚΑΤΗ ΤΥΒΙ κατ' Αἰγυπτίους, πάντες ὑδρεύονται ὕδωρ, καὶ ἀποτιθεάσιν ἐν αὐτῇ τῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν πολλαῖς πατρίσιν; *quae cauſa eſt, cur die* XI *Tybi, omnes in Aegypto hauriant aquam, eamque ibidem, uti praeterea multis aliis in locis, reſervent.* Sed obſervaſſe non poenitebit, *Epiphanium* verba facere de ſolemnitate, in Aegypto die certa ab omnibus celebrata, et quidem menſe *Tybi*, in quem feſtivitas Oſiridis inventi certo certius ingruit. Solemnitatis illius Aegyptiacae, quam commemorat Antiſtes Salaminius, pars erat ὕδρευσις, *aquatio*, quam etiam fuiſſe ceremoniam non ignobilem pompae Oſiriacae, ex verbis *Plutarchi*, § 10. allatis, iam intelleximus. *Deſcendebatur* enim in illa *ad mare*, vel ad aquam fluviatilem, et *hauriebatur aqua potabilis*. Idem confirmabo alio doctiſſimi huius ſcriptoris teſtimonio, ubi ex Aegyptiorum fabulis et traditionibus Theologicis, iſta (*s*) refert, Ἔνιοι δὲ Πάμυλην τινὰ λέγουσιν, ἐν Θήβαις (*t*) ΤΑΡΕΤΟΜΕΝΟΝ, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διὸς, φωνὴν ἀκοῦσαι, διακελευομένην ἀνειπεῖν ΜΕΤΑ ΒΟΗΣ, ὅτι μέγας βασιλεὺς εὐεργέτης ΟΣΙΡΙΣ ΓΕΓΟΝΕ, *Alii Pamylen quemdam aiunt, cum Thebis*

e

(*r*) In *Panario*, Haereſi LI, quae eſt Alogorum, § 30 pag. 451.

(*s*) *Plutarchus de Iſide et Oſiride*, p. 355.

(*t*) In editionibus noſtris legitur ὑδρευομένην, tamquam Pamyle eſſet mulier. Sed mox *Plutarchus* de Pamyle loquitur ceu viro. Itaque ſcribendum putavi ὑδρευόμενον.

e templo Iovis AQUAM PETERET, *vocem exaudivisse, qua iuberetur,* MAGNO CVM CLAMORE ANNVNCIARE, OSIRIN *regem magnum et beneficum* NATVM ESSE. Vides hic ὕδρευσιν, *aquationem*: Vides memorari *magnum clamorem*, nato Osiride editum. Vides denique ipsum *Osirin natum*. An non haec in memoriam revocant illa IVVENALIS, quibus usi iam sumus?

Exclamare libet, populus quod clamat Osiri Invento.

Quodsi igitur loca *Plutarchi* adducta, inter se primum, atque tum cum *Epiphanii* verbis, attente comparares, manifestum evadet, in locis his omnibus significari unam eamdemque solemnitatem, nisi quod *Epiphanius* eam referat ad diem XI *Tybi*, *Plutarchus* vero ad diem XIX eiusdem mensis. Estne vero credibile, tantam solemnitatem, per Aegyptum totam, ab omnibus, eodem mense, intra paucos dies, bis peractam et repetitam fuisse?

§ 12. Verum qua tamdem ratione dissidium, quod inter *Plutarchum* et *Epiphanium* observatur, componendum esse putabimus? Hic quidem solemnitatem Osiriacam coniicit in XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, ille vero in XIX *Tybi*, vel XIV *Ianuarii*. Equidem in hac causa, misso *Plutarcho*, *Epiphanii* partes tueri non verebor. *Plutarcho* in re huius generis errorem aliquem obrepere potuisse, nihil sane mirum. At *Epiphanium* in eadem re aberrare omnino non potuisse, aio. Loquebatur enim de re, Christianorum omnium ore tum temporis celebrata, et a plurimis in Oriente firmiter credita, Servatorem nempe sanctissimum, die XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*, quondam in lucem fuisse editum, et eodem quoque die, post annos triginta, miraculo pri-

primo verſae in vinum aquae edito, gloriam ſuam hominibus manifeſtaſſe. Addebant plerique, hoc quoque die Dominum a Iohanne Baptiſta, in Iordane, aqua tinctum fuiſſe. In hoc itaque error profecto admitti non potuit. Scribit porro *Epiphanius*, eodem illo die, per totam Aegyptum, ſingularem prorſus aquae virtutem perſentiſci, quare ab omnibus hauriatur, et domi recondatur. Neque in eo poteſt latere aliquis error. Nam ritus ille, a ſacerdotibus Iſidis primum ſancitus (*u*), poſtea ad Chriſtianos etiam tranſiit, perſuaſos, Dominum noſtrum illo ipſo die aquam in vinum convertiſſe, huiusque miraculi, ſuo etiam tempore, paſſim extare veſtigia. Ex Aegypto conſuetudinem hanc ad alios quoque in Oriente Chriſtianos dimanaſſe, vel ex hoc *Chryſoſtomi* teſtimonio conſtat, digno, quod et hic legatur (*v*): *Hoc enim die*, (inquit melliſluus Antiſtes, loquens de d. VI *Ianuar.*) *baptizatus eſt Dominus, eoque ſanctificavit aquam. Idcirco omnes in ſolemnitate hac media nocte aquatum eunt et aquam hauſtam domi cuſtodiunt*, etc. *Epiphanius* rem hanc, quod omnes Aegyptii *media nocte* aquatum iverint, praetermiſit; ſed probe eius meminit *Plutarchus*, adductus § 11. Ita *Plutarcho* etiam hic cum *Epiphanio*, aut cum re, quam *Epiphanius* ſubinnuit, aliique Eccleſiae doctores clarius et plenius explicant, pulchre convenit. Ex his igitur

et

(*u*) Vide les *Mémoires* de Mr. de *Tillemont* Tom. I p. 15, 16.

(*v*) In Homilia *de baptismo Chriſti*, Operum edit. Montfauconii Tom. II p. 369. Ceterum ritum huncce etiam hodie in Oriente obſervari conſtat. Vide *Pagii* Criticam Baronianam, ad A. C. 29. num. VII, et *Tillemontium* loc. cit. p. 16. Idem docent variae relationes peregrinatorum.

et pluribus aliis, quae adferri poſſent, certo intelligitur, *Epiphanium* ea, quae de ὀδρεύσει Aegyptiorum refert, recte omnino et vere, in diem XI *Tybi* reieciſſe. At *Plutarcho* in re huiusmodi, quae ex aliis auctoribus erat deſcribenda, levem errorem committere facillimum erat, levem enim errorem hunc et merito appello: ſcripſit namque ΤΗ ΕΝνάτῃ ἐπὶ ΔΕΚΑ, pro eo quod ſcribi debebat, ΤΗ ΕΝΔΕΚΑτῃ, in quo inter ſcribendum aberrare, homini tot variisque cogitationibus, rebusque vulgo non obviis intento, quam non proclive erat?

§ 13. Cum iis quae hactenus obſervavi, tenor fabulae Aegyptiacae de Oſiride et Iſide, ſub cuius aenigmatibus ſacerdotes Theologiam ſuam et Phyſiologiam vulgum celare conſueverant, mirifice conſpirat. Fabulae illius, quam prolixe inprimis *Plutarchus* in libro *de Iſide et Oſiride* literis mandavit, tale eſt argumentum. *Oſiris a Typhone ſociisque coniuratis occiditur* d. XVII *Athyr* (XIII Novembr.). *Interemtum Oſiridem ſacerdotes plangunt, luctumque ſuum variis ceremoniis demonſtrant. Iſis vero ex Aegypto in Phoeniciam proficiſcitur, corpus chari ſui Oſiridis, mari creditum, illic quaeſitura.* Sic reliqua pars menſis Athyr et Choeac tranſigitur. Sequenti *menſe Tybi* (vel Ianuario) *redit ex Phoenicia in Aegyptum, et quidem die* VII (id eſt II Ianuar.) cuius rei memoriam (*w*) die illo Aegyptii quotannis recolebant. *Paucis autem diebus poſt, ecce Iſis quaeſitum ſuum maritum invenit.* Tricas fabularum nunc non moror; ſufficit mihi indicaſſe, hanc eſſe rei illius ſummam. Si igitur, ut fabulae hae tradunt, Iſis d. II *Ianuar.* in Aegyptum ap-

(*w*) *Plutarchus* de Iſide et Oſir. p. 371.

appulit, et brevi post Osirin invenit, quis non mecum iudicabit, egregie cum reliquis partibus fabulae concinere, si dicas, factum id esse die XI *Tybi*, vel VI *Ianuarii*. Et profecto die illo ipso, Aegyptios solemnitatem quamdam insignem Romae peragere solitos fuisse, ex eo etiam colligo, quod in *Kalendario Romano*, quod sub Imperatore Constantio, filio Constantini M. adornatum fuit, in *Ianuario* haec legantur: VIII *Idus Ianuar.* (d. VI Ianuar.) *dies Aegyptiacus*. Nam per *dies Aegyptiacos*, in Kalendario illo saepe memoratos, intelligi festos Aegyptiorum dies, Romae celebrari solitos, peculiari Dissertatione (*x*) multis probavi. Cultus Deorum, quem Aegyptiorum sacerdotes suis praescripserant, a cultu Romanorum gentilium toto coelo discrepabat. Verum quoniam ille (*y*) Romae, a temporibus cumprimis *M. Aurelii* Philosophi, et Commodi, Imperatorum, publice tolerabatur, et sensim illic fautores nactus est bene multos, videmus in Kalendario Romano, etiam Festa Aegyptiorum, cum reliquis Romae celebrari solitis, iunctim annotari. Hinc non poterat non evenire, ut solemnitas solis renati, vel renovati, quovis anno bis concelebraretur, primo quidem die XXV *Decembris*, a toto populo Romano, ac deinde die VI *Ianuar.* ab illis, qui sacra Aegyptiorum probabant. Forte id quoque est, quod effecit, ut Christiani Romae degentes, rem gratam populo Romano facturi, Festum natalitium sanctissimi Servatoris, ab initio diei VI *Ianuar.* affixum, post-

(*x*) Edita est in *Miscellaneis Berolinensibus* Tom. VI p. 406. sqq. [vid. tom. II horum Opusculorum p. 274 sqq.]

(*y*) *Pignorius* in *expositione Tabulae Isiacae*, cap. II. *Chifletius* ad Gemmas Abraxeas p. 136. *Cuperus* in *Harpocrate*, p. 149, 150.

poſtea in d. xxv *Decembris* relicerent, idque tanto libentius, quod intelligerent, ritus Aegyptiorum ſacros, procedente tempore, magis magisque contemni, et in deſuetudinem abire.

§ 14. Paulo prolixius argumento huic immoratus ſum, poteratque iſta diſcuſſio quibusdam forte videri extra oleas vagata eſſe. Verum illos rogatos volo, ut perpendant, hoc re ipſa eſſe praecipuum inquiſitionis, quam hic inſtitui, caput. Propoſitum mihi erat, argumentis idoneis oſtendere, Feſtum nativitatis Chriſti a piis eius cultoribus eo fine inſtitutum fuiſſe, ut impietas idololatrica, quae tam diu mentes hominum fere omnium faſcinaverat, pelleretur, et Feſto Ethnico, ingenti ſuperſtitione referto, inſtituto in honorem ſolis mundo renati aut renovati, opponeretur aliud Chriſtianum, veram pietatem ſpirans, et celebrando beneficio maximo, quo Deus genus humanum beare potuit, nativitati Filii Dei, Solis iuſtitiae, conſecratum. Hanc eſſe cauſam, cur Feſto laetiſſimo nativitatis Chriſti Romae aſſignaretur dies xxv *Decembris*, a pluribus ante obſervatum, et pulchre aſſertum fuit. Quia vero multo antiquior eſt celebratio eiusdem laetiſſimae nativitatis Domini, quam Baſilides et ſectae eius alumni ſeculo iam II diei VI *Ianuarii* affigatam voluere, quamque ab his accepere et adoptavere pleraeque in Oriente Eccleſiae nominis Chriſtiani, quaerendum mihi eſſe putavi, quaenam eſſet ratio, ob quam Baſilidis ſectatores Feſtum hoc, a ſe recens inſtitutum, diei VI *Ianuar.* affigere voluerint, et tandem, poſt inſtitutum diligens et ſollicitum examen, deprehendi, ſolemnitati huic utrique, ab Orientalibus ad diem VI *Ianuar.* relatae, a Romanis ad d. XXV *Decembris* reiectae, unam eamdemque ſubeſſe rationem. Baſilides in Orientis partibus natalem diem Chriſti cele-

bravit die VI *Ianuar.* quia eodem die Aegyptii Festum solis in coelo renovati peragebant; Romani vero celebritatem hanc suam Christianam in d. XXV *Decembris* transtulerunt, quia ibi locorum, idem ille dies, qui In Fastis inscribitur *Natalis Solis invicti*, idolorum cultoribus laetus et sacrosanctus erat, et superstitione turpi transigebatur. De solemnitate Aegyptiorum, die VI *Ianuar.* celebrata, unde tamen originem totius huius rei repetendam esse censeo, altum hucusque apud scriptores omnes silentium observari intellexi. Id igitur ante omnia hic mihi asserendum, iisque quae se offerebant argumentis, conficiendum esse existimavi.

§ 15. Vera igitur Festi natalium Christi origo a Basilide repetenda est, qui Festum Ethnicorum in Aegypto praecipuum, multa impietate foedaque superstitione laborans, et a quo tamen ipsi quidam cultores Christi oculos et mentem penitus avertere non poterant, in Festum Ecclesiasticum, pietati Christianorum attemperatum, transformaverunt, aliique hocce eius exemplum, licet Romae cum aliqua mutatione, imitati fuerunt. Post aevum Constantini M. factum esse persaepe, ut Festa, a sacerdotibus Gentilium olim iustituta, populoque probata, ad sacra Christianorum transferrentur, nemo dubitat, idque doctiores historiae Ecclesiasticae compilatores passim observare solent. Sed profecto consuetudinem hanc seculo quarto in Ecclesia multo fuisse antiquiorem, facile ostendi potest. Basilidem credo primum hoc ausum fuisse, aliisque exemplum praebuisse, quod pii Ecclesiae Antistites, eo tempore, quo nobilis simplicitas in cultu divino Christianis etiamnum maximo in pretio erat, aegerrime tulerunt, Gnosticisque non sine aliqua acrimonia exprobrarunt. Ita enim *Irenaeus* ea de re loquitur indi-

gna-

gnabundus (z), Ἐπὶ πᾶσαν ἑορτάσιμον τῶν ἐθνῶν τέρψιν, εἰς τιμὴν τῶν εἰδώλων γινομένην, πρῶτοι συνιάσιν, *ad omnia Gentilium Feſta et oblectamenta, in idolorum honorem cultumque inſtituta, ipſi primi confluunt.* Novimus multa de haereticis in primitiva Eccleſia a veteribus referri, quae maturius examen requirunt, quibus forte et hoc accenſendum eſſe putabunt ſagaciores antiquitatis Eccleſiaſticae inveſtigatores, quod *Irenaeum* de Gnoſticis, ex aliorum ſine dubio relatione, tradere intelleximus. Quod uti in univerſum negare haud auſim, ita tamen perſuaſus quoque ſum narrationem *Irenaei*, quamvis non ab omni parte ſinceram, aliquid ſaltem ex vero trahere. Nempe cum obſervatum eſſet, illo ipſo die, quo tota Aegyptus idololatrica ſacra in honorem ſolis impenſa laetitia et religione peragebat, etiam Baſilidianos conventus religioſos cogere, ad ſolemnitatem diurnam etiam pervigilium nocturnum addere, pluribusque modis teſtari, Feſtum ſuum, cum Feſto reliquorum Aegyptiorum tempore eodem celebratum, quaedam habere communia; alii ex Chriſtianorum coetibus recte ſentientibus id ipſis magnopere vitio verterunt, dictitantes, ad Feſta Gentilium, honori Deorum conſecrata, et publica laetitia celebrata, et ipſos confluere, et in opprobrium rei Chriſtianae, cauſam cum ipſis communem facere. Ita tum temporis iudicabant pii religionis noſtrae aſſertores, qui nulla ratione ferendum eſſe exiſtimabant, ut ritus, ex Ethnicorum ſacris mutuo ſumti, in Eccleſiam Chriſti transferrentur, quocumque demum modo, et qualicumque etiam praetextu id fieret. Non ita diu in iſta ſententia perſtiterunt,

(z) *Adverſus haereſes* Lib. I cap. VI § 3. edit. Maſſueti.

runt, qui commodo et saluti sanctissimae religionis invigilabant. Nam *Gregorio Thaumaturgo*, Neocaesareensi in Cappadocia Pontica Episcopo, laudi postea datum est (*a*), quod cum perspexisset, quantopere multi e civibus suis studio festivitatum Ethnicarum, et effusae illius laetitiae, qua transigebantur, essent irretiti, eaque de causa a professione fidei Christianae retraherentur, gaudia huiuscemodi festiva, sed per fidem sanctificata, et ad pium usum applicata, ad quaedam Christianorum addiderit. Neque tamen alia videtur fuisse mens Basilidis; non is alium, ut credo, finem intendit, cum Festum natalitium Servatoris nostri ad diem VI *Ianuar.* adstrinxit, eoque semper die a suis celebrari voluit.

§. 16. Ea quae hactenus de origine Festi natalium Christi disputavi atque asserui, quaeque, saltem ex parte, ante me viri doctrina excellentes observarunt, talia sunt, ut celebrationi sanctae et devotae huius tanti Festi, a tot seculis in Ecclesia recepti, et hucusque non sine insigni aedificatione continuati, detrimentum iure nullum adferre queant. Equidem ex iis quae dicta sunt, liquido perspicitur, nos verum mensem et diem, quo salus Dei mundo nostro apparuit, hucusque ignorare. Sed cogitandum etiam, ea in re, ad excitandam nutriendamque genuinam Christianorum pietatem, situm omnino nihil esse. Si vel diligenter ulterius inquirendo, ad certitudinem aliquam in hac causa perveniri posset, labor ille tamen utilitatem secum laturus non esset, nisi admodum mediocrem. Equidem aviditati plura semper cognoscendi, et indomitae cuidam

(*a*) Vide *Gregorii Nysseni vitam* et *Encomium Gregorii Thaumaturgi*, in ipsius Operibus, et subiunctam Operibus Thaumaturgi p. 312.

dam curiositati, pabulum iucundum, at pio cultorum Christi in eum affectui, novum solidumque alimentum praebere haudquaquam posset. Servatoris nostri in aeternum benedicti incarnatio et nativitas maximum utique beneficium a piis semper agnoscetur, quo Deus miserum genus humanum dignari et cumulare potuit. Quis, de tanto Dei O. M. beneficio cogitans, non summam in mente laetitiam percipiat? quis pro ea Deo grates non persolvat maximas? Et ubi etiam Ecclesia consultum ducit, ingentis huius beneficii piam et solemnem commemorationem ad communem omnium aedificationem instituere, parum profecto Christiane aut pie ageret, qui aedificationis illius (*b*) particeps esse recusaret, aut qui in communi hac Ecclesiae laetitia, in sancto hoc laudes et grates Deo offerendi exercitio, se ipsum a communione sanctorum segregare vellet. Ex iis praeterea, quae observata fuere, liquere arbitror, Festum nostrum natalitium, in honorem Servatoris nostri institutum, Festo Ethnico, cultuique solis solemni, in illo Festo successisse. Verum enim vero Festum hoc, rite et cum sancto gratitudinis et amoris in Deum affectu a veris cultoribus Christi celebratum, memoriale glorioſum censeri debet, tam idololatriae per potentiam optimi Servatoris profligatae, pedibusque conculcatae, quam erecti illius loco, veri, pii, soliusque salutaris cultus Dei Triunius.

Ec-

(*b*) In Anglia tamen quondam, inter furores dissidii funesti, quod Rempublicam et Ecclesiam, in Regno illo ceteroquin beato, regnante Carolo I, tantopere concussit, quaestio agitata fuit, essetne Festum Nativitatis Christi abrogandum. Sed melior tamen et sanior sententia vicit. Narratur hoc in *vita Iohannis Lightfooti*, Operibus eius praemissa, Fol. IV.

Ecquid Deo noſtro veraeque religioni accidere potuit glorioſius? Iure merito Feſtum natalium Chriſti dici poteſt tropaeum, quod tota Eccleſia Chriſtiana, in honorem memoriamque victoriae a Servatore Divino reportatae, ſuper ruinam idololatriae Ethnicae ſtatuit, quodque hanc inſcriptionem (*c*) praefert: *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolveret opera diaboli.*

(*c*) Epiſt. *Iohannis* prima cap. III. v. 8.

DISSERTATIO

DE ORIGINE IMAGINVM CHRISTI DOMINI IN ECCLESIA CHRISTIANA.

§. 1. In Dissertatione, *de Origine Festi nativitatis Christi*, prima § 5, verbulo tetigi, Gnosticorum sectam, in Ecclesia antiqua non parum celebrem, operam dedisse sollicitam, ut imagines vetustorum sibique prae aliis dilectorum Philosophorum, *Pythagorae*, *Socratis*, *Platonis*, horumque similium, undecumque conquirerent, hisque addidisse imagines Christi Domini, ex thesauro, ut aiebant, Pontii Pilati, quem tempore passionis et mortis Dominicae, Procuratorem Romanum Iudaeae fuisse, testatur historia Euangelica, feliciter vindicatas. Dum argumento huic cogitationibus inhaerebam, admodum verosimile mihi fiebat, imagines sanctissimi Servatoris, ab antiquo tempore in Ecclesia passim iactatas et venditatas, ex officinis Gnosticorum primum prodiisse, et ab his, labentibus annis, ad alios Christianos perveniisse, atque sic pedetentim valde multiplicatas fuisse. Quo magis vero cogitationes hae mentem meam subiere,

eo magis me in illa ſententia confirmatum vidi. Tanto minus igitur poſtea miratus ſum, ubi intellexi, viros eximia eruditione florentes iam dudum in ſimiles cogitationes incidiſſe. Eos inter nominabo tantum *Iohannem Reiskium*, meritiſſimum quondam Scholae Guelferbytanae Rectorem, cuius ſequentia verba adſcribere operae pretium duxi (*d*): *Studium exprimendi imagines Chriſti erupit —— a colluvie Gnoſticorum et Carpocratianorum, qui tum emerſerant, profana.* Quoniam vero id quod dixi, mirum nonnullis et peregrinum videri poſſet, quia aliquam paradoxi ſpeciem prae ſe fert, inutile non erit argumentum hoc paulo curatius perſequi.

§ 2. In Eccleſia Chriſti primitiva, beato illo aevo, quo cultus Chriſtianorum religioſus, ut id doctrina Servatoris optimi ac discipulorum eius exigebat, cultus adhucdum erat purus, Deo veraque quam profitebantur religione dignus, in ſpiritu et veritate, imagines cuiuscumque generis penitus exulabant. Nulla tum temporis pios Chriſti cultores inceſſebat cupido habendi et poſſidendi imagines, usque adeo illas negligebant, et qui tandem, quaeſo, fieri potuiſſet, ut honorem illis cultumque offerrent aliqua ratione ſuſpectum, cultum nempe non creaturae cuicumque, ſed ſoli Deo proprium dicatumque. Gentiles ipſis, ea aetate, continuo obiiciebant, ipſos nec templa habere nec aras, nec ſtatuas aut ſimulachra ſervare, vel aliquo honore dignari, indeque ſatis abſurde concludebant, omnem qualemcumque Supremi Numinis cultum ſordere ipſis faſtidioque eſſe. Apud *Minutium Felicem* Caecilius, Chriſtianorum accuſator, haec ipſis expro-

(*d*) Exercitat. VII *de imaginibus Chriſti*, cap. 1 § 1. p. 150. fin.

probrat (*e*): *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra; nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, niſi illud quod colunt, et interprimunt, aut puniendum eſt aut pudendum?* *Origenes* igitur *Celſi* Epicurei, Chriſtianos incuſantis, voces haſce adfert (*f*): *Celſus ait, nos altarium, templorumque conſtructiones atque ſimulachrorum fabricationes refugere, quia ſibi imaginatur, nos occulti foederis fidem hac veluti teſſera ſancire.* Habemus quoque fatentem *Arnobium*, Gentiles hoc Chriſtianis crimini dare (*g*). *In hac enim*, inquit, *conſueſtis parte, crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque aedes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non Deorum alicuius ſimulachrum conſtituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras.* Hoc quod Chriſtianis obiiciebatur ab Ethnicis omnibus, nemo temporibus illis diffitebatur, qui innocentiam ipſorum bonamque cauſam defendendam et luci exponendam in ſe ſuſcipiebat. En! igitur Octavium Caecilio iſta reponentem (*h*): *Putatis autem nos occultare quod colimus, ſi delubra et aras non habemus? Quod enim ſimulachrum Deo fingam, cum ſi recte exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum.* Neque aliud *Celſo Epicureo* reſpondiſſe videmus *Origenem*. Ita enim inſit (*i*): *Simulachra autem Deo di-*

(*e*) *Minutius Felix* in *Octavio* § x p. 61. edit. *Ioh. Daviſii*. Plura hic dabunt *Mornaeus de S. Euchariſtia* Lib. 11 p. 393, 394, *Heraldus* in Arnobium Lib. vi p. 239, 240, et prae caeteris *Dallaeus de imagin.* Lib. i c. 3.

(*f*) Apud *Origenem adverſus Celſum* Lib. viii p. 389. edit. Cantabrig.

(*g*) *Adverſus Gentes* Lib. vi poſt init. p. 189.

(*h*) Apud *Minutium Felicem* § xxxii, p. 160.

(*i*) Lib. viii *adverſus Celſum*, loco iam citato.

dicanda, ſunt non fabrorum opera, ſed a verbo Dei dedolata formataque in nobis, videlicet virtutes, ad imitationem primogeniti totius creaturae, in quo ſunt iuſtitiae, temperantiae, fortitudinis, ſapientiae, pietatis, ceterarumque virtutum exempla: hae ſunt ſtatuae Deo dicatae, in animis eorum, qui iuxta praeceptum divinum, iuſtitiam, fortitudinem, ſapientiam, pietatem, reliquasque virtutes exercent, quibus decenter honorari credimus omnium huiusmodi ſtatuarum archetypum primum, imaginem inviſibilis Dei, Deum unigenitum. Teſtantur itaque pii hi fidei Chriſtianae defenſores (*k*), ſibi nullas alias eſſe imagines Dei inviſibilis, Chriſti Servatoris, et ſanctorum virorum, quam quae mentibus ſuis et ſuorum eſſent impreſſae. Omni mentis niſu et affectu in id erant intenti (*l*), *ut renovarentur ſpiritu mentis ſuae, ſecundum imaginem eius, a quo creati erant atque redempti, utque transformarentur in eamdem imaginem Domini, a claritate in claritatem, tamquam a Spiritu Domini.* Intuebantur in ſanctos Apoſtolos, aliosque per Spiritum Dei colluſtratos et ſanctificatos viros (*m*), tamquam imagines virtutis perfectiſſimae, et vitae omnium admiratione et imitatione inprimis dignae; erant ſolliciti, ut eximia haec vitae optimae exemplaria moribus ſuis factisque, pro viribus, exprimere pos-

(*k*) Sunt etiam elegantia hanc in rem loca *Epiphanii*, *Nazianzeni*, *Baſilii* M., *Athanaſii* et aliorum, quae Patres Concilii Oecumenici VII, Conſtantinopoli A. 754 celebrati, adferunt, repetita in Actis Concilii Nicaeni II in Collectione *Labbeana* Tom. VII, a col. 473 ad 496.

(*l*) Epiſt. *ad Epheſ.* cap. IV. 23, 24, et 2 *ad Corinth.* III. 18.

(*m*) Vide *Auguſtinum de Trinitate* Lib. VIII cap. 4.

poſſent. A corporeis vero rerum quarumcumque imaginibus usque adeo alieni erant, ut ipſam nobiliſſimam pingendi artem artibus annumerarent illicitis, pictoresque in communione Chriſtianorum Eccleſiaſtica haud tolerandos eſſe cenſerent. Nota ſunt illa *Tertulliani* (*n*): *Vbi artifices ſtatuarum et* imaginum, et omnis generis ſimulachrorum diabolus ſeculo intulit, — *caput facta eſt idololatriae ars omnis, quae idolum quoquo modo edit.* Et quae idem Hermogeni haeretico obiicit (*o*): PINGIT ILLICITE, *nubit aſſidue: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falſarius et cauterio et ſtylo.* Satis haec oſtendunt, quam bene moribus Chriſtianorum huius aevi reſpondeat (*p*) Canon hicce XXXVI Concilii Illiberitani, in Hispania A. C. 303 celebrati: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne, quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.*

§ 3. Haec vero quae dixi, non de aliis tantum, ſed et de Servatoris noſtri Chriſti Domini imaginibus, intelligi volo, quod et teſtimonia iam adducta non obſcure loquuntur. Primis tribus ſeculis, imagines illae toti Eccleſiae, coetibus nempe Catholicorum, penitus ignoratae erant. Non extat ſcriptor illius aevi quisquam, qui imaginum Chriſti, quae eſſent in manibus Chriſtianorum, vel verbulo meminerit, ſi ea excipias, quae de haereticis quibusdam illius temporis eorumque moribus commemorantur. Quotiescumque Ethnici, quod modo tetigi, Eccleſiae noſtrae alumnis ob-

(*n*) *De idololatria* cap. III p. 105. edit. Rigalt. Addi poteſt *Mornaeus*, Lib. cit. p. 390, 392, et *Dallaeus de imaginibus* Lib. I. cap. VI.

(*o*) Lib. c. Hermogenem cap. I.

(*p*) Vide *Concilia Labbei* Tom. I [ſed conferatur Collectio Concil. *Manſiana* tom. II p. I—406.

obiiciebant, nullas in eorum coetibus reperiri imagines, non deprehendimus, pios ſanctae noſtrae religionis vindices ipſis regerere, ſibi tamen eſſe magnaque reverentia cuſtodiri imagines Chriſti Domini. Tale quid profecto numquam ex eorum ſermonibus percipitur. Sine ambagibus potius aſſeverant, Chriſtianos divinum ſuum Servatorem, per imagines, formam eius repraeſentantes, colere aut venerari nequaquam ſolere. Id certe *Origenes* adverſus *Celſum*, Philoſophum *Epicureum*, hunc in modum urget (*q*): *Nam iſtos, quos enumeravit* (Zamolxem, Mopſum, Amphilochum, Amphiaraum, et Trophonium) *populares eorum, templis in eorum honorem conſtructis, et ſimulachris iisdem dedicatis, honorant. Nos vero honorem et cultum, per iſtiusmodi res demonſtratum, a ſupremo Numine procul abeſſe volumus, ut quae daemonibus longe magis, quam Divinitati conveniant. — eoque admiramur doctrinam Ieſu, qui mentes noſtras ab omni ſenſibili, nec corruptibili tantum, ſed etiam corrumpendo, traduxit ad cultum ſupremi Dei, conſtantem vita pura, et precibus per illum oblatis.*

§ 4. Quinimo ſi Chriſtianis illa Eccleſiae aetate vel maxime volupe fuiſſet, Chriſtum Dominum ſuum etiam ſecundum carnem noſſe, ſi contemplatione formae eius externae et factei animum ſuum oblectare discupiviſſent, ſi omni ſtudio mentisque contentione id egiſſent, ut imaginem aliquam, lineas vultus eius recte exprimentem, alicunde adipiſcerentur, voti tamen huiusmodi compotes fieri numquam potuiſſent. Qui mores et inſtituta Iudaeorum rite perſpecta habet, quod de Chriſtianis primorum ſeculorum, in illa praeſertim cauſa, de qua hic diſputamus, in dubium iure vo-

(*q*) Lib. III. *adverſus Celſum* p. 131.

vocari nequit, nullo negotio mihi adſtipulabitur, affirmanti, veram genuinamque effigiem vultus et corporis Domini noſtri in mundo numquam extitiſſe. Erat enim origine et gente Iudaeus, e Iudaeis ſecundum carnem prognatus, inter illos vixerat, et cum illis ſolis converſatus fuerat, leges eorum et inſtituta, dummodo praecepto divino aperte non repugnarent, ſervabat, ne cuiquam ſcandalo eſſet. Iudaeis (*r*) vero, quod eruditorum nemo ignorat, picturae et repraeſentationes cunctae, quibus aut aliqua ipſius Dei, aut creaturarum quarumcumque ſpecies ac forma effingeretur, abominationi erant, et huius inſtituti, poſt reditum e Babylonico exilio, ſemper manſerunt admodum tenaces. Hinc igitur Iudaei, quando texendis aut pingendis velis, aulaeis, aut veſtibus, victum quaerebant, quod permulti eorum, Alexandriae in Aegypto, et Babylone in Perſarum imperio, facere ſolebant (*s*), numquam tamen creaturas cuiuscumque generis ad vivum exprimere ſuſtinebant, ſed monſtra tantum, aut mirifica figmenta, nemini umquam viſa, ſolique ipſorum imaginationi in acceptis ferenda, ne videlicet legem Dei transgredi viderentur. Eſtque ex hiſtoria notum, Herodem, quo regnante, Servator noſter benedictus lucem huius mundi adſpexit, nulla re fere Iudaeos magis offendiſſe, quam quod crederent, eum imagines humanas in ſanctam urbem invehere voluiſſe. Docet namque *Ioſephus*, illuſtris gentis illius hiſtoricus (*t*), Iudaeos uno conſenſu voci-

(*r*) Vide *Grotii explicationem Decalogi*, *ut Graece exstat*, ad Praeceptum II, vel ad *Exodi* cap. XX. v. 4.

(*s*) Legi hanc in rem meretur obſervatio perdocta et ingeniosa *Is. Voſſii* ad Catullum p. 196, 197.

(*t*) *Antiq. Iudaicar.* Lib. XV cap. VIII § 2.

ciferatos fuiſſe, ſi omnia patienda forent, *at hominum quidem imagines in urbe ſe non paſſuros: haud enim moribus patriis fas eſſe.* Nam, ut idem Scriptor (*u*) alio loco obſervat: *Nefas eſt Iudaeis, ſimulachrum ullum in urbe ſtatuere.* Et (*v*) cum poſtea Pilatus, Iudaeae Procurator Romanus, clypeos in Templo Hieroſolymitano fixiſſet, Iudaei precibus fatigare Tiberium Imperatorem ante non deſierunt, quam e Templo auferrentur, idque nulla alia de cauſa, quam quod vultus Imperatoris in illis eſſet inſculptus. Quis igitur inter Iudaeos vultum formamque corporis Chriſti depingere in animum induxiſſet, ſi vel Servator id non vetuiſſet? Quodſi id rite perpendamus, difficile utique non erit coniectura aſſequi, quamnam ob rem Gnoſtici, quod mox videbimus, iactitaverint, imagines Chriſti, quas in ſacrariis ſuis aſſervabant, e ſupellectile Pontii Pilati derivatas, ad manus ſuas tandem perveniſſe. A Iudaeis certe peti aut expectari non poterant. Tutiſſimum igitur omnino erat, eas e cimeliarchio hominis Ethnici, Pontii nempe Pilati, Procuratoris Romani, deducere.

§ 5. Satis ex his liquere arbitror, Eccleſiae primaevae nullas ad manus fuiſſe imagines Servatoris, ex quibus de forma corporis, ac lineamentis oris eius, iudicium veritati conforme ferri potuerit. Quis itaque miretur, veterum Eccleſiae Patrum ea de re opiniones et perſuaſiones vehementer discrepaſſe. Qui inter eos aetate reliquos ſuperant, quoties ad iſtud argumentum delabuntur, ſatis produnt, ſe de externa ſpecie corporis et oris Chriſti non ita magnifice ſenſiſſe.

(*u*) *De bello Iudaico* Lib. II cap. IX § 2.

(*v*) *Philo de Legatione ad Caium* p. 1033, 1034, cum quo conferendus eſt *Ioſephus* de B. I. Lib. II c. IX.

ſiſſe. Perſuadebant ſibi, eam exilem potius ac deformem, quam auguſtam ſpecioſamque fuiſſe. *Celſus*, Philoſophus *Epicureus*, qui, regnantibus Romae Antoninis, Pio, et Philoſopho, floruit, Chriſtianis haec obiicit, quae ipſos non diffiteri aſſeverat (*w*): *Quoniam divinus Spiritus in corpore Ieſu, debebat eſſe praeſtantior ceteris ſtatura, aut forma, — ſed quod ipſi fatentur, corpus eius erat parvum, deforme et humile.* *Origenes*, ubi *Celſo* reſpondet, id quidem ipſi usque quaque haud vult concedere. At quonam, obſecro, argumento adverſus *Celſum* utitur? Num forte provocat ad imagines Chriſti, alicubi aſſervatas? Minime gentium. Aut an potius pro ſe adfert traditionem hac de re Apoſtolicam, aut ſaltem aevi antiquioris notam et receptam? Ne hoc quidem. Quonam igitur argumento quaeſtionem hanc decidi et confici poſſe cenſet? Id lector, ex hiſce Patris doctiſſimi verbis, optime colligere poterit: *Hinc apparet, quod quoties ei Ieſum accuſare libet, credulus eſt ſcripturis noſtris, — citans earum teſtimonia. —— Fatemur, ſcriptum de Ieſu corpore deſpicabili, quamvis non habeatur aperte ſcriptum, parvum fuiſſe ac vile. Eſt autem locus apud Eſaiam, praedicentem, venturum eum non ſupra modum decora ſpecie, nec excellenti pulchritudine.* Deinde profert verba *Eſaiae* cap. LIII v. 2.

Haec et quae ibidem ſequuntur alia, ſatis teſtantur, *Celſum* ſententiam ſuam de forma Ieſu deſpicabili, non aliunde, quam e locis Scripturae S. perperam acceptis, depromſiſſe, et omnia pariter, quae *Origenes* vano huic Philoſopho regerit, ex alio fonte petita haud

(*w*) Apud *Origenem contra Celſum*, Lib. VI. p. 327.

haud ſunt. Vterque nonniſi unicam iſtam viam, componendi litem illam, cognitam habebat. Ignotum ceteroquin non eſt, *Clementem Alexandrinum*, magnum Eccleſiae primaevae ornamentum, in eadem illa ſententia fuiſſe, quam *Celſus* Chriſtianis attribuit. Ita enim ſcribit (*x*): *Ipſum autem Dominum fuiſſe adſpectu deformem, teſtatur Spiritus per Eſaiam*, etc. ubi rem eamdem eodem Scripturae teſtimonio probare ſatagit. Et alio loco (*y*): *Is ipſe*, inquit, *qui eſt caput Eccleſiae, in carne quidem informis et ſpecie carens, tranſiit.* Neque diſſentit *Tertullianus*, cuius hae ſunt voces (*z*) de Chriſto Domino: *Carnis terrenae non mira conditio ipſa erat, quae cetera eius miranda faciebat, cur dicerent, unde huic doctrina et ſigna iſta? (Matthaei XIII. 54.) etiam deſpicientium formam eius erat haec vox. Adeo nec humanae honeſtatis corpus fuit, nedum coeleſtis claritatis.* Hi igitur omnes iudicium ſuum de forma corporis Chriſti, orisque eius ſpecie, fundarunt unice in dictis quibusdam S. Scripturae, prouti ſenſum eius ceperunt et explicuerunt, quemadmodum inter recentiores, viri quoque doctrina et meritis excellentes, ex loco illo *Ieſaiae*, cuius aliquoties fecimus mentionem, conſimile de forma corporis, ſpecieque oris optimi Servatoris, iudicium tulere.

§ 6. Sed ſunt alii, prioribus illis, quorum teſtimoniis uſus ſum, nonnihil iuniores, qui formam etiam externam corporis vultusque Chriſti mirifice extollunt, tamquam pulcherrimam, inducti, ut videtur, vaticinio Pſalmi XLV. v. 3. *Specioſus es forma prae filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis:* quem ad-

(*x*) In *Paedagogo* Lib. III cap. I fin.
(*y*) *Stromatum* Lib. III p. 470.
(*z*) *De carne Chriſti* cap. IX p. 366 et 367.

admodum antiquiores verborum *Ieſaiae* literae nimium inhaeſiſſe deprehenduntur. Illorum vero ſententia a ſeculo IV et V in Eccleſia fere tota praevaluit. Audiamus *Chryſoſtomum*; non ſuam tantum, ſed plerorumque illo tempore Eccleſiae doctorum ſententiam, hoc modo (*a*) explicantem: *Non miracula duntaxat faciens, admirabilis erat: ſed etiam cum ſimpliciter adſpiceretur, ingenti abundabat gratia. Atque hoc Propheta ſignificans canebat* „ ſpecioſa forma prae „ filiis hominum", *quod autem Eſaias dicit*, „ non „ habebat ſpeciem neque pulchritudinem" *ita loquitur, ea narrans, quae paſſionis tempore contigerunt, nempe dehoneſtationem illam, quam in cruce pendens ſuſtinuit, et abiectionem, quam per omnia, toto vitae ſuae tempore, prae ſe tulit.* Nec alia erat ſententia *Hieronymi*, qui adverſus *Porphyrium* et *Iulianum* disputans, hiſce etiam verbis utitur, de Servatore loquens (*b*): *Certe fulgor ipſe et maieſtas divinitatis occultae, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat adſpectu.* Et alia occaſione (*c*), *niſi enim*, inquit, *habuiſſet et in vultu quiddam oculisque ſidereum, nunquam eum ſtatim ſequuti fuiſſent Apoſtoli.* Illi igitur, ut alios iam tacite praeteream, auguſtam oris ſpeciem atque decorum corporis habitum in Chriſto Domino agnoſcunt. Quia vero opinio haec de forma Chriſti ſplendida maieſtatisque plena, antiquiori prorſus oppoſita, ab eo quod dixi

(*a*) Verba haec citavit *Reiskius* l. c. [*].

(*b*) Comment. in *Matthaeum* c. IX. 9. Operum Tom. IV col. 30. edit. Benedictin.

(*c*) In Epiſtola ad Principiam virginem Tom. II col. 634. fin.

[*] Sed comparetur *Chryſoſtomus* t. V Opp. p. 162, 163, ed. Montfaucon.

dixi tempore, Eccleſiae toti placere, et ab omnibus fere adoptari coepit, credibile eſt, ad novam hanc opinionem hominibus perſuadendam, cumprimis contuliſſe imagines Servatoris, iam nunc hinc inde oſtendi ſolitas. Novimus certe, etiam ante *Chryſoſtomi* et *Hieronymi* aetatem, *Euſebium Caeſareenſem* teſtari (*d*), ſibi tam ſimulachra ſculpta, quam imagines pictas, ſpeciem ſanctiſſimi Servatoris referentes, viſas eſſe, quamvis fateatur, eas e Gentilium officinis prodiiſſe. Aut ſi eas non a Gentilibus acceperant Chriſtiani, haud dubie Gnoſticis erant in acceptis ferendae, quod, in ſequentibus ad liquidum perducemus. Quidquid vero ſit, perſuaſio illa Chriſtianorum iuniorum, de praeſtanti Servatoris noſtri forma, poſthaec usque adeo ubique obtinuit, ut ad ipſos quoque Iudaeos tranſierit. *Abarbanel* igitur, magni nominis quondam in Synagoga magiſter, ex ea argumentum capit (*e*), *adverſus Chriſtianos* inferendi, in capite *Ieſaiae* LIII, *Ieſum noſtrum intelligi non poſſe, iuvenem quippe formoſum, atque elegantem, florentis aetatis.*

§ 7. Etſi vero ab illo, de quo dixi, tempore, in Eccleſia Chriſtiana imagines Servatoris noſtri paſſim haberi oſtendique conſueviſſent, ex iis tamen de vera corporis orisque eiusque ſpecie iudicium tutum ferre non licuiſſe, cordati quivis agnoſcunt, et candide fatentur. Satis enim ex iis, quae de imaginibus Servatoris benedicti memoriae mandata leguntur, intelligere datur, eas non unam ſed diverſam admodum originem habuiſſe, adeoque faciem ipſius veram et genuinam utique non exhibuiſſe. Quia enim, ut monui, a ſe invi-

(*d*) *Euſebius Hiſt. Eccleſiaſt.* Lib. VII c. 18.
(*e*) *Vitringa* in Ieſaiam Tom. II p. 664.

vicem non parum diverſae erant, fieri non potuit, quin aliam ſemper aliamque oris Chriſti ſpeciem oculis obiicerent. Habemus ſuo tempore id agnoſcentem et candide fatentem, S. *Auguſtinum*, cuius idcirco verba, quia ſunt pauca, apponere non gravabor (*f*): *Nam et ipſius Dominicae facies carnis, innumerabilium cogitationum diverſitate, variatur et fingitur, quae tamen una erat, quaecunque erat.* Non poſſum, quin hactenus dictis ea, quae magnus quondam in Anglia Theologus, *Iohannes Pearſonus* de hoc ipſo argumento obſervavit, etiam ſubiungam. Sic vero ille (*g*): „ Poſtea (nempe poſt ſeculum IV) „ coeperunt extollere externam corporis Chriſti pul„ chritudinem, atque unum aliquod picturae vel effi„ giei exemplar aliis praetulerunt, affirmantes, non „ ſine zelo, ineſſe illi ſimilitudinem, quae negari haud„ quaquam poſſit, cum tamen illa octingentis retro „ annis nemini fuiſſet nota, quavis gente propriam „ ſibi ſingente imaginem, ab aliis diverſam. Hinc „ argumentum illud iconoclaſtarum, per modum quae„ ſtionis propoſitum, quaenam harum imaginum eſſet „ genuina (*h*), πότερον ἡ παρὰ Ῥωμαίοις, ἢ ἥνπερ Ἰν„ δοὶ γράφουσιν, ἢ ἡ παρ' Ἕλλησιν, ἢ ἡ παρ' Αἰγυπτί„ οις, οὐχ' ὅμοιαι ἀλλήλαις αὗται, *utrum ea, quam* „ *Romani oſtendunt, an vero quam Indi pingunt, aut* „ *quae aſſervatur apud Graecos, aut quae in Aegy*„ *pto colitur. Nam ſimiles ſibi non ſunt.* Et vero„ ſimiliter nulla ex illis omnibus ſpeciem veram vul„ tus

(*f*) *De Trinitate* Lib. VIII cap. IV, Operum Tom. III.
(*g*) In *expoſitione Symboli Apoſtolici*, p. 158. in notis, verſionis Latinae, vel 87 et 88. edit. Anglic.
(*h*) Apud *Photium*, Patriarcham Conſtantinop. Epiſt. LXIV. init.

„ tus Chriſti referebat, cum quaevis gens Salvatorem „ depingeret, ſuae nationis hominibus quam ſimilli„ mum. Nam, uti ſcribit *Photius* Patriarcha, Epiſt. „ LXIV, Ἕλληνες μὲν αὐτοῖς ὅμοιον ἐπὶ γῆς φανῆναι „ τὸν Χριςὸν νομίζουσι. Ῥωμαῖοι δὲ μᾶλλον ἑαυτοῖς „ ἐοικότα· Ἰνδοὶ δὲ πάλιν μορφῇ τῇ ἑαυτῶν· Καὶ Αἰ„ θίοπες δῆλον, ὡς ἑαυτοῖς, *Graeci aſſeverant, Chri„ ſtum in terris ſibi ſimilem comparuiſſe, Romani „ autem ſibi potius, Indi figura ſua, Aethiopes ſua.* „ Ac differentia opinionum in hoc negotio ſatis appa„ ret ex verbis his *Suidae*, ἰςέον δὲ, ὅτι φασὶν οἱ „ ἀκριβέςατοι τῶν ἱςορικῶν, ὡς τὸ οὖλον καὶ ὀλιγότρι„ χον οἰκειότερόν ἐςι γράφειν ἐπὶ τῆς εἰκόνος τοῦ Χρι„ ςοῦ, *ſciendum eſt, hiſtoricorum accuratiſſimos ſcri„ bere, imaginem Chriſti communius pingi ſolere, „ crispis ſed raris crinibus inſignem*". Hactenus *Pearſonus.*

§ 8. Equidem negari haud poteſt, a tempore ſeculi IV paſſim in Eccleſia imagines oſtentari conſueviſſe, quas multi crediderunt eſſe archetypas, et nativam Servatoris optimi formam referre. Inter illas omnes primum haud dubie locum meretur ſtatua Servatorem repraeſentans, quam mulier, fluxu ſanguinis quo laborabat, per auxilium miraculoſum Chriſti Domini liberata, *Matth.* IX. 20. ſqq., in rei huius memoriam, et in liberatoris ſui honorem, Paneade, quae et Tiberias audit, conſecraſſe diu credita eſt. Ipſe *Euſebius*, hiſtoriae Eccleſiaſticae pater, ſtatuae huius mentionem facit, quam ſe oculis uſurpaſſe teſtatur, Lib. VII c. 18. Ex ipſius aliorumque teſtimoniis intelligitur, ſtatuam hanc oppido celebrem, usque ad ſeculum IV, Paneade aſſervatam et viſendam fuiſſe, et profeſſores religionis Chriſtianae eam pro ſtatua Servatoris vere habuiſſe. Verum quo minus opus nunc mihi ſit, de ſtatua tot ſermonibus celebrata prolixius dis-

differere, diligentia virorum eruditorum effecit. Et quando poſt alios (*i*), non ita pridem (*k*) duumviri longe doctiſſimi traditionem de illa ſtatua ſane pervetuſtam ab omni parte curate verſarunt, et ingenti eruditionis ſolidae apparatu excuſſerunt, non credo facile quemquam repertum iri, qui poſthac illius patrocinium in ſe ſuſcipere auſurus ſit. Nam argumentis roboris prorſus invicti demonſtratum eſt, monumentum Paneadenſe nulla prorſus ratione ad Chriſtum Dominum ſpectaſſe, et traditionem ea de re Chriſtianorum antiquam nulla ſe veroſimilitudinis ſpecie commendare. Quod vero ad reliquas imagines benedicti Servatoris, valde fidenter iactatas, attinet, quae ab ipſo Servatore, aut ab Apoſtolis profectae perhibentur, quales ſunt *imago Edeſſena*, quam Chriſtus Dominus ad Abgarum Edeſſae regulum miſiſſe fertur, item *imago*, quae appellatur S. *Veronicae*, et aliae inſuper, confectae, ut fingunt, a Nicodemo, aut a S. Luca Evangeliſta, ut alias taceam, minorem illae multo fidem atque exiſtimationem merentur. Norunt eruditi, traditiones de imaginibus hiſce fabuloſas in Eccleſia tam ſero innotuiſſe, totque ſcatere inſulſis et contemtibilibus naeniis, ut vix alia confutatione egeant, quam ſic iam ſecum vehunt. Non tamen deſunt (*l*) vi-

(*i*) Vide *Reiskii* Exercitationes de imagin. Chriſti, Exercit. IV. Adde *Dallaeum* de imaginibus Lib. III cap. II.

(*k*) Theologi eruditione et meritis eminentes, nunc iam beatis ſpiritibus iuncti, *Theodorus Haſaeus* in duabus Diſſertationibus *de monumento Paneadenſi*, et *Iſaacus de Beauſobre*, in Diſſert. eiusdem argumenti. Vide la *Bibliothèque Germanique* Tom. XIII artic. I.

(*l*) Conſuli poſſunt *Reiskii* Exercitationes de imaginibus Chriſti, et illuſtris Theologi, *Iſaaci de Beauſobre*, Diſſer-

viri omni eruditionis genere ornati, ac de hiſtoria Eccleſiaſtica praeclare meriti, qui omnia de imaginibus hiſce literis tradita, examini rigido ſed accurato ſubiecerunt, et quam inepta ac futilia omnia ſint, luculenter oſtenderunt. Omnes igitur illae imagines Chriſti Domini, etiam quae ſeculis antiquioribus obtraduntur, fidem omnino merentur nullam, et fraudibus piis, aut potius impiis, quae ſatis citò Eccleſiam contaminarunt, accenſeri debent. Optime hoc perſpexerunt Patres Concilii Oecumenici VII A. 754 Conſtantinopoli congregati (*m*), ut qui imagines Chriſti omnes, a Servatore ipſo, aut ab Apoſtolis derivatas, penitus reiecerint, et nonniſi eam, quam Dominus ipſe in S. Coena nobis reliquit, agnoſcere aequum duxerint.

§ 9. Quantumvis vero in ſuperioribus aſſeruerimus, ſeculis tribus primis, Eccleſiam adhucdum puram et ſanctam, imagines Domini noſtri, earumque uſum qualemcumque penitus ignoraſſe, non tamen diffitemur, etiam beato iſthoc tempore fuiſſe, qui imagines aliquas Servatoris optimi, pro genuinis venditatas atque a quibusdam habitas, circumtulerint, interque ſuos oſtentaverint. Quae adſtruximus, nonniſi de pura Eccleſia Catholica intellecta volumus. Hanc enim imaginibus huiuscemodi nulla prorſus ratione voluiſſe patrocinari, ſed potius ab earum uſu quocumque, animo fuiſſe maxime alienam, easque contemſiſſe, negari haud poteſt. Verum enim vero pii Eccleſiae illius Antiſtites non igno-

tationes de hoc argumento plures, *Bibliothecae Germanicae* (la Bibliothèque Germanique) inſertae.

(*m*) Vide Excerpta ex Actis huius Concilii, in Actis Synodi Nicaenae II conſervata, apud *Labbeum*, Tom. VII col. 445. ſqq.

ignorabant, ſatisque teſtabantur, quosdam e coetibus haereticorum, et ipſos adeo Ethnicos, tales imagines iactare, de earum poſſeſſione gloriari, quinimo honore easdem, et cultu religioſo dignari. Ab his imagines illae dimanarunt, et tamdem in Eccleſiam quoque Catholicam furtivo greſſu irrepſerunt, poſtquam pompa religionis externa, maximam partem e Gentilium ſacris tracta, omniaque quae ſenſibus blandiuntur, hominibus, a priſtina ſimplicitate nobili pedetentim iam averſis, maiorem in modum arridere coeperunt. Fatentem hoc adducere poſſumus *Euſebium*, melioribus et dignioribus ſeculi IV Theologis merito annumerandum, cuius haec extant verba, de ſtatua Paneadenſi, cuius mentionem feci § 8, loquentis (*n*): *Nec vero mirandum eſt, Gentiles a Servatore noſtro beneficiis affectos haec praeſtitiſſe; cum et Apoſtolorum Petri et Pauli Chriſtique ipſius pictas imagines, ad noſtram usque memoriam ſervatas, in tabulis viderimus. Quippe priſci illi absque ullo diſcrimine cunctos, de ſe bene meritos, gentili quadam conſuetudine, tamquam Servatores colere, huiusmodi honoribus conſueverant.* Haec documento ſunt luculento, *Euſebium*, cuius vaſtam eruditionem vix quisquam e praeſtantioribus veteris Eccleſiae Patribus aequare potuit, ſibi perſuaſiſſe, imagines Chriſti, non ſecus atque illas Petri et Pauli, quae in mundo pro talibus venditarentur, e Gentilium theſauris atque lararіis eſſe derivatas. Vero diſſimile non eſt, ad ea praecipue reſpexiſſe *Euſebium*, quae de Severo Alexandro Imperatore Romano memoriae prodita legimus, et quae nos quoque infra tangemus, tametſi inficias ire nolim, eum forte traditio-

(*n*) *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. VII c. 18.

tiones praeterea alias in animo habuiſſe nobis ignotas. Quam exiliter vero et contemtim *Euſebius* de imaginibus huius indolis ſenſerit, aperte docet Epiſtola, quam ad Conſtantiam Auguſtam perſcripſit (*o*), ex qua fragmentum notabile adferunt Patres Oecumenici Concilii VII. Neque aliam fuiſſe ſententiam *Auguſtini*, qui centum fere annis poſt ſcripſit, ea quae § 7 ex eo retulimus, ſatis aperte declarant. Sed locus ille totus, ex quo paucula tantum verba excerpſimus, attente legi meretur. Quamvis enim teſtetur *Euſebius*, haberi imagines Pauli et Petri, ab antiquo tempore ſervatas, *Auguſtinus* tamen affirmat (*p*), *qua fuerit ille facie, nos penitus ignorare.*

§ 10. Vt vero ad evolvendam veram imaginum Chriſti in Eccleſia originem propius iam accedamus, mihi quidem certum eſt, Gnoſticos haereticos, omnium primos ſanctiſſimi Servatoris imagines in ſuorum coetus domusque privatas invexiſſe, deque iis non parum *gloriatos* fuiſſe. Ab his, ſi recte iudico, eaedem ad Gentiles, et ab his denique ad Chriſtianos catholicos pervenere. *Irenaeus*, Lugdunenſis Praeſul, pietate, doctrina et prudentia praeſtans, qui, inter vetuſtos Eccleſiae noſtrae ſcriptores, imaginum Chriſti primus mentionem iniecit, earum uſum Carpocratianis, notiſſimae et peſſimae Gnoſticorum ſectae, in acceptis refert. Id enim verba eius haec declarant (*q*): *Gnoſticos autem ſe vocant, et imagines, quas-*

(*o*) Vide Acta Conciliorum *Labbei*, Tom. VII col. 493. ſq.

(*p*) *De Trinitate* Lib. VIII cap. 5.

(*q*) *Irenaeus* adverſus haereſes Lib. I cap. XXV. § 6. edit. Maſſueti.

quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes, formam Christi factam a Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus. Et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagorae, et Platonis, et Aristotelis, et reliquorum, et reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes, faciunt Eadem fere leguntur apud *Epiphanium*, desumta sine dubio ex *Irenaeo*, sed quae tamen describere hic non verebor Videntur enim aliquam Lugdunensi Episcopo lucem affundere (*r*): *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Iesu effigies affirmant: easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed eiusmodi imagines occultas habent, nec non et Philosophorum quorumdam, ut Pythagorae, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas quas dixi Christi effigies miscent, et erectas adorant, ad easque Gentilium mysteria peragunt. Postquam enim simulachra ista collocarunt, quae a Gentilibus fieri solent, deinceps perficiunt. Quinam sunt vero Gentiles illi ritus alii, quam sacrificia, ceteraque generis eiusdem?* Scriptor hic uterque mentionem quoque facit *Marcellinae* cuiusdam, mulieris eidem coetui mancipatae, quae, Romam profecta, ad propagationem sectae Carpocratianorum haud parum contulit. Et huic quidem mulieri *Augustinus* introductionem, aut certe propagationem istarum imaginum inter homines sectae suae cumprimis adscribere videtur. Nam (*s*) *sectae ipsius*,

(*r*) *Epiphanius* Haeresi XXVII. § 6.
(*s*) *Augustinus de haeresibus* cap. VII.

ipſius, inquit, de Carpocrate loquens, *fuiſſe traditur ſocia quaedam Marcellina, quae colebat imagines Ieſu et Pauli, et Homeri et Pythagorae, adorando in cenſumque ponendo.* Et quis neget, mulieri ſuperſtitioſae hoc examuſſim convenire? Vidimus ſupra § 9 *Euſebium* teſtari, ſe vidiſſe imagines Chriſti et Pauli pictas, atque ab antiquo tempore ſervatas. Nunc, ut credo, facile perſpicitur, a quibusnam imagines hae ad poſteros fuerint transmiſſae. Quando vero Carpocratiani, qui inter Chriſtianos primi uſum imaginum Servatoris introduxerunt, gloriati ſunt, ſe illas accepiſſe e theſauro Pilati, Procuratoris Iudaeae Romani, id, uti ſuſpicor, peperit traditionem aliam, a profeſſoribus religionis Chriſtianae, hodieque in Aegypto admiſſam (*t*), Pilatum illum, iudicem optimi Servatoris iniquum, poſtea delicti huius poenitentia ductum, nomen Chriſto dediſſe, et ad ultimum, amorem et profeſſionem ſanctae noſtrae religionis ſanguine ſuo et martyrio obſignaſſe.

§ 11. Si quis hiſtoriam haereſeos Gnoſticae, quae in totam hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi II et III non parum influit, e genuinis fontibus eruere, ſibique familiarem reddere, operae pretium duxerit, nullo negotio animadvertet, ſtudium iſtud ſingulare conquirendi imagines virorum bene meritorum, ac ſigillatim impenſam venerationem imaginum Chriſti, non *Marcellinae* illi, de qua diximus, aut etiam ſectatoribus Carpocratis in genere, privam et peculiarem fuiſſe, ſed eos potius hoc cum Gnoſticis omnibus commune habuiſſe, ſtudiumque iſtud ſectae toti extitiſſe proprium. Et facile intelligitur, propenſionem talem in-

(*t*) Vide les *nouveaux Mémoires des Miſſions* Tom. II p. 149, 150.

ingenio et indoli universae illius sectae, quae tot indiciis sese prodit, apprime congruere. Etenim Gnostici, quod ipsum hoc eorum nomen, quod sponte et libenter adsciverant, satis testatur, re ipsa Philosophi erant, profundae rerum abstrusarum scrutationi et investigationi immodice dediti. Illud inprimis negotii datum sibi esse existimabant, ut omni mentis contentione et nisu in originem rerum omnium inquirerent, et si fieri posset, quaerendo tamdem assequerentur, quomodo ex invisibili aeterno visibilia in tempore orta essent. In id conatu maximo incubuerant *Pythagoras* et *Plato*, atque discipuli eorum genuini; sed nec Philosophi alii ab isthoc studio alieni erant. Inprimis vero in exploranda hac re, cuius distincta cognitio, intellectui humano soli denegata, nonnisi ex revelatione divina hauriri potest, operam immodicam et inutilem collocabant Gnostici. Arbitrabantur tamen, Platonem in profunda istius mysterii felicius et altius prae aliis Philosophis penetrasse, et in illius investigatione haud mediocriter profeciisse, eaque de causa placita cumprimis sequebantur Philosophiae Platonicae, ac praesertim recentioris, quae antiquiori et genuinae in permultis erat dissimilis, ac plurima ex Orientalium, Persarum, Chaldaeorum, et Arabum doctrina, habebat admixta. Eam, maxime in Aegypto, sed et in aliis regionibus, non modo Philosophi Gentiles, sed et multi ex Iudaeis, ab aliquo tempore admirabantur, et paulatim adoptare consueverant. At enim, ubi Gnostici, Philosophiae huius alumni, in libros Scripturae Sacrae inciderunt, iisque lectis confestim deprehenderunt, ex illis multa ad scopum sibi propositum spectantia, longe melius, perfectius, et certius, quam ex Platone addisci posse, facile assecuti sunt, quemadmodum testatur *Porphyrius* ipse, impla-

cabilis religionis Chriſti inimicus (*u*), *Platonem intelligibilis eſſentiae profundum minime penetraſſe*, et hac ratione moti, doctrinam fidemque Chriſtianam amplexi ſunt, ut quae notiones ipſorum philoſophicas emendaret et expoliret, ſed ita tamen, ut cum doctrina ſanctae veraeque religionis, placita ſectae ſuae antiqua ſociarent, hocque pacto ſyſtema conflarent vere prodigioſum.

§ 12. Quod vero ad cultum eorum religioſum ſpectat, ille ita erat comparatus, ut ingenium potius populare et muliebre, quam Philoſophicum ſaperet. Religionem ceremoniarum multitudine obruebant, exiſtimantes eam ſic ornatiorem ac ſplendidiorem effici. Quaecumque in ſenſus hominum incurrunt, et admirationem excitant, ea libenter ad ſacra ſua transferebant. Dies Feſtos in coetibus ſuis plures inſtituebant, illorumque ſollicitam obſervationem curae cordique habebant. Inter dies Feſtos, religione domeſtica conſecratos, locum non ultimum tenebant natales ſanctorum ſectae ſuae, et praecipuorum, quorum merita magnopere reverebantur, Philoſophorum; qua de re (*v*) alio loco plura obſervavi. Vtque Feſtos hosce dies affectu et laetitia tanto abundantiori celebrarent, ut etiam clariſſima illa et Eccleſiae et ſcholae ſuae lumina, oculis ſuorum non minus quam mentibus, iugiter praeſentes obverſarentur, nulli parcebant operae, ut eorum imagines ſibi compararent, aliorumque contemplationi exponerent. *Irenaeum* ſupra adduximus referentem, Carpocratianos imagines non tantum Ieſu noſtri, ſed praeter has etiam *Pytha-*

(*u*) *Porphyrius* in *vita Plotini* cap. XVI, recuſa in *Fabricii Bibliotheca Graeca*, Vol. IV p. 118 et ſq.

(*v*) Diſſertatione I huius Volum. § 6 [ſupra p. 326 ſq.]

thagorae, *Platonis* et *Aristotelis*, sollicite asservasse, et in coetibus suis conspiciendas proposuisse. Ad has *Augustinus*, quem in testimonium quoque iam adhibuimus, insuper addit imagines Pauli et Homeri: et cui potest esse dubium, homines, hos plures alias in domibus suis et sacrariis custodivisse? Similis plane imaginum cura amorque in Philosophis illis observatur, qui dogmatibus Platonicorum dediti erant, e quorum scholis Gnostici Christiani re ipsa prodierant. Eorum disciplinae alumnus erat *Plotinus*, sectae illius magister percelebris (*w*), qui quidem, sive modestia quadam innata, sive alia ratione nobis ignota inductus, pictoribus, ut in gratiam amicorum suorum et discipulorum effigiem suam ad vivum delinearent, permittere haud volebat, at rem ipsam tamen, quam illi intendebant, in universum impedire non potuit. Nam callido consilio usi, a coepto ante non destiterunt, quam eius etsi inviti imaginem, arte pictoris scite et feliciter expressam, consecuti essent, ut nempe imaginem hanc, post mortem eius, consuetis honoribus afficere, ac memoriam eius celebrare possent. De *Proclo* quoque, sectae eiusdem Philosopho inclyto, literis proditum legimus (*x*), quod eius imagines, plurium pictorum arte effictae, eo etiamnum vivo circumlatae, et in multorum manibus fuerint. Studium vero, quo imagines Christi prosequebantur Gnostici, usque adeo erat effusum, ut non tantum earum contemplatione animum suum oblectarent, sed iisdem etiam, adoratione, thurisque oblatione, ritibusque indolis eiusdem aliis, cultum exhiberent idololatricum. Scriptores veteres Ecclesiastici, quorum testimo-

(*w*) Rem narrat in eius vita *Porphyrius* cap. 1.
(*x*) *Marinus* in *vita Procli*, cap. 111 edit. Fabric.

moniis hanc in rem uſi ſumus, id conceptis verbis referunt, ex quibus diſcimus, homines illos et imaginum harum uſum, et cum hoc, nefarium earumdem abuſum, in Eccleſiam ſimul invexiſſe. De ſectatoribus *Simonis Magi*, cuius placita, á vetuſtis ſcriptoribus commemorata, originem ſuam Gnoſticam ubique aperte produnt, *Euſebius* ſcriptum reliquit (*y*), quod ante *Simonis et Helenae*, quam is ſecum circumducebat, *picturas et imagines proni ſe adiecerint, easque ſuffimentis et ſacrificiis, ac libationibus colere veriti non fuerint*. Hi erant hominum illius ſectae mores, hae conſuetudines.

§ 13. A Gnoſticis, ut credo, tranſiit uſus imaginum Chriſti ad Ethnicos. Idque, ſi recte coniicio, Romae primum contigit. Ex teſtimoniis *Irenaei*, *Epiphanii*, et *Auguſtini*, ſupra allatis § 10, conſtat, fuiſſe in coetu Carpocratianorum mulierem quamdam, cuius inter gregales magna erat celebritas, nomine *Marcellinam*, eamque circa aut poſt medium ſeculi II Romam veniſſe (*z*), dum urbis illius Eccleſiae *Anicetus Epiſcopus* praeeſt. Illa et doctrinam ſectae ſuae mirificam illic propagavit, et praeterea uſum imaginum Chriſti, quod diſertis verbis *Auguſtinus* teſtatur, in coetus opera ſua fundatos, aut certe auctos, prima invexit. Ab eo igitur tempore, imagines Chriſti Romae innotuerunt, potueruntque conſpici, quod tamen non de Chriſtianis recte ſentientibus, ſed de Gnoſticis tantum intelligi velim. Hinc iam quivis divinando facile aſſequi poterit (*a*), undenam *Alexander*

(*y*) Hiſt. Eccleſ. Lib. II cap. XIII.
(*z*) *Irenaeus* et *Epiphanius*, ubi ſupra.
(*a*) Pluribus argumentum hoc perſecutus ſum, in Diſſert. Voluminis huius [recuſa eſt hoc ipſo tomo Opuſculorum].

der Severus, qui, poſt initia ſeculi III, ad gubernacula imperii Romani magna cum laude ſedit, imagines illas Chriſti accipere potuerit, quibus Lararium ſuum domeſticum ornavit, cuique cultum et honorem, Divinitati debitum, ſtato tempore offerre conſuevit. Refert de eo *Lampridius*, ſcriptor Ethnicus, quae et hic locum inveniant (*b*): *In Larario ſuo animas ſanctiores, in queis et Apollonium, et quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, et Orpheum, et huiusmodi* (*c*) *deos habebat, iisque rem divinam faciebat.* Ornatum illum Lararii Imperatorii, quem *Lampridius* commemorat, Alexandro ſine dubio ſuggeſſerat ſectator quidam Philoſophiae Platonicae recentioris, e grege Gnoſticorum, quod vel ex nominibus hic recenſitis merito colligas. Sed et aliae inſuper rationes ſuſpicioni huic noſtrae non exiguam probabilitatis ſpeciem conciliant, qua de re plura (*d*) alio loco obſervabimus. Aut multum fallor, aut obſcurum nunc iam amplius eſſe non poterit, ex quorumnam manibus imagines illae *Chriſti*, *Petri* et *Pauli*, derivatae fuerint, quas ſe vidiſſe (*e*) *Euſebius* teſtatur, et quas a Gentilibus ad ſuam usque aetatem transmiſſas eſſe ultro fatetur. Quando *Lampridius*, commemoratis imaginibus *Chriſti* et *Abrahami*, addit, Alexandrum Imperatorem *huiusmodi alias habuiſſe*, an

(*b*) In vita Alexandri, cap. 29. Scriptor. hiſt. Aug. Tom. I p. 930.

(*c*) *Salmaſius* hic legere malebat *ceteros*. Propius ad ductum ſcripturae vulgatae accedet, ſi ſcribas *alios*.

(*d*) Diſſertat. de Alexandro Severo Imp., Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiato [quae et in his Opuſculis repetetur].

(*e*) Vide ſupra § 9.

an non ſuſpicari pronum eſt, eas inter fuiſſe etiam imagines *Pauli et Petri*? Mihi non poteſt non ita videri.

§ 14. A veritate non longe aberraturus eſſe videor, ſi dixero, huiusmodi imagines Chriſti, e Gnoſticorum ſacrariis profectas, etiam hodie ſupereſſe, et in cimeliarchiis Principum, aut etiam hominum privatorum, inter gemmas, quas Abraxeas vocare mos eſt, etſi forte incognitas, aſſervari. Verum quidem eſt, imagines Chriſti, de quibus veteres loquuntur, faciem Domini noſtri non ſemper eamdem retuliſſe, ſed ſibi invicem non parum diſſimiles extitiſſe, quod ſupra tetigimus. Vere tamen (*f*) vir magnus obſervavit, poſt ſeculum IV procedente tempore paulatim *unum aliquod picturae vel effigiei Chriſti exemplar aliis praeferri* conſueviſſe, et ubique obtinuiſſe. Nam ſi quis imagines, tam eas, quae ex veteris Eccleſiae uſu etiamnum ſuperſtites ſunt, quam quas a tribus aut pluribus ſeculis ubique gentium, a pictoribus peritis effictas deprehendimus, diligenter et accurate inter ſe conferat, eum notabilis, quae inter illas omnes illico obſervatur, ſimilitudo latere vix poterit. Apparet facile, eas omnes ex una aliqua imagine archetypa defluxiſſe. Hanc vero imaginem, quam archetypam voco, ex imaginibus, quas diu in coetibus ſuis cuſtodiverant Gnoſtici, originem traxiſſe auguror. Species certe habitusque oris, quem in noſtris imaginibus Chriſti notamus, cum illis conſpirat, quas gemmae quaedam Abraxeae, confectae ut plurimum ſeculo II vel III, referre mihi videntur. In collectione gemmarum huius generis, quam diligentiae et ſtudio *Iohannis*

(*f*) *Iohannes Pearſonus.* Vide ſupra § 7.

his Chifletii debemus, numero III occurrit aliqua, quae, ut mihi perſuadeo, imaginem divini Servatoris, et quidem recens mortui, Gnoſticorum more depictam, oculis noſtris obiicit. Adſpectus ipſe huius imaginis, cum illis Chriſti Domini picturis, quae nobis continuo et ubique ob oculos verſantur, id mihi confeſtim perſuaſit. Accedit conſideratio Theologiae Gnoſticorum, quae in gemmis illis ſymbolice adumbrata latet, quaeque me in ſententia illa non leviter confirmavit. *Chifletius*, cuius eximiam eruditionem etiam Commentarius eius in gemmas Abraxeas ſatis commonſtrat, in effigie illa deprehendit ſymbola *Iovis Ammonis* et *Serapidis*; ſed de hac eius obſervatione, ſitne vera et ſolida, dubitare mihi liceat. Ego hic inſignia *Iovis Ammonis* vel *Serapidis* certa, aut etiam probabilia, nulla conſpicio. In ea gemma, quae in collectione eadem ſequitur, num. 112, vultus exprimitur hinc viri, illinc mulieris. Neque diffiteor, imaginem viri illius aliquo ornari Serapidis ſymbolo, nam calathum gerit in capite, qui in illius ſimulachris omitti non ſolet. Vitio igitur *Chifletio* verti haud poteſt, quod in illa gemma *Serapidem* illique iunctam *Iſidem* agnoverit, quamvis in muliere nihil, quod *Iſidem* deſignet, invenire queam. Sit tamen, per me licet, in capite viri calathus, nota *Serapidis*, ne id quidem impedit, quo minus vir ille faciem Chriſti Domini prae ſe ferre videri poſſit. Id vel ex ipſa vultus ſpecie coniicio. Et gemmae hae ipſae, attente et meditate expenſae, contemplatorem diligentem monent, plurimisque indiciis condocent, earum auctores ſymbola quidem Theologiae Paganicae retinere, ſed ea ad Theologiam Chriſtianam transferre, atque modo in ſcholis ſuis recepto applicare. Teſtantur etiam

veteres (g), ſectatores *Simonis Magi*, Philoſophi Gnoſtici, ſed qui pro redemtore hominum haberi ipſe voluit, imagines illius cum inſignibus *Iuvis*, et *Helenae* concubinae eius, ſymbolis Minervae condecoratas effinxiſſe, illasque honoribus divinis, mactaſſe. Et erunt forte, qui in gemma, de qua loquor, *Chifletiana*, num. 112, *Simonem* et *Helenam* ſcalpello Gnoſticorum repraeſentatos eſſe putent; ego tamen me in ea fateor eſſe ſententia, imagine iſta Servatorem optimum, cum Eccleſia pretio ſanguinis eius redemta, ſymbolice hic depictum eſſe. Sed ea de re ex arbitrio iudicent eruditi et cordati lectores. Illud vero extra omnem dubitationis aleam collocatum eſſe cenſeo, imagines has Chriſti; quae, ſi feliciter conieci, in gemmis nunc indicatis aliisque Abraxeis pluribus conſpiciuntur, omnium quae in toto terrarum orbe extant, eſſe citra controverſiam antiquiſſimas.

§ 15. Sed quid tamdem etiam de imaginibus Chriſti hiſce, quibus certe antiquiores non dantur, iudicandum eſſe putabimus? Non credo fore quemquam, qui omnia hactenus dicta et obſervata rite perpendere dignatus fuerit, cui non eadem quae mihi ſtet ſententia, has benedicti Servatoris imagines ex ſolo ingenio artificum prodiiſſe, nullamque prorſus mereri fidem. Iactabant Gnoſtici, imagines has e domo Pilati, Procuratoris Iudaeae Romani, emanaſſe, et ſic tamdem ad manus ſuas perveniſſe, putantes, ſe

(g) *Theodoretus* Lib. 1 *haereticarum fabularum*, cap. 1, inſtitutum hoc tribuit Simonianis, *Auguſtinus* vero *de haereſibus* c. 1 ipſi Simoni haereſiarchae, ſi modo haereticis Eccleſiae Chriſtianae eum annumerare licet, qui Ieſum noſtrum pro Servatore et redemtore hominum non habuit.

ſed lepida haec fabella aliquam fictis iſtis imaginibus veroſimilitudinis ſpeciem comparare poſſe, cuius rei rationem ſupra ſuggeſſi §. 43; ſed quis tamen usque adeo credulus ſit, ut figmentum tale, omni probabilitatis colore denudatum, ſibi perſuaderi patiatur? Cogitet quis, quaeſo, acta Pilati cum Ieſu, ac deinde dicat, ſitne credibile, hominem eo ingenio ac moribus iſtiusmodi praeditum, qui tantum divini Servatoris contemtum prae ſe tulit, imaginem tamen eius, in uſum ſuum, pictoris arte effingi voluiſſe. Et ſi id vel maxime cupiviſſet, unde quaeſo Hieroſolymae, quae certe pictores tales non alebat, pictorem expiſcari potuiſſet? Et quo, obſecro, temporis articulo, res talis ſuſcepta et abſoluta fuiſſet? Scriptores Eccleſiaſtici veteres memoriae quidem prodiderunt, Pilatum ea, quae cum Ieſu acta erant, per literas nunciaſſe Tiberio Imperatori, ſed imaginum Chriſti ab eo curatarum et in honore habitarum mentionem nemo iniicit. Et vero tamen diſſimile non eſt, *Pilatum* imaginem Chriſti, ſi quam habuiſſet, cum literis Romam miſſurum fuiſſe. *Irenaeus* hanc Gnoſticorum fabellam, de imaginibus Chriſti e domo Pilati acceptis, ita narrat, ut ſatis prodat, ſe eam penitus ſpreviſſe. Non eſt e ſcriptoribus Chriſtianis primorum ſeculorum quisquam, qui ad hiſtoriolam iſtam, ceu fide aliqua dignam, umquam provocarit, cum tamen de imaginibus Chriſti, quod ex ſupra dictis abunde colligitur, ſaepius quaeſitum fuerit. *Euſebius* rem hanc indignam credidit, cuius mentionem ullam faceret, etſi Gnoſticorum mores depingere non neglexerit, et de imaginibus Chriſti quaedam etiam obſervaverit. Illud igitur Gnoſticorum commentum nulla profecto veroſimilitudinis ſpecie ſe commendat. Hinc iam ſponte conſequi exiſtimo, nullam umquam imaginem

Christi genuinam, et quae faciem eius vere expresse-rit, in mundo extitisse. Ita nempe rem hanc Divina Providentia direxit, ut qui Deum et salutem suam ament (*h*), exemplo magni gentium Apostoli, solli-citi magis sint de cognitione Christi secundum spiri-tum, quam secundum carnem.

(*h*) Epist. *ad Corinthios* II, cap. V. 16.

DIS-

DISSERTATIO,

QVA CONTINENTVR

DE SANCTIS QUIBVSDAM INCOGNITIS, QVORVM MEMORIAE CVLTVIQVE ANNIVERSARIO, IN FASTIS ECCLESIAE ROMANAE, DICATVS EST DIES XIX IANVARII, CONIECTANEA.

§ 1. Poſtquam Eccleſia Romana propenſioni inveteratae in cultum ſanctorum, eorumque reliquiarum, frenum laxavit, regulam ſibi praeſcripſiſſe videtur, illi, quam ſemper obſervarunt Apoſtoli, e diametro oppoſitam. *Paulus*, magnus ille gentium Apoſtolus, id ſibi negotii datum eſſe credebat, ut Athenienſes, turpi idololatriae totos immerſos, et gentiles in univerſum omnes, a cultu (*a*) *Dei incogniti*, *quem ignorantes honore divino dignati erant*, ad cognitionem cul-

(*a*) *Actorum* XVII. 23.

cultumque unius veri Dei, in Ieſu Chriſto manifeſtati, converteret. Et quis neget, ad hunc eumdem finem tendere (*b*) doctrinam Religionis Chriſtianae totam, qualem Apoſtoli univerſo orbi promulgarunt, aut aliis promulgandam tradiderunt. At enim in Eccleſia Romana contrarium huius rei non poteſt non obſervari. In ea enim videas, miſerum rudemque populum a vero Dei cultu, ipſis in Scriptura Sacra abunde revelato, quondam averti, atque ad cultum Deorum ignotorum innumerabilium, vel hominum ad divinos honores evectorum, de quibus nemini aliquid certo conſtat, abſtrahi, ut igitur iure merito dici ipſis queat (*c*): *Adoratis, quod cognitum non habetis.* Intolerandus iſte, qui Eccleſiam Romanam olim occupavit, abuſus, eum ad modum labente tempore crevit, ut piis quibusdam et bene meritis Eccleſiae illius Theologis pudorem incuſſerit. Eſtque in recenti eruditorum memoria, virum (*d*) omni doctrina et virtute egregie ornatum, veritatisque amantem, quem merito ſuo Eccleſia Romana, cuius extitit alumnus, maximo in pretio et honore habet, graves de hoc abuſu querelas effudiſſe, fideique ſuae domeſticos candide monuiſſe, ut ab illo ſibi prudenter caverent. De argumento hoc plura nunc non differam. Ea tantum, quae alii *de ſanctis incognitis Eccleſiae Romanae* obſervarunt, novo et memorabili exemplo, attenta lectoris cordati conſideratione, ut ſpero, non prorſus indigno, confirmare animus eſt.

§ 2.

(*b*) Ibidem XIV. 15. Adde caput XVII.

(*c*) Euang. *Iohannis* IV. 22.

(*d*) *Iohannes Mabillon*, Ordinis Benedictinorum ingens ornamentum, in Diſſertatione ſatis nota, *ſur le culte des Saints inconnus.*

§ 2. In *Breviario* et *Miſſali Romano* legitur, diem XIX *Ianuarii*, memoriae et honori ſanctorum quorumdam, ſed huc usque penitus incognitorum, dicatum eſſe. In *Canone* etiam *Miſſae*, qui ex praeſcripto Eccleſiae Romanae illo die adhibendus eſt, edicitur, ut eorum nominatim mentio fieri, ipſique eo cultu, quem Eccleſia illa ſanctis decrevit, honorari debeant. In *Breviario*, ſancti hi incogniti, ad diem XIX *Ianuarii*, iſtis nominibus deſignantur: *Marii, Marthae, Audifacis et Abachum Martyrum.* Notitiam illorum hacce nonnihil uberiorem ſuppeditat nobis *Martyrologium Romanum*, cuius ad eumdem diem p. 35 haec ſunt verba: *Romae in via Cornelia, ſanctorum Martyrum*, MARII *et* MARTHAE *coniugum, et filiorum* AVDIFACIS *et* ABACHVM, *nobilium Perſarum, qui Romam, temporibus Claudii Principis, ad orationem venerant.* Mox deinde martyrium, quod ſancti pertuliſſe feruntur, ita deſcribitur: *E quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignes, ungues ferreos, manuumque praeciſionem,* MARTHA (*e*) *in Nympha necata eſt, ceteri ſunt decollati, et corpora eorum incenſa.* In Codice quodam MSS. Bibliothecae Vaticanae haec (*f*) inveniuntur: *Eodem die dedit ſententiam, ut decollarentur, qui dum ducti fuiſſent via Cor-*

(*e*) Locus idem mox vocatur *ad Nymphas Cathabaſſi*, vel *Catabaſſi*, de quo *Paulus Aringhius* in *Roma ſubterranea* Lib. II cap. XVI § 7 haec habet: *Locus dicitur ad Nymphas Catabaſſi, quod ibi forte Catabaſſi alicuius fontes quondam exiſterent.* Operae pretium eſt, eiusdem conſulere Libri IV caput XX totum, ac praeſertim § 2, 3.

(*f*) Apud *Antonium Boſium*, in *Roma ſotterranea* Lib. II cap. XIV p. 160, et *Aringhium* in *Roma ſubterranea* Lib. II cap. XVI § 7.

Cornelia, milliario tertio decimo, ad Nymphas Catabaſſi, ibi in eodem loco decollati ſunt ſub Arenario, MARIVS, AVDIFAX *et* ABACHVM. MARTHA *vero in Nympha necata. Quorum corpora iuſſit incendi, ne ſepulturam haberent. Matrona vero nomine Felicitas rapuit corpora eorum, et in praedio ſuo ſepelivit:* MARTHAM *vero levavit de puteo, et iunxit corporibus ſanctis, ſub die quartodecimo Kalendas Februarii.* Eſt hic inter duas relationes, alteram quidem ex libro typorum formis impreſſo, alteram e codice MS. depromtam, diſſenſus non levis. Nam in *Martyrologio*, opera et ſtudio *Caeſaris Baronii* vulgato, conceptis verbis affirmatur, *corpora ſanctorum incenſa* fuiſſe. At in codice MS. Vaticano narratur, *corpora* illorum ſanctorum, a Felicitate, id nomen erat piae cuidam matronae, in praedio ipſius *fuiſſe ſepulta.* Idque fautoribus placitorum Eccleſiae Romanae non poteſt non magis placere. Nam niſi res ita ſe haberet, undenam quaeſo eorum reliquiae (*g*), quarum meminêre viri eruditi, potuiſſent conquiri? *Baronius* tamen, cui uſus patuit librorum manu exaratorum in Bibliotheca Vaticana, narrationem alteram praetulit. Quam frequentes ceteroquin ſint in Martyrologiis, Actisque Sanctorum, circumſtantiarum quae referuntur discrepantiae, opus non eſt monere. Res eſt eruditis notiſſima.

§ 3. Quis negaverit, piae illorum ſanctorum devotioni vix parem inveniri? Nam hiſtoria perhibet, eos ad orationem, vel ad preces cum fructu fundendas, ex ultima Perſia, longinquum iter Romam ſuſcepiſſe. Dixeris, Perſas hoſce Chriſtianos forte pietatem

(*g*) *Boſius* in *Roma ſotterranea*, ubi ſupra, et *Aringhius* Lib. II cap. XVI § 8.

tem (*h*) Magorum ex Oriente, popularium ſuorum, aemulari voluiſſe. Equidem, cum Chriſtum Dominum, in carne manifeſtatum, prope, ut illi, iam non amplius ſalutare atque adorare poſſent, is enim terras reliquerat, ſaltem Vicarium eius in terra Romae honore hoc afficere, eum coram compellare, humiliter adorare, et muneribus placare voluiſſe videntur. Impenſa haec reverentia Epiſcopi Romani, aut, ſi mavis, liminum Petri et Pauli, inprimis ſi cogites primam illam et puram adhuc venerabilemque Eccleſiae Chriſtianae aetatem, ſeculum nempe III, in quod hiſtoria *Marii* et *Marthae* a compilatoribus martyrologiorum coniicitur, ſedi Romanae non poteſt non eſſe pergrata, valdeque honorifica. Id vero commodum omne, quod ex hiſtoria iſthac, in Eccleſiam Romanam redundare videtur, oppido minuit, aut potius plane evertit, quod circumſtantiae rei huius vere ſingularis, ſed Eccleſiae veteri penitus ignotae, ita comparatae ſint, ut illius refutationem et condemnationem ſecum vehant. Non facile quisquam hodie reperietur, dummodo hiſtoriam Eccleſiae primitivae probe calleat, qui fabulam adeo inſulſam, et ab omni veri ſpecie longe remotam, ſibi obtrudi aut perſuaderi paſſurus ſit. Non diffitetur id, quod dixi, magnus Chronologiae Chriſtianae inſtaurator, idemque cenſor Annalium Baronii ſeverus, ſed perquam doctus et iudicioſus, *Antonius Pagi*, Franciſcani ordinis Sacerdos. Nam (*i*) etſi negare non audeat, ſanctos illos, de quibus loquimur, martyrium paſſos eſſe, quia Eccleſia Romana id aſſeverat, quam eius modeſtiam imitatur

(*h*) *Matthaei* cap. II.

(*i*) *Antonius Pagi* in *Critica Annalium Baroni*, ad A. C. 268. num VI et VII, et ad an. 269. num II.

tur vir ceteroquin de hiſtoria Eccleſiaſtica praeclare meritus (*k*), *Sebaſtianus Nanus Tillemontius*, oſtendit tamen bonis rationibus, circumſtantias hiſtoriae iſtius, quales in *Martyrologiis* et *Actis Sanctorum* leguntur, tales eſſe, ut fidem mereantur nullam. Recte igitur pronuntiat, acta iſtorum ſanctorum eſſe ſuppoſita et conficta, laudatque *Ruinartum*, ut qui, in *Sinceris Actis Martyrum*, eis locum nullum conceſſerit. Sunt igitur manentque Perſae hi ſancti penitus ignoti, neque norunt docti Eccleſiae Romanae fautores, quid de illis dici aut cenſeri debeat. Pluribus poſt *Pagium* id ipſum adſtruere, prorſus ſupervacaneum mihi videtur, cum ea, quae in medium allata iam ſunt, eruditorum omnium conſenſu, rem hanc ad liquidum perduxerint. At paulo ulterius progredi hic animus eſt, etenim ſanctis hiſce Perſis, ut ſpero, larvam detraham, eoque efficiam, ut ex incognitis divis, recuperata priſtina nativa forma, homines evadant oppido et bene noti. Perfacile tum cuivis erit iudicare, quisnam inter ſanctos locus illis fuerit aſſignandus, quove ſint honoris et venerationis cultu ornandi.

§ 4. Si coniectura mea, quam lectorum iudicio nunc ſubmittam, aliquid ſoliditatis habet, fatendum erit, *Marium*, *Martham*, ceterosque illos, qui in Martyrologio, aliisque ſanctorum catalogis, locum non infimum occupant, re ipſa venerabili ſanctorum nomine et conſeſſu penitus indignos eſſe. Niſi vehementer fallor, fuerunt illi omnes, de quibus hic diſſerimus, miſeri caecique gentiles, multisque inſuper vitiis ac criminibus turpiter contaminati. Duo illa nó-

(*k*) *Dans les Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire Eccleſiaſtique*. Tom.

nomina, in hac ſanctorum hiſtoria iunctim memorata, *Marii* et *Marthae*, ſuſpicionis meae, quam lectori iam exponam, fundus et origo extiterunt. Quis enim nomina haec, iunctim ſic, ut dixi, in eadem hiſtoria commemorata legere vel audire poteſt, cui non in memoriam continuo redeat C. *Marius*, fortiſſimus et feliciſſimus Romanorum Imperator, et quam is in exercitu ſecum circumducere ſolebat, *Martha*, mulier Syra. *Marii* nomen in hiſtoria Romana multo clarius eſt, quam ut de eo aliquid addere operae pretium ſit. Quoniam vero *Marthae* nomen longe eſt ignobilius et obſcurius, paucisque ſcriptoribus dictum, adferam quae de ea *Plutarchus*, auctor cum paucis comparandus, literis mandavit. Sic autem ille (*l*): *Marius mulierem quamdam Syram, nomine* MARTHAM, *quae ferebatur edere vaticinia, in lectica decumbentem, magna circumducebat veneratione. — Lectica fere vehebatur; ad rem divinam autem procedebat, purpureum amictum duplicatum, fibulaque ſupra pectus conſtrictum gerens, et haſtam vittis ac ſtemmatibus redimitam, manu ferens. Dubitarunt tamen complures, verene ei fidem habuerit Marius, an ſerviens ex compoſito huic fabulae, oſtentaverint eam mulierem.* E ſcriptoribus hiſtoricis Latinis, comitis huius et amicae *Marii* meminit quoque *Frontinus*, tametſi nomen ſuppreſſerit (*m*). C. *Marius*, inquit, *ſagam quamdam ex Scythia habuit, a qua ſe dimicationum eventus praediſcere ſimulabat.* Videtur auctor hic poſtremus in eo differre a *Plutarcho*, quod quam hic mulierem Syram dixit, ille e Scythia eam arceſſitam eſſe ſcribat. Sed bene eſt,

(*l*) *Plutarchus* in *vita Marii* p. 414 et 415.
(*m*) De Strategematibus Lib. I cap. II § 12.

eſt, quod codices plures manu ſcripti, ad quos *Tennulius* in notis provocat, pro eo, quod vulgo legitur *ex Scythiâ*, ſcriptum exhibeant, *ex Syria*, neque dubium eſſe poteſt, quin ita (*n*) ſcripſerit *Frontinus*, que mente habuerit illam ipſam ſagam aut vatem Syram, nomine *Martham*, cuius brevem hiſtoriam *Plutarchum* texuiſſe vidimus. Et quem praeterea fugit, ipſum *Marthae* nomen eſſe Syro Iudaicum, cuius proinde in hiſtoria tum Euangelica, tum Eccleſiaſtica, mentio non ſemel occurrit. Quodſi rem acu tetigit *Iacobus Sponius*, vir doctiſſimus, et in his rebus plurimum exercitatus (*o*), in arcu triumphali *Marii*, qui etiamnum Arauſione in Gallia ſupereſt, *conſpicitur vates* illa Syra, *digito aurem contingens*. Et in delineatione pulchra illius arcus, quam diligentiae illuſtris *Montefalconii* debemus (*p*), cernimus in ſum-

ma

(*n*) Conf. *Lipſius* Politic. Lib. 1 c. 3, et *Waſſe* ad *Sallustium* B. Iugurth. c. 67. [*ex Syria* in textum recepit *Oudendorpius*.]

(*o*) Voyage de Mr. *Spon*, Tom. 1 p. 7.

(*p*) *Antiquité expliquée* du *P. Montfaucon* Tom. 1v Part. 1 p. 170. Diffiteri quidem non poſſum, praeſtantiſſimum hunc et emunctae naris virum, adverſus communiorem ſententiam, arcum illum eſſe *C. Marii*, excipere, in eo anchoras, fragmenta navigiorum, aliaque ad rem navalem pertinentia conſpici, unde concludi poſſit, in Arauſionenſi arcu celebrari memoriam non modo certaminis terreſtris, ſed etiam navalis, quod ad victoriam Marii aegre referri queat. Verum ea, quae in arcu ad rem navalem pertinentia cernuntur, reſpicere poſſunt celebratam veteribus foſſam, quam Marius, ante reportatam de Teutonibus et Cimbris victoriam, e mari mediterraneo, in Rhodanum fluvium, immenſo labore deduci curavit, ex qua plurimum commodi, tum in exercitum Romanum, tum in totam illam regionem derivatum eſt, quamobrem etiam poſtea, in honorem Marii, *Foſſa Mariana* vocitata eſt. Vide *Plu-*

tar-

na arcus illius parte, a ſiniſtro latere, effigiem huiusmodi mulieris, crinibus paſſis, eoque corporis habitu et ſtatu inſignis, qui vatibus foeminis tribui ſolet. Ex his quae disputavimus, ſatis perſpicere licet, *Marium* de *Martha* illa, rerum a ſe geſtarum comite, deque ſua cum eadem amicitia, gloriatum eſſe, eiusque etiam in monumentis expeditionum ſuarum belli carum publicis, mentionem honorificam extare, aut etiam effigiem exhiberi voluiſſe.

§ 5. Qui ſint *Marius*, et *Martha*, piorum Chriſti martyrum choro, in Martyrologiis Sanctorumque Actis, liberaliter adſcripti, detexiſſe mihi videor. Quid vero, inquies, de reliquis duobus, *Audiface* et *Abachum*, dicendum eſſe iudicabimus? Fuerintne illi ſaltem et origine et domicilio Perſae, qui devotae pietatis ſtimulo acti, e Perſia Romam adorandum ſe contulerint. Ego vero minime cenſeo. Alterum certe eorum, *Abachum* nempe, Germanum aut Gallum origine fuiſſe arbitror. Vt vero hoc ipſum, quod primo quidem intuitu paradoxi loco habendum videri poterit, planum manifeſtumque faciam, recurrendum mihi iterum erit ad arcum triumphalem *Marii*. Erat is, quemadmodum eruditi norunt, in honorem C. *Marii*, inque memoriam victoriae ingentis geminae, alterius quidem ad Aquas Sextias, de Ambronibus et Teutonibus, alterius vero prope Vercellas, de Cimbris ab eo reportatae. Poſtquam Imperator ille, idemque tum Conſul Romanus, proelio cruento ſed auſpicato

archum loc. cit. p. 414. *Strabonem* Lib. IV p. 127. editionis ab ipſo *Caſaubono* curatae, et ad eum *Caſauboni* notas. Qui ceteroquin expendere dignabitur, quae *Spanius* ipſeque *Montefalconius* de arcu iſthoc memoriae mandarunt, de veritate opinionis receptae non dubitabit.

to hoſtes viciſſet et proſtraviſſet, fortuna uſus eſt adeo fecunda, ut *Teutobochum*, gentium harum regem caperet vivum, quare fauſtum hunc proelii eventum, in arcu triumphali, memoriam tantae rei ad poſteros transmiſſuro, tacite praeteriri noluit. Supervacaneum haud erit hic apponere, quae eam in rem *Montefalconius* obſervat (*q*). *Ioſephus Piſaeus*, ita ſcribit, *qui hiſtoriam Arauſicanam Gallico idiomate edidit* A. 1639. *ait: in latere occidentali, ubi tropaea et captivi, cum ex captivis unius diu ante excidiſſet, lapidem qui erat huic captivo ſuppoſitus, item excidiſſe, quadraginta circiter annis, antequam librum ſuum ederet, in quo lapide ſcriptum erat Teutobochus, quod erat, inquit ille, nomen regis captivi, additque, patrem ſuum vidiſſe lapidem, et hoc nomen legiſſe.* Addit *Montefalconius: ſi nomen illud vere in lapide fuerit, regis utique Teutonis eſſe potuit.* Quodſi autem delineationem arcus Mariani, quem nobis dedit praeſtantiſſimus *Montefalconius*, intueor, in ſuprema illius regione videor mihi cernere captivum, qui genibus nixus ſe ipſum dedit. Romae etiam hodieque oſtenduntur duo tropaea *Marii* marmorea (*r*), *quorum alterum habet*

(*q*) *Montfaucon*, ubi ſupra, p. 170.

(*r*) *Barthol. Marlianus* in *Topographia Vrbis Romae* Lib. V cap. XIV p. 91. b. Adde *Andr. Fulvio Antichità di Roma* Lib. II p. 57, 58, et *Petri Martyris Felini* Servitae, *Trattato delle coſe maravigliose dell' alma città di Roma* p. 297. ſq. Sunt equidem, qui in dubium vocent, ſintne tropaea haec re ipſa Marii. Vbi vero perpenduntur, quae viri docti iam citati, cumque his *Olaus Borrichius* in *antiqua Romae facie*, cap. VII et *Montefalconius* in *Diario Italico*, p. 108, 109 et 170, obſervarunt, dubio locus non ſupererit.

bet thoracem cum ornamentis et clypeis, et ante se imaginem captivi iuvenis, brachiis post tergum vinctis: alterum vero instrumenta omnia ad pugnandum, et clypeos, quae dicuntur fuisse C. Marii de triumpho Cimbrico erecta. Haec sunt, quae a Sylla disiecta C. Caesarem Dictatorem instaurasse, memorat Sueto-nius. Haud ambigo, quin iuvenis ille captivus, brachiis post tergum vinctis, qui in tropaeorum Marianorum altero conspicitur, sit ille ipse *Teutobochus*, quem arcus triumphalis Arausicanus nomine hoc designasse dicitur.

§ 6. Memoria huius *Teutobochi*, non in tropaeis tantum et monumentis publicis, quod nunc vidimus, conservata fuit, sed meminerunt eiusdem historici, qui bella et victorias *Marii* attingunt. E Graecis *Plutarchus*, in historia *Marii*, mentionem iniicit (*s*) *regum Teutonicorum, a Mario in bello Cimbrico captorum*, quamvis nomina eorum omiserit. At ipsum quoque *Teutobochi* nomen apud scriptores Latinos legitur. De eo haec habet *Florus* Lib. III cap. 3: *Rex ipse Teutobochus — proximo in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit, quippe vir proceritatis eximiae super tropaea sua eminebat.* Reperitur nomen idem apud *Eutropium*, sed librariorum negligentia nonnihil corruptum. Sic enim legimus Lib. v [c. 1] p. m. 48. *Cum Cimbris conflixit Marius, et duobus proeliis* CC *millia hostium cecidit,* LXXX *millia cepit, et ducem eorum Teutobodum.* Scriptura eadem vitiosa *Orosii* Codices [v. 16] quoque occupavit. Quam non facile vero erat librario, rerum harum mediocriter tantum perito, ex *Teutobocho*, suum effingere *Teutobodum.* In *Eusebii Chronicon Hieronymianum*, idem illud

(*s*) *Plutarchus* in *vita Marii* p. 41.

illud mendum, sed novo etiam auctum, sese insinuavit. Ita enim scriptum ibi (t) deprehendimus: CC *millia Cimbrorum caesa*, LXXX *millia capta per Marium, cum duce Teutomodo*. Miror sane, quid magnum *Scaligerum* inducere potuerit, ut lectionem hanc vitiosam, ex alia non meliori ortam, retinendam et defendendam esse putaverit. Nemo, ut spero, qui hactenus allata, eo quo par est candore, expenderit, vitia mihi dabit, quod in Latinorum scriptorum locis a me adductis omnibus legendum esse censeam *Teutobochum*. Sed quorsum, inquies iam, haec omnia, quae de *Teutobocho*, rege Teutonum, vel Cimbrorum, a *Mario* in vincula coniecto, satis prolixe disputata fuerunt? Nempe ut ostendam, in historia *Marii*, et rerum ab ipso in bello Cimbrico gestarum, uti et in monumentis, in memoriam huius belli a fortissimo Imperatore, tanto cum successu profligati, *Marii*, *Marthae*, et *Teutobochi*, saepe iunctim mentionem fieri consueviſſe, sicuti etiam in Actis Sanctorum nostrorum, nomina eadem *Marii*, *Marthae*, et *Abachum*, amice, sociata leguntur. Iam vel me tacente, intelligi facile poterit, quaenam de nomine *Abachum*, mihi sedeat sententia. Suspicor nempe, ex voce *Teut*OBOCHVM, in Inscriptione corrupta et mutilata, alicubi reperta, natum fuisse nomen pariter corruptum ABACHVM. In lapide, qui, ut mihi persuadeo, confingendae sanctorum nostrorum historiae argumentum subministravit, legebantur nomina MARII *et* MARTHAE integra et incorrupta. Additum quoque erat nomen *Teutobochi*, quia id summo honori et gloriae sibi duxerat *Marius*, quod *Teuto*BOCHVM in potestatem

(t) *Hieronymus* in *Chronico Eusebii* p. 149. edit. *Scaligeri* ultimae.

tem ſuam redegiſſet vivum, ideoque in lapide, memoriae honorique eius dicato, id omitti non debebat. Neque dubito, quin lapis ille TEVTOBOCHVM primitus bene et diſtincte expreſſerit. Sed tempus edax rerum literas primas huius nominis TEVT ita corroſiſſe videtur, ut aut prorſus evanuerint, aut diſtincte ſaltem legi haud potuerint. Remanſit ergo tantum, quod legi poſſet OBOCHVM, ex quo lector aliquis Chriſtianus, ſanctos cogitans et quaerens, confecit ABACHVM, propter aliquam harum ſyllabarum (*u*) cum nomine alicuius Prophetae Veteris Teſtamenti, omnibus noti, aliquam ſimilitudinem et affinitatem.

§ 7. Trium nominum, quae, in Actis Sanctorum Eccleſiae Romanae, iunctim leguntur, *Marii*, *Marthae*, et *Abachum*, rationem mihi videor reddidiſſe. Sed ſupereſt quartum *Audifacis* nomen, quod quale ſit, quove referri poſſit, haud certo dixerim. Variae mentem meam ſubeunt coniecturae, in quibus tamen, quod non invitus fateor, mihi ipſe haudquaquam ſatisfacio. Ne tamen nihil dixiſſe videar, adferam coniecturas duas, quae aliquam forte veroſimilitudinis ſpeciem prae ſe ferre quibusdam videbuntur, ſed quas lectoris arbitrio penitus permitto. Superveniet fortean alius, ingenioſior me feliciorque hic coniector. Cogitare quis poſſet, nomen AVD*ifacis*, vel AVT*ifacis*, non inepte coniungi poſſe cum illo ABACHVM, ut nempe utrumque ſibi iunctum, illum, quem quem quaerimus, TEVTOBOCHVM componat. Si lapis, ex quo voces ſemeſae non ſine difficultate erui potuerunt, adeſſet et inſpici poſſet, tutius ea de re ferre liceret iudicium. Quam mirificas enim, in lapidibus vetuſtis, temporum iniuria mutilatis, vocum tum com-

poſ-

(*u*) Vide infra.

poſitiones, tum diſiunctiones, lectores etiam periti, ne de imperitis dicam, exſculpere ſoleant, obſcurum illis non eſt, qui ad talia ſtudia animum umquam applicuerunt. Sed hac de re aliquid infra nobis etiam tangendum erit. Alii cuipiam in mentem venire poterit, *Audi* FACEM ſpectare potuiſſe ad *Martham*, quam Inſcriptio nuncupaverit VATEM, ſicut *Frontinus*, § 4 ad teſtimonium vocatus, *ſagam*. Ex voce hac, ſi coniectura admitti poſſe videbitur, imperitus quidam inſcriptionis lapidariae lector confecit FACEM, ac inſuper vocem hanc nullius pretii cum alia etiam imperitius combinavit, unde tamdem exiit *Audifax* et *Audifacis*. Sed quoniam tamen ſuſpicionibus hiſce, alio adhucdum fundamento deſtitutis, nihil certi ſolidique ſubeſt, praeſtabit nunc quidem manum de tabula auferre.

§ 8. In hiſtoria ſanctorum noſtrorum, qualem Martyrologia et Sanctorum Acta nobis exhibent, aliquid praeterea occurrit, quod ex hiſtoria Imperatoris Romani C. *Marii* deſumi potuit, et quod forte Inſcriptio, de qua ſuſpicionem meam aperui, breviter et paucis tetigit, et quod probabiliter lector Chriſtianus, pro indicio certo martyris, et martyrii ab ipſo perlati, habendum eſſe iudicavit. In Actis quibusdam illorum, de quibus hic diſſerimus, Sanctorum Martyrum, et hoc refertur, honorem ſepulturae ipſis denegatum fuiſſe (*v*): *Quorum corpora iuſſit incendi, ni ſepulturam haberent.* Hancque perſecutorum ſaevitiam exanimata martyrum corpora re ipſa experta fuiſſe, aſſeritur in *Martyrologio Romano Baronii* (*w*), ubi

(*v*) Acta MSS. in Codice Vaticano, apud *Boſium* et *Aringhium*. Vide ſupra, § 2.

(*w*) Locum *Martyrologii* prolixius citatum vide § 2.

ubi haec leguntur: *Sunt decollati, et corpora eorum incensa*; quamvis alii Actorum compilatores id inficias iverint. Ifiusmodi exempla denegatae, primis his temporibus, Christianis sepulturae, in *Sinceris Actis Martyrum*, qualia a *Ruinario* edita habemus, non quidem plane nulla occurrunt, sed sunt tamen oppido rara. Saevi piorum hominum persecutores et carnifices, ubi eorum sanguine, cruciatibus, et morte satiati essent, ipsa corpora trucidatorum amicis ut plurimum, aut gregalibus, vix ac ne vix quidem invidere solebant. Praeterea nondum illo tempore Martyrum reliquiae distrahebantur, aut multo aere coëmebantur: nondum illis honos habebatur superstitiosus, quem Martyres ipsi cum indignatione repulsuri fuissent. Cur igitur Christianis reliquias corporum misere enecatorum aut excruciatorum denegassent Ethnici? Haec sunt ut plurimum sequioris aevi. At credi potest, ea quae Mario Imperatori Romano post mortem evenere, et quae forte Inscriptio, de qua dixi, attigerat, in Acta Sanctorum *Marii* et *Marthae* derivata fuisse. *Mario* certe (*x*) Imperatori Romano, *Cornelium Syllam*, quo inimicum saevum magis et implacabiliorem expertus numquam est, sepulturae honorem et commoda invidisse, et, quantum in ipso erat, eripuisse, ex historia constat. Nam cum Sylla post Marii obitum Romam rediisset, omniaque iam ex nutu et libidine ageret, etiam de mortuo hoste vindictam sumturus, ossa eius effodi, et in Anienem, fluvium praeterlabentem, conici iussit. Idem vero metuens, ne post mortem sibi forte par pari referretur,

Testa.

(*x*) *Cicero de Legibus* Lib. II. c. 22. *Valerius Maximus* Lib. IX c. 2. *Plinius Histor. Natur.* Lib. VII c. 54.

Teſtamento iuſſit oſſa ſua igne cremare, cum antehac genti Corneliorum in more fuiſſet, corpora defunctorum non comburere, ſed humo mandare.

§ 9. Equidem praevideo, fore lectores, quibus mirum ſupra modum videbitur, Ethnicos tres, *Marium*, *Martham*, et *Teutobochum*, quorum primus gente Romanus, tertius Germanus aut Gallus, mulier vero e Syria oriunda fuit, in Chriſtianos Perſas, ſanctosque veritatis Evangelicae teſtes, ſanguineque conſperſos Martyres, transformari potuiſſe. Neque nego, transformationem talem, prima fronte, non poſſe non admodum peregrinam vehementerque paradoxam videri. Sed in Martyrologiis Actisque Sanctorum, quae Eccleſia Romana iudicio ſolemni probavit, cultusque illius, quem ſanctis plurimis decrevit, fundamentum unicum eſſe voluit, transformationes huius generis ita rarae non ſunt, atque imaginari ſibi quis poſſet. Quisquis operam legendo *Martyrologio Romano*, a *Caeſare Baronio* compilato et digeſto, ac iudicio Pontificum ſummorum publico veſuti obſignato, aut meditate perpendendis, quae de eo (*y*) a viris doctis monita iam ſunt, ſtudioſe impendere voluerit, nullo negotio id, quod hactenus adſtruxi, ſibi perſuaderi ſinet. Vix mente quis concipere aut credere poteſt, quot quamque inſulſos et ridiculos errores, partim ignorantia incredibilis, partim negligentia et incuria eorum, qui ſeculis mediis hiſtorias Sanctorum et Martyrum contexendas in ſe ſuſceperunt, no-

(*y*) Poſſunt praeter alios hic evolvi *l'Hiſtoire de l'Egliſe*, par Mr. *Basnage* Tom. II p. 1038, 1039, et *Mich. Geddeſii detectio craſſorum quorumdam errorum in Martyrologio Romano*, quae in *Miſcellaneis* eius, Anglico ſermone publicatis, reperitur Volum. II.

nobis peperérit. Vt dictis fidem faciam, exemplis nonnullis eō corroborare animus est. In *Martyrologio Romano* celebratur ad d. XVI *Februar.* memoria *in Aegypto S. Iuliani Martyris, cum aliis quinque millibus* (z). Viris doctissimis, et in historia Ecclesiastica magna cum laude versatis, non citra rationem visum est, martyrologii huius compilatorem, cum alicubi legisset, *S. Iuliani Martyris, cum aliis quinque mil.* id est, *militibus*, quae vox in Actis Sanctorum et Martyrologiis toties occurrit, ex eo confecisse *quinque millibus.* Ipse doctissimus *Tillemontius*, qui in historia Ecclesiastica sex primorum seculorum, laboriose, docte, et accurate contexta, nihil studio tam exquisito persequitur, quam historiam Sanctorum et Martyrum, hic tamen ita iudicat (*a*): *Ad hunc diem* XVI *Februar. refertur etiam Martyrium S. Iuliani cuiusdam, cum quinque millibus Aegyptiorum, sed quos reducere oportet ad quinque.* Vix dubitari potest, quin argumentum huius historiae desumtum sit ex *Eusebii Historia Ecclesiastica* (*b*), ubi martyrium *Pamphili* describit. Refert enim, inter Martyres, qui eodem tempore, Caesareae in Palaestina, morte sua Dominum glorificarunt, fuisse etiam *Iulianum*, et paulo ante dixerat de Martyrio *quinque Aegyptiorum*, qui e Cilicia reversi in patriam suam pergere voluerant. Adfert etiam quinque illorum Aegyptiorum nomina, *Eliae* videlicet, *Hieremiae*, *Esaiae*, *Samuelis*, et *Danielis*, haec enim nomina e scriptura petita,

(z) Vide *Geddesii* librum cit. p. 189. sq.

(*a*) *Mémoires pour servir à l'histoire Ecclesiastique* Tom. V p. 427.

(*b*) *Eusebius* de Martyribus Palaestinae cap. XI.

ta, abiectis priſtinis, adoptaverant. Horum martyrium *Euſebius* refert ad diem XVI Februar. qui ipſe dies in *Martyrologio* quoque *Romano* notatur. Et in eodem *Martyrologio* confeſtim ſequitur: *Caeſareae in Palaeſtina, Sanctorum Martyrum Aegyptiorum, Eliae, Hieremiae, Eſaiae, Samuelis et Danielis.* Sunt nempe haec nomina quinque illorum Aegyptiorum, quorum martyrium modo erat narratum, ſed qui, neſcio quo caſu, ex *quinque*, in *quinque millia* converſi fuere. Compilator huius hiſtoriae, quisquis fuit, ex diverſis Sanctorum Actis, quae nonniſi rem unam referebant, confecit hiſtorias duas, quas tamen ad unum eumdemque diem retulit, et quae deſcripſerat, ea novo errore commaculavit, dum ex *quinque* militibus, aut hominibus, *quinque millia* confinxit. Ad diem I *Iunii* in *Martyrologio Romano*, memoria celebratur in Aegypto *Sanctorum Martyrum, Iſcyrionis ductoris militum, et aliorum quinque militum, qui ſub Diocletiano Imperatore, pro fide Chriſti, diverſo mortis genere peremti ſunt.* An hi confuſi fuerint cum quinque illis Aegyptiis, quos etiam ſub *Diocletiano* et conſortibus Imperii paſſos eſſe, et *Euſebius* teſtatur, et in *Martyrologio* repetitur, aliis diiudicandum relinquo. Sunt tamen, quae mihi id ſuadeant. *Martyrologium Romanum* ex multis Martyrum et Sanctorum hiſtoriis compilatum fuit a pluribus, et non numquam manu valde imperita, aut oſcitante. Non igitur eſt, quod quis miretur, tantam errorum intolerabilium, et fere incredibilium, ſegetem in farraginem illam irrepſiſſe. In eodem Martyrologio ad diem XXIV Iul. haec legimus: *Amiterni in Veſtinis paſſio SS. militum octoginta trium.* At vero (c) in *Mar-*

ty-

(c) *Geddeſius*, ubi ſupra, p. 195. ſq.

yrologio Lucenſi, haec longe aliter concipiuntur, iſto videlicet modo: *Amiterni, octoginta tribus milliaribus ab urbe, in via ſalutari, paſſio S. Victorini.* Conſentiunt cum hac editione Codices optimi, inter quos et ille nominandus, qui fuit in Bibliotheca Chriſtinae Reginae Sueciae; ut taceam, lectionem horum codicum ipſa ſua probabilitate ſe tueri. Si milliaria, quae ſunt menſurae viarum, potuerunt transformari in homines, et in Sanctos quidem atque Martyres, quid opus eſt mirari transmutationem *Marii*, *Marthae*, et *Abachum*, ſive *Teutobochi*, caecorum gentilium, in pios Chriſti confeſſores et Martyres? Quot non exempla alia ſimilium errorum, hallucinationum, et figmentorum, adducere poſſem, quorum non pauca ipſi communionis Romanae cordati ſcriptores mihi ſuppeditant. Sed haec non ſunt iſtius loci. E diverticulo iam revertendum mihi eſt in viam.

§ 10. Vt igitur ad ſanctos noſtros perſonatos, Perſas nimirum, *Marium*, *Martham*, et *Teutobochum* redeam, ita ſentio, Inſcriptionem aliquam antiquam, temporis iniuria vehementer corruptam atque mutilatam, perperam praeterea ac imperite explicatam, in qua nimirum mentio extabat veteris *Marii*, comitis eius *Marthae*, et devicti ab eo *Teutobochi*, fingendae illi Sanctorum Perſarum hiſtoriae, quae nunc in Martyrologiis et aliis Sanctorum Actis deprehenditur, occaſionem primam ſubminiſtraſſe, etſi nullus dubitem, eam a Martyrologis et Legendariis poſthaec acceſſionibus variis fuiſſe locupletatam. Mihi vero diſſimile haud videtur, Iulium Caeſarem, Dictatorem perpetuum (*d*), cum tropaea *Marii*, Romae erecta, ſed poſtea a Sylla,

(*d*) *Suetonius*, in *vita Caeſaris*, cap. XI.

la, crudeli eius hoſte, everſa reſtauraſſet, memoriam huius (*e*) ſui avunculi Inſcriptione aliqua celebrare poſteritatique commendare voluiſſe; quae res ab eó fortiter et feliciter geſtas breviter recenſeret, ex qua proinde nomina *Marthae*, et *Teutobochi*, abeſſe omnino non potuiſſe videntur. Ferebatur talis aliquando Veronae inſcriptio, quam (*f*) ſe vidiſſe teſtatur *Iacobus Sponius*, ſed quam adulterinam eſſe et ſuppoſititiam iudicavit, qua de cauſa etiam argumentum eius ſilentio involvit. Extat et alia talis Inſcriptio, quam *Petrus Martyr Felinus*, e Servitarum ordine (*g*), publici iuris fecit (*h*), ſed quae mihi quidem non vide-

(*e*) Marius enim in matrimonium duxerat Iuliam, patris Iulii Caeſaris ſororem.

(*f*) Voyage de Mr. *Spon*, Tom. II p. 286.

(*g*) In libro Italice ſcripto, *de mirabilibus urbis Romae*, edit. Romae 1615, p. 297, 298.

(*h*) Inſcriptio haec, recentiori, ut auguror, manu, ab erudito quodam Italo adornata, talis a *Petro Martyre Felino* edita eſt. C. *Marius Cos.* VII. *prid. Tribun. pl. Q. Augur. Trib. mil. extra hoſtem, bellum cum Iugurthâ Rege Numidiae, Procos. geſſit, cum cepit et triumphans in Iovis aedem, ſecundo conſulatu, ante currum ſuum duci iuſſit. Tertium Coſ. abſens creatus eſt,* IV *Cos. Theutonorum delevit exercitum.* V. *Coſ. Cymbros fudit, ex eis et de Theutonis iterum triumphavit. Remp. turbatam ſeditionibus Tr. Pl. et Praetor, qui armati Capitolium occupaverant.* VI *Cos. vindicavit poſt* LXX *annos, Patria pel arma civilia pulſus, armis reſtitutus.* VII *Cos. factus eſt, De manubiis Cymbris, et Theutonicis, honori et virtuti, victor fecit, Veſtae triumphali calceis punicis.* Plura hic eſſent obſervanda. Vnicum tamen ego hocce tantum monebo. Praeter *Petrum Martyrem*, hactenus viſus mihi non eſt quisquam, qui, loquens de tropraeis *Marii*, inſcriptionis huius meminerit. Illi ipſi, qui tropaea haec vere *Marii* eſſe docent, numquam tamen ad Inſcriptionem hanc provocant, quae ceteroquin litem dirimere potuiſſet.

detur esse melioris commatis. Quidquid autem sit, de quo lectores eruditi et candidi iudicent, ego sic arbitror, inscriptionem aliquam huius indolis, sed antiquam et genuinam, in manus Christianorum Romanorum aliquando incidisse, quam tamen, cum detegeretur, vehementer iam corruptam, detritam, lectuque perdifficilem fuisse oportet, quod ex mutilatione nominum, quae in historia sanctorum nostrorum observatur, facile aestimari potest. Mutilatio haec totius Inscriptionis, et obliteratio tum literarum quarundam, tum integrarum vocum, quae illam, ut credo, vehementer deformavit, peperit nobis, si recte auguror, nomen antehac plane inauditum et ignotum *Abachum*, deletis nempe, aut vitiatis prioribus vocis illius literis, *Teut*, ut vel plane non, vel nonnisi perdifficulter legi potuerint. Idem, me iudice, dicendum quoque erit de nomine *Audifacis*, quod supra verbo iam tetigi, § 7. At nomina heroum in historia hac praecipuorum, *Marii*, et *Marthae*, integra utique et incorrupta permanserant, quo tempore Inscriptio in manus Christianorum pervenit. Credique facile potest, nomen ultimum, *Marthae* scilicet, cuius (*i*) in historia Evangelica N. Testamenti plus semel mentionem fieri nemo ignorat, quodque in historia pariter Ecclesiastica saepe cum laude commemoratur, effeciſſe, ut quidam sibi persuaserint, aut certe aliis persuadere voluerint, illos omnes, quorum nomina in lapide legerentur, pios fuisse cultores Christi, veraeque religioni addictos. Ad quod et istud adiungi potest, Inscriptionem lapidariam videri subinnuisse aliquam persecutionem, quae Mario etiam post fata fuit decreta, quod supra tetigimus § 8. Probabi-

(*i*) Euang. *Lucae* cap. X, *Iohannis* XI et XII.

bile porro eſt, auctorem Inſcriptionis, quam ſemper hic ſupponimus, *Martham*, comitem *Marii*, a patria dixiſſe *Syram*, unde perquam facile fieri potuit, ut lector minus exercitatus, Romanaeque hiſtoriae non bene gnarus, praeſertim cum Inſcriptionis vitiatae lectio eſſet perdifficilis, ex voce *Syram* extorſerit *Perſarum*, hocque facto ſibi imaginatus fuerit, reliquos etiam, quorum meminiſſet Inſcriptio, e Perſia profectos eſſe. Qui in legendis vetuſtis, tum Graecorum, tum Romanorum Inſcriptionibus, aliquod tempus impendit, quique praeterea diverſas earum interpretationes, ab eruditis excogitatas, et ipſis perſaepe invitis obtruſas, ſeria aeſtimatione perpendit, ac ad errores multiplicis generis, etiam a viris doctis, in earum interpretatione admiſſos, animum advertit, conjecturas meas de Inſcriptione *Marii*, usque adeo non mirabitur.

§ 11. Id quod ductori exercituum Romanorum valde ſuperſtitioſo et crudeli, C. *Mario* evenit, ut in Eccleſia Romana, choro Sanctorum Martyrum adderetur, et diebus feſtis cultuque religioſo honoraretur, id multis aliis pariter accidit, illo honore nullo pacto dignioribus. Quid in Eccleſia Romana, multi Deum vere timentes, pietatique ex animo dediti, dicerent aut cogitarent, ſi ex iis, quos diebus feſtis et ſolemni invocatione reverentur, et ad quos, ceu potentes apud Deum interceſſores, confugiunt, quosdam rite cognitos atque perſpectos haberent? Nihil dico, quod non (*k*) docti et candidi Eccleſiae illius Theologi ultro fatentur et deplorant. Illuſtris quondam in Gallia ſcriptor, *Dionyſius Salvagnius Boëſſius*

(*k*) Prae ceteris evolvi et conſuli hic meretur la *Diſſertation, ſur les Saints inconnus, du P. Mabillon.*

ſius (*l*) teſtatur, in vico quodam Comitatus Avenionenſis, ab incolis, ſimulachrum quoddam *Niobes* vetuſtae, Poëtis Graecis Romanisque tantopere celebratae, ſub nomine *Sanctae Nieblae*, ſatis diu cultum invocatumque fuiſſe, donec tamdem *Ioſephus Suareſius*, Epiſcopus Vaſionenſis, deprehenſo tam craſſo turpique errore, tam nefando indignoque cultu mulieris Ethnicae et impiae, e medio tollere iuberet. In ipſa Eccleſiae Romanae ſede ac metropoli, Romae, templum conſecratum eſt memoriae et cultui S. *Hadriani*, de quo in *Martyrologio Romano* haec leguntur ad diem VIII Septembris: *Nicomediae S. Hadriani Martyris, qui cum aliis ſub Diocletiano et Maximiano, Auguſtis, martyrium crurifragio conſummavit. —— Eorum reliquiae, a Chriſtianis Byzantium delatae, reverenti honore ſepultae fuerunt: inde poſtea S. Hadriani corpus Romam hoc die tranſlatum fuit, in qua ipſius Feſtivitas potiſſimum celebratur.* Acta autem horum Sanctorum, quae *Surius* vulgavit, ad eumdem diem, in haec verba concepta ſunt: *Maximianus autem iuſſit corpora eorum flammis exuri, dicens: Ne forte veniant Galilaei et tollant.* Et tamen, ſi audias *Martyrologii Romani* compilatorem, reliquiae horum corporum Romam tranſlatae fuerunt. Nempe hiſtoriola aliqua a Legendariis confingenda erat, ut cultui S. *Hadriani* Romano color aliquis, aut praetextus ſpecioſus pararetur. Sed figmento illo viris ſolide eruditis imponi tamen non potuit, quippe qui, teſte (*m*) illuſtri *Montefalconio*, iucundiſſimo Muſis, eruditisque omnibus nomine, poſt adhibitam ſeriam et diligentem explorationem, certo tamdem de-

pre-

(*l*) In Commentario ad *Ovidii Ibin* v. 587.
(*m*) In *Diario Italico* p. 175.

prehenderint, *Hadrianum*, in illo templo urbis Romanae publice et ſolemniter cultum, alium non eſſe a notiſſimo illo *Hadriano*, Imperatore Romano, quo inter primos Imperatores non fuiſſe quemquam fautorem avitorum ſacrorum magis ſuperſtitioſum, inter omnes convenit, et qui tamen more Romanorum impio, atque aliorum Imperatorum exemplo, Deorum immortalium coronae additus, templo atque divino cultu honoratus fuit. Sed quod minime ſperare potuiſſet is, quem inter Perſecutores Eccleſiae Chriſtianae numerant, ab illa ipſa Eccleſia, Romana ſcilicet, in eodem illo templo (*n*), quod ſuperſtitio Paganica Numini eius conſecraverat, omni illo honoris genere, qui Sanctis et Martyribus apud Romanenſes decernitur, publice cumulatur, colitur que. Aut igitur, qui in illo templo adoratur *Hadrianus* S. eſt famoſus ille Imperator Romanus, aut re ipſa nihil eſt, convenitque illi ex aſſe, quod (*o*) magnus Apoſtolus, de idolo quocumque pronunciavit, *illud nihil eſſe in mundo.* Si tamen id contingere potuit *Hadriano* Imperatori, cur non antiquiori *Mario?* Acta ex errore conficta, et ſuppoſita, utriusque cultum pepererunt. In eadem urbe templum eſt S. *Laurentii in Lucina*. Plebi perſuaſum eſt, *Lucinam* hanc ſanctam fuiſſe Matronam coetus Chriſtianorum. At is ipſe, cuius obſervatione in alio argumento modo nunc uſus ſum, praeſtantiſſimus *Montefalconius* (*p*) dubitandum non eſſe cenſet, *Lucinam* illam re ipſa eſſe Deam Romanorum principem, *Iunonem Lucinam*, ſiquidem eius ho-

(*n*) Meminit huius Templi *Iulius Capitolinus* in *Antonio Pio* cap. 8. et in *Lucio Vero Imperat.* cap. 3.

(*o*) In *Epiſtola ad Corinthios* I c. VIII v. 4, et X, 19.

(*p*) In *Diario Italico* p. 234.

honori et cultui idem illud templum ab antiquis Romanis dedicatum fuerit. Redit aliud nunc in memoriam, quod prioribus exemplis addere, non abs re fuerit (*q*). Contigit nempe ante annos plus minus quadraginta, ut in Britannia Aremorica, prope *castellum*, quod ab incolis *Bloscon* nuncupatur, simulachrum vetus idoli Celtici effoderetur, cui superstitio vicinae plebis, nomen S. *Pyrici* indidit. Is autem Fani S. *Pauli Leonini* fertur fuisse *Episcopus*. Cum itaque crederetur, idolum effossum imaginem referre viri sancti, ad illud precibus invocandum, donisque placandum, diu undique confluxit multitudo finitima, donec eruditus quidam e Clero Ecclesiastico vir, indiciis certis comperisset, esse haud dubie idolum, a Celtis olim cultui idololatrico destinatum, et illo cultu re ipsa quoque honoratum, eaque de causa, e loco sacro clanculum amovisset. Si laudabile hoc exemplum viri de Ecclesia sua optime meriti, in Ecclesia Romana alii, quibus ad rem hanc sollicitudine et cura ipsorum utique dignam, eruditio idonea et iudicium acre suppetit, candide vellent sequi, quanta non sanctorum copia e *Martyrologiis* expungeretur? Taceo exempla alia plurima, a scriptoribus Protestanticis observata, ideoque a me hic praetermissa.

§ 12. Verum ad rem nostram maxime facit, ut exemplis idoneis ostendamus, vetustas inscriptiones, longo temporis tractu depravatas, aut a lectoribus imperitis perperam explicatas, confingendis, invocandis, et colendis sanctis, qui tales numquam fuerunt, oc-

(*q*) Mr. *des Landes* dans le Recueil de differens Traités de Physique et d'Histoire naturelle. Vide la Bibliotheque raisonnée Tom. XIX. Part. II. p. 466, 467.

occaſionem perſaepe praebuiſſe. Neque profecto illa nobis deſunt. Quandocumque Romae, in huiusmodi locis, ubi, temporibus antiquiſſimis, Chriſtiani corpora ſuorum ſepelire conſueverant, et ubi etiam re ipſa martyrum nonnullorum monumenta obſervata fuere, Inſcriptiones antiquae nunc reperiuntur, vulgo ſine adhibito iuſto examine et iudicio critico, pro certo tenetur, omnes, quorum nomina in talibus Inſcriptionibus leguntur, cultores fuiſſe Chriſti, et ſanctos verae religionis Martyres. Illi extemplo tum in venerabilem coetum Sanctorum intruduntur, illis, antequam propius noſcantur, cultus religioſus decernitur, illi ut numina tutelaria, ut potentes protectores, et ſalutares apud Deum interceſſores, precibus a populo publice et privatim invocantur. Fateor, turpiſſimum hunc abuſum non ultimis demum ſeculis in Eccleſiam irrepſiſſe, quoniam illius exempla ſeculo iam quinto et quarto aerae Chriſtianae deprehendi, et iam memorabile aliquod e ſcriptore illius temporis proferam, quoniam ſuſpicioni meae, de *Mario*, *Martha*, et *Teutobocho*, robur non leviſſimum addet. De Martino igitur, Turonenſi in Gallia Episcopo, cuius ſeculo IV venerabile fuit in tota Eccleſia nomen, memoriae prodidit ſcriptor vitae eius diſertiſſimus (r): *Erat haud longe ab oppido proximus Monaſterio locus, quem falſa hominum opinio velut conſepultis ibi Martyribus ſacraverat. Nam et altare ibi a ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores natu erant, Presbyteris, vel Clericis, flagitabat ſibi nomen Martyris, vel tempora paſſionis oſtendi: gran-*

(r) *Sulpicius Severus* de *vita B. Martini* cap. XI.

grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset. —— Quodam die paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit. Deinde super sepulchrum ipsum adstans, oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cuius meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad laevam, vidit prope adsistere umbram sordidam, trucem. Imperat, nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune, cum illos gloria, se poena retineret. —— Tum Martinus, quid vidisset, exposuit: iussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri: atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. Non is ego sum, qui lectori candido omnes atque singulas historiae huius circumstantias obtrudere cupiam; illud tantum testimonio adducto ostendere atque adstruere volui, illo iam tempore, per errorem sane crassum, illique forte non dissimilem, qui *Marium* et *Martham* in sanctos omni reverentia dignos transformavit, latrones aut alios istius furfuris homines ad dignitatem sanctorum Martyrum evehi, et altaribus precumque invocationibus coli potuisse. Sed tanta superstitio, cuius primordia vidit seculum IV, postea crevit eundo, et quovis fere seculo novis augmentis ditata est. Si quando autem cultus Sanctorum statoribus et promotoribus placuit, homines nominis ignoti, et incognitae sortis, coelitum et loco et honoribus donare, numquam deerant homines otio suo abutentes, qui novorum Sanctorum Acta, res gestas, ac denique martyrium confingerent, et historiis ad libidinem excogitatis, Acta Sanctorum et Martyrum locupletarent. Sed ut ad Inscriptiones in Roma subterranea reperras redeamus, cognitum saepe postea est ex

indiciis et documentis haud ambiguis, lapides multos; ex eorum numero, de quibus diximus, qui nempe in coemeterio, quod etiam corporibus quorumdam Christianorum locum requiei praebuit, effossi sunt, positos fuisse in memoriam et honorem non Christianorum, sed quorumdam Gentilium. Dissertatio doctissimi *Mabillonii*, supra iam ad testimonium vocata (*s*), rei illius plura exempla nobis suppeditat, et quoniam argumentum hocce nostrum curate persequitur, totam lectionem nostram attentam meretur.

§. 13. Non dubito, quin res eodem modo se habuerit cum Inscriptione, in qua Christiani veteres nomina *Marii*, *Marthae*, et *Abachum* legerant. Vbi lapides in coemeteriis Romanis inveniuntur, literis his insigniti D. M. S., literas illas interpretantur, *Deo Maximo Sacrum*; idque ipsis argumento, aut potius re ipsa fraudi est, censentibus, lapides hos a Christianis, in memoriam aliorum Christianorum, fratrum suorum, positos esse, cum tamen viri solide docti, quorum modo meminimus, et praeter hos alii quoque, ex indiciis omni exceptione potioribus evincerent, literas has plerumque significare, *Diis Manibus Sacrum*; quae formula in veterum Romanorum Inscriptionibus sepulchralibus omnibus legitur, quaeque nonnisi ab idolorum cultore expectari potest. Pari modo in illa, quam semper hic supponimus, Inscriptione, nomen *Marthae*, et forte etiam vox mutilata *Abachum*; quae cum nomine Prophetae *Habacuc*, quod Graeci efferre solent Ἀμβακοὺμ, vel Ἀβακοὺμ, *Ambachum*, vel

(*s*) Dissertation *sur le culte des Saints inconnus* p. 243, 247, 248, 253, 254. Adde *Montefalconii Diarium Italicum* p. 118, 119.

vel *Abachum*, aliquam similitudinem prae se fert, effeciſſe videntur, ut cum nomina illa non intelligerentur, et peſſime explicarentur, Inſcriptio ipſa pro Chriſtiana agnita habitaque fuerit.

§ 14. Sed exemplis luculentis ea, quae hic adſtruo, communienda eſſe, non ignoro. Et eorum quidem Hiſpania et Luſitania affatim nobis ſubminiſtraret, ſi regnorum iſtorum hiſtoricos eam ob rem percurrere vacaret, at neque aliae in Europa regiones ſymbolas ſuas hic nobis denegant. Verum ex multis, quae nobis ſe offeruht, pauca quaedam ſelecta iam producamus. Eborae in Luſitania, et in quibusdam regni Hiſpaniae Provinciis, ſummo in honore habetur S. *Viarius*, creditúrque is, ſi devote invocetur et placetur, morbos quosdam certo ſemper depellere. Crederesne ſancto huic, tanti in Hiſpania nominis, patrem alium, aliamque matrem haud fuiſſe, quam Inſcriptionem Latinam, in antiquo lapide repertam? Et res ita profecto tamen ſe habet. Nam (*t*) cum *Urbanus* VIII Pontifex Romanus ab Hiſpanis quibusdam interpellatus eſſet, de concedendis indulgentiis ob cultum Sancti, cui nomen eſſet *Viario*, isque ſcire averet, ecquisnam ergo Sanctus ille eſſet, allatus eſt lapis, in quo literae hae erant reliquae, S. VIAR., quod Hiſpani *Sanctum Viarium* interpretabantur. Sed mox deprehenſum eſt, literas has ſic expleri debebere *Praefectus* VIAR*um*. Aut forſitan plures in hoc lapide deſignati fuerant *Curatores* VIAR*um*. In vetuſtis certe inſcriptionibus, *Curator* vel *Curatores viarum* oppido frequenter occurrunt. Extat

(*t*) *Mabillonius* in *Itinere Italico* p. 145.

tat Romae (*u*) lapis, qui hanc Inſcriptionem praefert:

T. MVSIDIO. POLLIANO
COS. PR. PRO. COS. PROVINC
GALLIAE. NARBO. TR. PL. Q
X. VIR. —— CVR. VIARVM

Voces poſtremas deſignare dignitatem *Curatoris viarum* per ſe ſatis intelligitur. *Paulus Aringhius* (*v*) ex *Onuphrio* Inſcriptionem exhibet, in qua *L. Ovinius* dicitur *Curator viae Flaminiae*, ibidem memorantur *Curatores viae Tyburtinae*, et aliam, in qua *C. Oppius* nuncupatur *Legatus Provinciae Baethicae*, *Curator viarum Clodiae*, *Anniae*, *Caſſiae*, etc. Non procul ab urbe Ebora, civitate Luſitaniae, viſitur (*w*) *menſa marmorea*, *quam ſepulchro Q. Iul. Maximi Calpurnia Sabina uxor imponendam curavit. In quo ſepulchro duo etiam filii eius* VIARVM CVRATORES fuere conditi. Teſtatur id Inſcriptio addita, ſed paulo prolixior, quam apud ipſum auctorem, a quo eam accepi, legi malo. Eſtne fatendum, huic S. VIAR. cum noſtro S. *Abachum* inſignem prorſus intercedere affinitatem (*x*). In *Salazaris Martyrologio Hispani-*

co

(*u*) In *Gruteri* Theſauro Inſcriptionum antiquarum, Fol. CCCCXL. num. 2. Plures aliae ibidem reperiuntur.

(*v*) *Paulus Aringhius* in *Roma ſubterranea* Lib. IV. cap. XXXVIII. § 6, 9.

(*w*) *Andr. Reſendius* de Antiquit. Luſitaniae Lib. III. p. 178, 179.

(*x*) Haec *Michaël Geddeſius* in *Hiſtoria Eccleſiae Malabaricae*, Anglice ſcripta, p. 368, 369 in notis refert, ex *Ambroſii Morales* Chronico Hispanico, et *Salazaris* Martyrologio Hispanico.

co, ad diem xxx Decembris, memoria celebratur *Atiami* et aliorum, qui, dum Iacobus minor, Apoſtolus, etiamnum in Gallaecia, Hispaniae Provincia, haereret, antequam Hieroſolymam rediret, nam talis eſt pervulgata Hispanorum fabula, martyrium paſſi ſunt. In eorum memoriam, ita pergit inſulſiſſima fabula, idem ille Apoſtolus altare conſtrui, inque eo miſſam celebrari iuſſit. Altare iſtud etiamnum oſtenditur Compoſtellae in Gallaecia, inquè eo legitur Inſcriptio, iuſſu, ut aiunt, Apoſtoli, in memoriam illorum Sanctorum condita. Ea ſic habet:

D. M. S.
ATIAMO. ET. AT
TE. ET. LVMPSAE
VIRIA. EMOSA
NEPTIS. PIA. ANNO. XVI
AET.

Nempe in hac Inſcriptione, non ſecus atque in aliis Romae viſendis, factum eſſe novimus, quarum mentionem iniecimus § 13, literas D. M. S. Hispani interpretati ſunt, *Deo Maximo Sacrum*, et hoc admiſſo, totam illam egregiam hiſtoriam confinxerunt, in qua nihil plane veri ineſt, ſed quae fundamentum habet prorſus nullum, praeter literas D. M. S. Nobiliſſimus gentis Hispanicae hiſtoricus, *Ambroſius Morales*, ſcriptor doctus et emunctae naris, cum lapidem illum vidiſſet, aſſecutus illico eſt, literas primas D. M. S. nihil aliud, niſi hoc ſignificare, *Diis Manibus Sacrum*, unde facile perſpexit, illos, quorum honori et memoriae dedicatus eſſet lapis, fuiſſe forſitan honeſtos Ethnicos, ſed neutiquam Chriſtianos, ac multo minus Sanctos Martyres; quod ipſe teſtatur *Chronici*

Hispanici Lib. IX. Et profecto eſtne credibile, cum literae hae D. M. S. reperiantur in omnibus Romanorum Ethnicorum inſcriptionibus ſepulchralibus, ſintque teſſerae indubiae ſuperſtitionis ipſorum impiae, eſtne inquam credibile, Chriſtianos tamen iisdem plane literis uti quoque voluiſſe, ad teſtandam pietatem ſuam Chriſtianam, aut potius ad confundendum ſua cum Gentilium ſepulchris, ne poſſent dignoſci? Si vero *Atiamus* cum ſociis, quorum notitia habetur nulla, niſi ex ſolo illo lapide, qui etiamnum conſervatur, et qui ab idolorum cultoribus erectus fuit, potuerunt in venerabiles martyres ſanctae noſtrae religionis transformari, et ſi ad acquirendam rei huic aliquam gratiam, brevis martyrii eorum hiſtoriola mendax confingi potuit, quae merito dici poteſt

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta (*y*),

et quam tamen tota fere Eccleſia Hispanica recipit, an idem potuiſſe contingere *Mario* et *Marthae*, cum aliqua veri ſpecie negabimus?

§ 15. Neque vero lapides tantum mutilati, aut inſcite lecti, peiusque explicati, tot errores ridiculos in Martyrologia Sanctorumque Acta intulerunt, fuit enim eadem quoque ſors librorum ſcriptorum, quibus rudes imperitique lectores toties abuſi ſunt, ad craſſam ſuam inſcitiam aliis detegendam, ſed et figmenta plurima valdeque inepta mundo obtrudenda. Illius rei exempla quaedam lectori penſitanda iam obtulimus, § 9. Alio exemplo, prioribus non diſſimili, diſſertationem hancce claudam. Apud *Galfridum*, alioſque

(*y*) *Lucilius* apud *Lactantium* Lib. I cap. 22.

que recentiores rerum Britannicarum (z) ſcriptores, mentio ſubinde occurrit S. *Amphibali*, cui *Wintoniae* conſecrata fuerit Eccleſia. Magnus vero *Vſſerius*, idoneus ſi quisquam alius talium rerum arbiter, *illud de Eccleſia S. Amphibali ex Gildae textu vitiato originem traxiſſe* autumat. Verba *Gildae*, ut idem vir praeſtantiſſimus obſervat, in Codice pervetuſto ita leguntur: *Sub Sancti Abbatis amphibalo.* Eſt autem *amphibalum*, vel, ut *Voſſius* ſcribendum potius eſſe (a) cenſet, *amphibolum*, veſtis laxae genus, corpus undique ambientis. Suſpicatur ergo vir doctiſſimus, idque non citra rationem, *ex minus intellecto iſto* Gildae *loco*, *et* Amphibali *martyris nomen a* Galfrido *primum effictum, et Wintonienſi Eccleſiae deinde affictum fuiſſe.* Turpibus iſtius generis erroribus obnoxii ſemper erunt, qui diligentia male ſana novos quotidie Martyres quaerere cupiant, et in eorum honorem altaria et templa magnifica conſtruere. Nobis, qui, memores praecepti Divini atque moniti Angelici (b), omnem creaturarum quarumcumque cultum religioſum deprecamur et averſamur, ſed ſolum Deum in ſpiritu et veritate invocamus, per eiusdem Dei gratiam tale quid metuendum non eſt.

Ne quis autem opinetur, me in hac diſſertatione nimium dixiſſe, nunc adiungam, non modo praeclarum

(z) Vide *Iacobi Vſſerii Antiquitates Britannicarum Eccleſiarum*, cap. XIV p. 538. ſqq. edit. Dublinenſis, forma 4.

(a) *Voſſius de vitiis Sermonis Latini* Lib. III cap. I. p. m. 354. Adde ſcriptores alios ab *Vſſerio* indicatos.

(b) Euang. *Matthaei* IV. 10, *Iohannis* Apocal. XIX. 10, et Euang. IV. 24.

rum *Mabillonium*, de quo ſupra, ſed et alios Eccleſiae Romanae ſocios praeſtantiſſimos non diſſimilia monuiſſe, in quibus merito numeramus *Melchiorem Canum*, ordinis Dominicani Sacerdotem et Epiſcopum Canarienſem (*d*), atque *Iohannem Launoium*, Theologum Sorbonicum (*e*), ne iam plures alios commemorem.

(*e*) Lib. XI de Locis Theologicis cap. 6, qui ſcribit, dolenter hoc potius ſe dicere, quam contumelioſe, multo a *Laërtio* ſeverius vitas Philoſophorum ſcriptas, quam a Chriſtianis vitas Sanctorum, longeque incorruptius et integrius *Suetonium* res Caeſarum expoſuiſſe, quam expoſuerunt Catholici res Martyrum, Virginum et Confeſſorum. Sequuntur illic multa alia huc ſpectantia et lectu valde digna.

(*d*) In Diſſertatione de Lazaro et Maximino, Magdalena et Martha; quae extat in ipſius Operibus tom. II part. I pag. 338 et ſqq.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

DE REGNO MILLENARIO CERINTHI.

§ 1. *Ratio instituti exponitur.*

Vetus est opinio, a primis fere Ecclesiae Christianae temporibus ducta, et constanti traditione ad nos transmissa, Cerinthum, notissimum aevi Apostolici haeresiarcham, primum inter Christianos docere ac inculcare ausum fuisse, Christum Dominum, ante finem seculorum, in terram hanc rediturum, pios ex morte resuscitaturum, et cum his toti orbi, summa cum gloria et felicitate, bonorumque terrestrium omnium laetissima affluentia, per annos mille imperaturum esse. Sunt etiam, quod non diffiteor, rationes nonnullae, quae opinioni huic, consensu scriptorum fere omnium, qui Cerinthi haeresin enarrant, iam sic satis munitae, novam veritatis speciem conciliare videantur. Inter quas hanc primo loco ponendam esse censeo, quod, cum omnes fateantur, Cerinthum multa ex Iudaeorum et placitis et ritibus probavisse, et in Secta sua retinuisse, facile evenire potuerit, ut inter alias doctrinas, a Iudaeorum magistris acceptas, illam quo-

que de regno Meſſiae in hac terra Millenario adopta-ret, ſuisque etiam atque etiam inculcaret. Verum enim vero, poſtquam ad excutienda et inter ſe confe-renda ea, quae Cerintho a veteribus tribui ſolent do-gmata, animum ſerio et ſollicite appuli, tamdem ra-tione ſatis certa intellexi, haereticum hunc regnum tale Millenarium, quale finxiſſe ſibi vulgo creditur, re ipſa nec docuiſſe, nec, ſi principiis ſcholae ſuae in-haerere voluit, docere omnino potuiſſe. Speravit qui-dem et Cerinthus ipſe, et ſuos pariter ſperare iuſſit, regnum aliquod glorioſum et beatum, praemittendum cumulo ultimo beatitudinis coeleſtis, et mille annos duraturum, ſed diverſum penitus ab eo, quod veteres ex non recte intellectis Cerinthi verbis, praeter omne meritum, ipſi affinxerunt. Rem hanc dignam putavi, quam diſſertationibus aliquot Academicis illuſtrarem, et uberius explicarem. Munere hoc, quod ipſe mihi nunc impono, tanto libentius fungar, quod eadem opera doctrinam Gnoſticorum, de ſtatu animae poſt diſceſſum ex corpore, hactenus aut plane neglectam, aut certe minus plene et aperte evolutam, diſtinctius exponere, et luce aliqua, qua adhuc indigere vide-tur, perfundere poſſim. Eum autem in pertractando hocce argumento ordinem ſervabo. Primo quidem doctrinam de regno Millenario, qualem Cerintho vul-go tribuunt, ex propriis et genuinis fontibus depromtam referam. Mox rationes, quod ſpero, evidentes in medium proferam, ex quibus clare ſequi conten-do, Cerintho talem ſententiam nec placere, adeoque nec iure ipſi a nobis tribui poſſe. Vltimo tamdem lo-co, veram indolem regni illius Millenarii, quod Ce-rinthus, cum tota Gnoſticorum caterva, agnovit atque docuit, eruere et perſpicue demonſtrare conabor.

§ 2. *Praemittuntur quaedam de Cerinthi aetate, patria, et religione.*

De Cerintho ipſo, cuius nonnulla dogmata accuratius nunc expendere aggredimur, pauca quaedam in anteceſſum monebimus, quae ad negotium noſtrum ratione aliqua ſpectare videbuntur. In eo, ut brevioribus nobis eſſe liceat, effecit diligentia (*a*) virorum doctiſſimorum, qui quidquid dici ea de re poſſet, eruditis ſuis obſervationibus, paene exhauſerunt. Quae veteres, et inter hos quidem aetate antiquiſſimi, de vita et fatis Cerinthi memoriae prodiderunt, dubitare nos minime ſinunt, quin tempus, ſi non Apoſtolorum omnium, certe ultimorum, ac ſigillatim (*b*) B. Iohannis vivendo attigerit. Vel ipſa illa ſuper hac re incertitudo, in quam virorum quorundam diſputationes nos coniicere videntur, teſtimonio eſt, vixiſſe et floruiſſe Cerinthum in illo Eccleſiae Chriſtianae intervallo (*c*), cuius hiſtoria propter monumentorum, quae ex eo ad manus noſtras pervenere, incredibilem paucitatem, ſumma ac fere inextricabili obſcuritate laborat, quodque ab anno aerae vulgaris LXX usque ad annum circiter CXX extenditur. Qua porro Cerinthus gente ſatus fuerit, ex quo aliquid in argumentum

(*a*) Conſuli hic praeter alios poſſunt *Th. Ittigius de Haereſiarchis aevi Apoſtolici* Sect. I cap. V, *Maſſuetus* Diſſertat. praevia in *Irenaeum* I § 125 etc., *Tillemontius* in Memoriis Eccleſiaſticis Tom. II p. 54. etc. edit. Pariſ. et inprimis Venerandi *Moshemii inſtitutiones hiſtoriae Eccleſiaſticae* ſeculi I *maiores* p. 438, etc.

(*b*) Vide Vener. *Moshemii inſtitutiones Hiſtoriae Eccleſiaſt.* ſeculi I *maiores* p. 439, 440.

(*c*) Egregie hac de re diſputat *Camp. Vitringa* Obſervat. Sacr. Lib. IV cap. VII, VIII.

tum noſtrum lucis redundare poſſet, veteres ſcire nos noluerunt, patriam enim haereſiarchae huius taciti praetereunt. Multi ſuſpicantur, Cerinthum genere fuiſſe Iudaeum, ea cumprimis, ut videtur, ratione inducti, quod nonnullis religionis Iudaicae ritibus et placitis tenaciter adhaeſerit. Et fruſtra ſane adverſus hanc ſententiam obiiceretur (*d*), ipſum Cerinthi nomen, quippe *quod nihil Iudaicum ſonet*, de origine eius Graeca teſtari. Equidem, ſi ex nomine coniecturam facere liceret, dicendum potius eſſet, Cerinthum origine extitiſſe Romanum. *Horatius* certe pueri Romani, cui nomen *Cerintho* fuit, mentionem iniicit, *Satirarum* Lib. I Eclog. III. v. 81.

Sit licet hoc Cerinthe tuum,

ad quae verba *Vetus Interpres*, a *Cruquio* editus, obſervat, fuiſſe *Cerinthum puerum pulcherrimum eo tempore* etc. Isque ipſe hic eſſe videtur, quem carminibus ſuis *Tibullus* (*e*) ſaepiuscule celebravit. Nomen id formatum exiſtimaverim a *Cerinthe* vel *Cerintha*, herbae ſpecie, ſcriptoribus Latinis non incognitae. De ea *Virgilius* Georg. IV. 63, et *Plinius* Lib. XI cap. VII: *Aliqui Sandaracham, alii Cerintham vocant. Haec erit apum, dum operantur, cibus, qui ſaepe invenitur in favorum inanitatibus ſepoſitus, et ipſe amari ſaporis.* De eadem ille ſcribit Lib. XXI cap. XII:

(*d*) Ita viri quidam eruditi, quorum mentionem facit *Moshemius* loc. cit. p. 441. Eſt tamen *Cerinthus* urbs Euboeae, cuius *Homerus* in catalogo navium meminit v. 45, vel Iliad. B. 538, ubi vide veterem Schol. et *Euſtathium*.

(*e*) Vide Lib. II El. II, Lib. IV El. III, V, VIII, XI.

cap. XII: *Horum floris avidiſſimae ſunt* apes. Sed ex his tamen obſervationibus nihil de patria Cerinthi certi conſtitui poſſe, haud invitus largior. Quem enim (*f*) *eruditorum praeterit, Iudaeos iſta, qua Cerinthus fuit, aetate, Graecis etiam et Romanis nominibus uſos fuiſſe*? Illorum vero ſententiae, qui Cerinthum (*g*), *ſi non natione, ſaltem religione Iudaeum* aliquando fuiſſe, augurantur, cur non ſubſcribere poſſim, cauſam nullam video.

§ 3. *Et de eiusdem ratione ſtudiorum et vitae.*

Sed miſſis his, pergamus ad alia, maiori nobis in iſthoc noſtro negotio, nunc uſui futura. Scimus enim ex teſtimonio *Theodoreti*, cuius auctoritas apud me non parum valet, Cerinthum, ſive inter idolorum cultores natus ac enutritus, ſive, quod longe veroſimilius eſt, religioſis Iudaeorum praeceptis imbutus fuerit, tamdem in Aegyptum iter inſtituiſſe, et (*h*) tempus, quod illic exegit bene longum, in diligenter addiſcendis diſciplinis Philoſophicis conſumſiſſe. Vix erit quisquam, qui non illico intellecturus ſit, *Theodoretum*, cum ita de Cerintho ſcriberet, in animo habuiſſe Alexandriam, inclytam tum temporis optimarum literarum, et cum primis diſciplinarum Philoſophicarum, non modo in Aegypto, ſed in toto etiam orbe palaeſtram. In illa ipſa igitur ſchola formatus fuit, in illa placita ſua praecipua, cum Philoſophica, tum Theo-

(*f*) Haec ſunt verba *Moshemii* l. c. pag. 441.

(*g*) *Maſſuetus* Diſſertat. praevia 1 in *Irenaeum* § 125, et alii.

(*h*) *Theodoretus* Fabul. haeret. Lib. II c. 3.

Theologica, imbibit Cerinthus, ex qua poſtea Gnoſticorum magiſtri, ſi non omnes, certe praecipui, prodierunt. In illa credibile eſt, eum etiam hauſiſſe et deinceps tenaciter aſſeruiſſe doctrinam de ſtatu animarum a corpore ſolutarum, quae Gnoſticis omnibus propria et peculiaris fuit; et cuius, uti quidem ego exiſtimo, partem conſtituit regnum illud Millenarium, quod Cerinthus re ipſa credidit, atque alios docuit. Et quis adeo miretur, Cerintho, homini, ut videtur, pectoris parum obfirmati, eiusmodi ſomnia, quibus in Schola Alexandrina ſatius diu paſtus fuerat, placere potuiſſe, cum liquido demonſtrari poſſit, *Clementem Alexandrinum* et *Origenem*, Scholae quoque Alexandrinae primo alumnos, et poſthaec doctores illuſtres, quorum merita etiamnum tota Eccleſia veneratur, ab iisdem naeniis non ita alienos fuiſſe? Ex Aegypto redux, ſi quid recte coniicio, Cerinthus, qui nugas quidem Gnoſticorum maxima ex parte adoptaverat, ſed Legi tamen Moſaicae nondum in univerſum renuntiaverat, contulit ſe (*i*) ad Chriſtianos Iudai-

(*i*) Ebionaeos fuiſſe reliquias coetus Chriſtiani Hieroſolymitani, qui, relicta ante ultimam obſidionem urbe illa, Pellam et in loca finitima ſe receperant, pluribus probare opus non eſt, cum paſſim ſententiam hanc veriſſimam eruditis noſtris ſeſe probare, intelligam. Ad eos ſe contuliſſe, et inter illos aliquamdiu vixiſſe Cerinthum, nuſpiam veteres, quod nunc meminiſſe poſſim, memoriae prodiderunt. Sed, ut id tamen credam, ſuadet ſumma illa, quae ab eruditis obſervatur inter *Ebionem* et *Cerinthum*, inter *Ebionaeos* et *Cerinthianos* conſenſio. Movit hoc adoleſcentem portentoſae in tam tenera aetate ſua doctrinae, *Iohi. Philipp. Baraterium*, ut in *Anti-Artemonio* p. 301. ſcriberet: *Ebion et Cerinthus unus homo, Ebionaei et Cerinthiani una haereſis ſunt.* Fateor et me quoque, antequam haec

daizantes, qui relicta, paulo ante expugnationem, urbe Hierosolyma, Pellam et in vicinos tractus concesserant, quique nomine *Ebionaeorum*, in historia Ecclesiastica, insigniri solent. Ab his verosimile est, eum quaedam mutuo accepisse, uti viciſſim in doctrinam eorum mutationem quamdam intuliſſe videtur, ex quo fieri potuit, ut (*k*) veteres inter Ebionaeos priores et posteriores distinguere consueverint. Tanta porro est Ebionaeorum et Cerinthianorum in permultis consensio, tantam inter se res sectae utriusque affinitatem habent, ut veteres eas nonnumquam inter se permiscuerint et confuderint. Tandem in (*l*) Asiam se recepit Cerinthus, ibique scholam aperuit satis celebrem, haec legerem, talē quid suspicatum fuisse, inductum rationibus quibusdam peculiaribus; sed re tamen melius expensa, coniecturae huic postea libens renuntiavi. Sed ut ad Cerinthi commorationem inter Ebionaeos redeam, illa ex eo quoque illustrari potest, quod doctores primi Gnosticorum, inter quos Cerinthum utique numerare oportet, Liturgiis et precum formis usi fuerint, sermone Syro-Chaldaico conceptis, quales leguntur apud *Irenaeum* et *Epiphanium*, quarum etiam nonnullas, successu non omnino infelici, illustravit ingeniosissimus *Rhenferdius* in Opusculis. Videtur id indicio esse, primos Gnosticos communionem et amicitiam coluisse cum Christianis Iudaizantibus, id est, Ebionaeis. Denique ex gemmis Gnosticorum Abraxeis, quas illustris quondam *Montfauconius* edidit, ostendere possem, Gnosticos inter Ebionaeos in vicinia Pellae scholas habuisse celebres, sibique venerabiles. Verum id nunc a loco hoc et instituto meo paulo alienius est.

(*k*) *Origenes* Lib. v. adv. *Celsum* extremo. *Eusebius* histor. Eccles. Lib. III c. 27. *Epiphanius* Haeresi XXX. num. 3. *Theodoretus* de fabulis haereticor. Lib. II c. 1.

(*l*) Hoc praeter *Theodoretum* saepius testatur *Epiphanius*, ac insuper alii.

brem; ſed cuius fama tamen poſt mortem eius non ita diu perduraſſe videtur.

§ 4. *Doctrinam de regno terreſtri Millenario primus Cerintho attribuit Caius, Presbyter Romanus.*

Quod iam ad haereſin Cerinthi attinet, illius plura a veteribus conſtituuntur capita, de quibus, quia et a ſcopo, quem mihi hic propoſui, longius recedunt; et (*m*) a viris de hiſtoria Eccleſiaſtica praeclare meritis accurate expoſita ſunt, plura dicere nunc ſupersedeo. Inter cetera vero dogmata Cerinthi, quae tamquam parum ſana in rationibus eius ponunt veteres, eſt etiam, ut nunc tamdem ad illam tranſeam, pervulgata illa de regno Chriſti in terra Millenario doctrina. Primus, qui hanc doctrinam, tamquam a Cerintho profectam, coarguit, *Caius* eſt, Eccleſiae Romanae Presbyter admodum celebris, qui ſub initia ſeculi III floruit, et in disputatione adverſus Proculum, ſeu Proclum, acerrimum ſectae Montaniſticae ſtatorem et vindicem, in haec verba de Cerintho ſcripſit (*n*), Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος, ὁ δι' ἀποκαλύψεων, ὡς ὑπὸ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν, ὡς δι' Ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας, ψευδόμενος, ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ Βασίλειον τοῦ Χριστοῦ· καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχ-

(*m*) Omnium diligentiſſime et optime argumentum hoc perſecutus eſt, magnum Academiae Iuliae decus, *Moshemius* in *Inſtitutionibus hiſtoriae Chriſtianae* ſeculi I *maioribus* p. 445 etc.

(*n*) Apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. Lib. III c. 28.

ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι. Quae ita ab *Henrico Valesio* Latine reddita sunt: *Sed et Cerinthus, per revelationes quasdam, a se tamquam a magno quodam Apostolo conscriptas, portenta quaedam, quasi ab Angelis sibi ostensa, commentus nobis introducit, affirmans, post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines, Hierosolymis degentes, cupiditatibus et voluptati corporis obnoxios fore. Additque hostis ille Divinarum Scripturarum, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quo facilius imperitos homines decipiat.*

§ 5. *Testimonium Caii accuratius expenditur.*

Caius ille, cuius verba nunc descripsimus, omnium primus in Ecclesia, Chiliastas, sive regni Christi in terra Millenarii assertores, haereseos palam accusare ausus est; utque doctrinae eorum invidiam tanto maiorem conciliaret, eam Cerintho, ceu inventori et auctori, in acceptis retulit, et ab hoc, eumdem in finem, *revelationem* Divinam, quae *Iohannis* Apostoli nomen prae se fert, petulanter confictam, et sub nomine Apostoli, Ecclesiae obtrusam fuisse, hominibus persuadere voluit. Non equidem ignoro (*o*), viros excellenti doctrina praestantes, quorum merita veneror, verba Caii longe aliter interpretari, tamquam id dicere voluisset, Cerinthum sibi tamquam insigni Apostolo attribuisse revelationem aliquam, a Iohannea distinctam,

(*o*) Potest et hic cum fructu consuli praestantissimus *Mosheimius* in libro saepius citato p. 459 etc.

ctam, quam etiam literis consignatam posteritati reliquerit. Verum in hac quidem re, a summorum virorum opinione discedere, tametsi invitus, cogor. Etenim 1) aliunde etiam constat, Caium illum, de quo loquimur, auctoritatem Apocalypseos Iohanneae repudiasse, et de ea abiecte sensisse. Movit hoc *Hippolytum*, Episcopum Portuensem, eiusdem fere aetatis scriptorem inclytum, ut ederet *capita adversus Caium, et Apologiam pro Apocalypsi*, quae, teste (*p*) Ebed Iesu Sobensi Metropolita, apud Syros etiamnum supersunt. Fateor quidem, *l. A. Fabricium*, nomen Musis chariſſimum, verba haec Metropolitae Sobensis de longe alio Caio, haeretico, intellecta velle (*q*), *Haereticum puta*, inquit, *de quo Irenaeus Lib. 1 c. 35*, et observatione hac in erroris societatem pertraxisse illustrem iuxta ac de literis Orientalibus praeclare meritum (*r*) *Ios. Sim. Assemanum*. Verum pace virorum eruditissimorum dixerim, *Caii* cuiuspiam, haeretici, nullam omnino, neque apud *Irenaeum*, neque apud alium quemquam, mentionem occurrere. Equidem loco illo *Irenaei*, quem indicare placuit viro meritissimo, sermo est de *Caianis*, quod non diffiteor; sed nominis huius istam rationem ipse *Irenaeus* nobis subministrat: *Alii autem Cain a superiori principalitate dicunt, et Esau, et Core, et Sodomitas, et omnes tales, cognatos suos confitentur.*

Dicti

(*p*) In *Catalogo Librorum Ecclesiasticorum* cap. VII, edito ab *Assemano*, in Bibliotheca Orientali Vaticana, Tom. III Part. 1. pag. 15. Ceterum liber hic Hippolyti vetustis Ecclesiae scriptoribus incognitus non fuit, quod satis intelligitur ex iis, quae observat *Fabricius* Biblioth. Gr. Vol. V p. 209.

(*q*) *Fabricius* loc. cit. p. 210.

(*r*) In Biblioth. Orientali, loco paulo ante citato.

Dicti itaque ſunt *Cainitae*, quod *Cainum*, Adami filium, inſigniter venerarentur. Inde igitur eſt, quod (*s*) *Clemens Alexandrinus* Caiiniſtas illis haereticis annumeret, quibus non a quodam novae ſectae auctore, ſed ab hypotheſi, quam adſtruebant, nomen impoſitum fuerit. Et eamdem nominis huius rationem tradunt (*t*) veteres omnes. Et profecto 2) ipſa illa *Caii* verba, quae ex *Euſebio* retulimus, per ſe ſatis teſtantur, eum de Apocalypſi Iohannis abiecte loqui, eamque contemtui habere. Ait enim, auctorem Apocalypſeos, de qua loquitur, tamquam *inimicum Scripturae*, *feſtivitati nuptiali annos aſſignaſſe mille*, clare alludens ad ea, quae apud Iohannem leguntur Apoc. XIX. 7, 9, 17, XX. 4, 5, 6, XXI. 2, quae ſane ita abſolute et ſine ulla limitatione non ſcripſiſſet, ſi librum Iohannis in eo, quo decet, honore ac pretio habuiſſet. Ad ea quae dixi, accedat etiam 3) quod de Apocalypſi Iohannis, Cerintho, ceu vero et genuino auctori adſcribenda, idem ſenſerint et iudicaverint alii quoque, ſed Caio recentiores, et qui probabiliter hoc eius iudicium ſecuti tantum ſunt. De *Alogis*, propagine quadam ſectae Montaniſtarum, Caio nonnihil recentiori, clare id teſtatur *Epiphanius* Hareſi LI. num. 3. Videtur ſententia haec, quam in Alogis reprehendit *Epiphanius*, altas poſtea apud Orientales quosdam radices egiſſe, unde ad has ipſorum hariolationes reſpiciens, ſeculo adhuc XIII *Georgius Bar-Hebraeus*, vel, uti communius nuncupatur *Abul-*

(*s*) Stromatum Lib. VII pag. 765.
(*t*) Vide ſis *Iac. Pamelii* notas in *Tertullianum* de Praeſcriptione haereticorum cap. 47, pag. 326.

Abulpharaius, ita ſcribit in *Nomocanone*, cap. 7 (*u*): *Apocalypſis, quae nomine Iohannis Apoſtoli praenotatur, non eius eſt, ſed vel Cerinthi, vel Iohannis cuiuspiam alterius.* Poſſem his adiungere teſtimonium *Dionyſii Alexandrini*, qui poſt Caium, interiecto tempore tantum exiguo, floruit. Sed quia mihi verosimile fit, eum in verbis, quae iam iam paragrapho ſecuturo adducam, etſi de pluribus loquatur, ad unum tantum reſpicere Caium, ex hoc ipſo 4) videor mihi novum capere poſſe argumentum. Si enim res ita ſe habet, uti exiſtimo, conſequetur, *Dionyſium*, ſummum aetate ea virum, qui libros Caii diligenti manu verſaverat, ſententiam eius non aliter, atque nos, interpretatum eſſe, quod utique ad interpretationem noſtram grave pondus adiicit.

§ 6. *Adferuntur, de Chiliasmo Cerinthi, teſtimonia Dionyſii Alexandrini et Theodoreti.*

Satis de Caio, qui inter veteres omnium primus Chiliasmum pro figmento Cerinthi venditavit. Veſtigia illius preſſit, aut ſua potius ex eo deſumſit *Dionyſius Alexandrinus* Epiſcopus, qui medio ſeculo tertio, et deinceps, floruit, et quo vix maiorem et praeſtantiorem virum totum illud ſeculum tulit. Verba quaedam ex eius libro II de Promiſſionibus hanc in rem adfert *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. III c. 28, et plenius Lib. VII cap. 25, ex quo haec adſcribemus: *Nonnulli quidem ex iis, qui nos praeceſſerunt, Revelationem Iohannis repudiarunt penitus ac refutarunt,*

(*u*) Apud *Aſſemanum* in Biblioth. Orientali Tom. III Part. I p. 15, in notis.

runt, ſingula eius capita refellentes, eamque absque ullo ſenſu et ratiocinatione ſcriptam eſſe monſtrantes. Adhaec inſcriptionem libri falſam eſſe dicunt; neque enim auctorem eius eſſe Iohannem, atque non modo Apoſtolorum neminem, ſed ne ullum quidem e Sanctis et Eccleſiaſticis viris huius libelli conditorem eſſe affirmant. Cerinthum enim, qui nominis ſui ſectam conflavit; cum magnae auctoritatis nomen, ad faciendam fidem, commentis ſuis vellet praefigere, Iohannis titulum operi ſuo indidiſſe. Quippe hanc Cerinthi opinionem fuiſſe: regnum Chriſti terrenum futurum, et in iis maxime rebus, quas ipſe, utpote carnalis et voluptatibus corporis deditus, praecipue concupiſcebat, haeſurum, in ventris ſcilicet, et eorum quae ſub ventre ſunt, ſatietate, id eſt, in cibis ac poculis, in nuptiis et in iis, quibus iſta honeſtius parari poſſe exiſtimabat, feſtis nimirum et ſacrificiis, et hoſtiarum mactationibus. Mihi dubium non eſt, quin auctor hicce laudatiſſimus, loquens de iis, qui ipſum praeceſſerunt, et Apocalypſin Iohannis repudiarunt, deſignare voluerit unum Caium, qui erat ipſo paulo antiquior. Et veroſimile non eſt, plures tum extitiſſe, qui Apocalypſeos ſingula capita refutare aggreſſi fuerint. Caium novimus, tanto niſu, auctoritatem Apocalypſeos Iohanneae labefactare voluiſſe, ut Hippolytus neceſſarium iudicaret, ipſi *Apologiam pro Apocalypſi* opponere, de qua paragrapho ſuperiori dictum eſt. Sed qui praeter Caium ex orthodoxis tam audacter Apocalypſin ea aetate adortus fuerit, nemo in hiſtoria Eccleſiaſtica commemoratur. Vtriusque et *Caii* et *Dionyſii Alexandrini*, quorum verba attulimus, de Cerintho teſtimonia ita contraxit ſcriptor perquam elegans, *Theodoretus de Fabulis haereticorum* Lib. II cap. 3: *Cerinthus etiam revelationes quasdam confin-*

xit, quasi eas esset contemplatus, et (ν) *minarum quarumdam doctrinas composuit, et regnum Domini terrenum fore dixit, esumque et potum somniavit, et voluptates sibi finxit, et nuptias, et sacrificia, et dies festos, qui Hierosolymis celebrarentur, atque haec mille annorum spatio complenda, tamdiu enim duraturum Domini regnum putabat. Contra hunc autem scripserunt, non ii modo, quos ante diximus, sed cum illis etiam Caius et Dionysius Alexandrinus Episcopus.* Illi, de quibus ante dixerat *Theodoretus* cap. 2, sunt *Iustinus Martyr* et *Irenaeus*, quorum tamen neuter Cerintho regnum Millenarium exprobravit. Soli igitur, ex quibus id de Cerintho resciverat, restant, quos etiam nominatim testatur, *Caius* atque *Dionysius Alexandrinus.*

§ 7. *Non sunt alii scriptores seculi* III, *qui Cerintho Chiliasmum tribuunt.*

Praeter *Caium* et *Dionysium*, quorum posterior sua ex priori tantum desumsit, non deprehendo alios seculi III scriptores, in Cerintho, ubi etiam haereses eius attingunt, Chiliasmum notare, quod, cum ipsi Chiliasmo ut plurimum faverent, adeo mirandum non est.

(ν) In Graeco legitur, tum in editione Graeca Romana, tum in Graeco-Latina Sirmondiana, ἀπειλῶν τινων διδασκαλίας, quod vertitur, *minarum quarumdam doctrinas*, sensu parum commodo, aut potius nullo. Putem ego, *Theodoretum* respexisse ad illa *Caii* verba, supra § IV allata, in quibus doctrinam Cerinthi appellat τερατολογίας ὡς δι ἀγγέλων δεδειγμένας. Itaque hic pro ἀπειλῶν legerem ἀγγέλων, et verterem, *angelorum quorumdam doctrinas composuit*, id est, doctrinas sibi ab Angelis traditas. Διδασκαλίας δαιμονίων habes 1 Tim. IV. 1.

eſt. Vnus excipiendus eſſet *Victorinus Petavionenſis* Epiſcopus, et Martyr, qui ſeculo hoc inclinato floruit, ſi modo Commentarius in Apocalypſin, qui ſub eius nomine editus eſt, pro genuino pii huius viri foetu agnoſci poſſet. Verum etſi in Commentario illo paſſim quaedam occurrant, quae genium aetatis huius redolent, et a Victorino ipſo profecta eſſe videntur, his tamen plurima ab aliena manu, duobus ſeculis et amplius poſt, adiecta fuiſſe, negari non poteſt. Huius farinae ſunt utique ea, quae Commentario iſti finem imponunt (*w*): *Audiendi non ſunt, qui mille annorum regnum terrenum eſſe confirmant, qui cum Cerintho haeretico ſentiunt.* Auctor huius interpolationis, quem, ex indiciis non vanis, iudico eſſe ſcriptorem Afrum ſeculi VI, non meminerat eorum, quae *Hieronymus* in Prologo ad *Victorini* Commentarium, qui etiam hodie una cum illo Commentario edi ſolet, de auctore eius ſcripſit: *Eſt periculoſum, et obtrectatorum latratibus patens, de egregii viri opuſculis iudicare. Nam et anterior Papias Hierapolites Epiſcopus, et Nepos in Aegypti partibus Epiſcopus, de mille annorum regno, ita, ut Victorinus, ſenſerunt.* En *Hieronymum* teſtantem, in Commentario *Victorini* Apocalyptico, regnum mille annorum fuiſſe aſſertum, cum clauſula illius Commentarii, qui hodie in manibus noſtris verſatur, doctrinam hanc eſſe haereſin Cerinthianam pronuntiet. Paucis igitur Caius, ſeculo eo, quo vixit, id quod ſcripſerat de Cerintho, hominibus perſuaſit. At vero a ſeculo IV et V, ſi (*x*) nonnullos tantum excipias, reliqui fere omnes, qui Cerin-

(*w*) In Bibliotheca Patrum magna Pariſienſi Tom. I col. 582. extr.

(*x*) De illis quaedam dicentur Diſſert. II § V.

rinthi haereſes attingunt, illis quoque Chiliasmum eius annumerare conſueverunt. Ex quo factum eſt, ut ab eo tempore ſententia de Chiliasmo Cerinthi evaſerit univerſalis, et a recentioribus, ad unum omnibus, adoptata fuerit.

§ 8. *Teſtimonia quaedam ſcriptorum ſeculi* IV *et* V *de Chiliasmo Cerinthi.*

Ex ſcriptoribus ſeculi IV et V duo ſunt, quorum teſtimonia de Chiliasmo Cerinthi hic apponere operae pretium eſſe putavi. Alter eorum eſt *Auguſtinus*, qui in libro *de Haereſibus* num. 8, Cerinthianorum haereſin hunc in modum repraeſentat: *Mille quoque annos poſt reſurrectionem, in terreno regno Ieſu Chriſti, ſecundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur, unde etiam Chiliaſtae ſunt appellati.* Alter eſt *Gennadius*, Presbyter Maſſilienſis non incelebris, in cuius libro de *Eccleſiaſticis dogmatibus* iſta legimus cap. 55: *In Divinis promiſſionibus nihil terrenum vel tranſitorium expectemus, ſicut Melitani ſperant, non nuptiarum copulam, ſicut Cerinthus et* (*y*) *Marcion delirant, non quod ad cibum vel ad potum pertinet, ſicut, Papia auctore, Irenaeus et Tertullianus, et Lactantius, acquieſcunt. Neque* (*z*) *poſt*

(*y*) Neſcio, unde hoc de Marcione expiſcari potuerit auctor hicce. Certe ut haec *Gennadio* aſſerenti credat, non facile in animum inducet, quisquis dogmata Marcionis vel per transennam tantum inſpexerit. De eadem re aliquid monebitur in Diſſert. II.

(*z*) Haec manifeſto falſa ſunt. Legendum opinor *per mille annos*. Quia mox ſequitur particula *poſt*, eadem et hic furtim irrepſit per negligentiam librariorum.

poſt mille annos poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terra futurum, et ſanctos cum illo in deliciis regnaturos ſperemus, ſicut Nepos docuit, qui primam iuſtorum reſurrectionem, et ſecundam impiorum confinxit, et inter has duas mortuorum reſurrectiones, gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne ſervandas. In verbis his primo occurrunt *Melitani*, quorum praeter *Gennadium*, nemo alius, quod quidem ſciam, meminit. Sed vox eſt, uti multae aliae in ſcriptore illo, vitio librariorum corrupta, pro qua legendum videtur *Millenarii*, *Milliarii*, vel *Milliaſtae* (*a*); ſic enim Latini appellant, quos Graeci dicunt *Chiliaſtas*. Voluit nempe *Gennadius* omnes, qui regnum Chriſti Domini terreſtre expectant, generali *Millenariorum* vel *Chiliaſtarum* nomine complecti. Mox deinde, quid inter hos unus vel alter proprium ac peculiare ſibi habuerit, explicat, etſi tamen profecto in his omnibus inter ſe fere conſenſerint, qui ex veteribus genuinam Chiliaſtarum doctrinam probarunt. A pluribus teſtimoniis aliorum, quae diverſum quid nobis non offerunt, operoſe et inaniter coacervandis, prudens nunc abſtinebo.

§ 9. *Doctrina, Cerintho a veteribus tributa, ex Iudaeorum ſcholis accepta eſt.*

Si vera eſſent, quae veteres, inducti auctoritate Caii, de Chiliasmo Cerinthi narrant, ſequeretur omnino, hunc vitulo Iudaeorum araſſe, et doctrinam, quam iuvenis adhuc ab ipſorum magiſtris acceperat, in Theo-

(*a*) Vide *Ittigii* Diſſert. de Haereſiarchis Sect. 1 c. 1 § 7.

Theologiam ſuam transfudiſſe. Ita eruditi noſtri, idque non immerito, iudicare ſolent, in quo etiam praeeuntes habent veteres. *Euſebius* itaque, ubi de Nepote et Chiliasmo eius diſſerit, Hiſt. Eccleſ. Lib. VII cap. 24 hunc in modum loquitur: *Nepos quidam, Epiſcopus Aegypti, promiſſiones ſanctis hominibus factas in Codice Sacro, Iudaico ſenſu implendas eſſe docebat, et nescio quod mille annorum ſpatium, corporalibus refertum deliciis, in hac terra fore affirmabat.* Non aliud fert iudicium *Hieronymus*, qui in Catalogo virorum illuſtrium, de Papia cap. 18 in haec verba ſcribit: *Hic dicitur mille annorum Iudaicam edidiſſe δευτέρωσιν, quem ſecuti ſunt Irenaeus, et Apollinarius, et ceteri, qui poſt reſurrectionem aiunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de ſpe Fidelium, et Victorinus Petavionenſis, et Lactantius hac opinione ducuntur.* Eiusdem et haec verba ſunt in Prooemio Libri XVIII Commentar. in Ieſaiam (*b*): *Quomodo debeant accipi, et qua ratione intelligenda ſit Apocalypſis Iohannis, quam ſi iuxta literam accipimus, iudaizandum eſt; ſi ſpiritualiter, ut ſcripta eſt, diſſerimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire, etc.* Denique, ne prolixior ſim, haec ex auctoris eiusdem Commentario in Zachariam Lib. I transſcribamus verba (*c*): *Alii vero et maxime Iudaei in mille annorum regno interpretantur, corporales corporalia requirentes: noſtrorum autem plerique referunt ad coeleſtem Ieruſalem; et hanc dicunt iterum exſtruendam, quae ruina animarum peccatricum*

(*b*) In Operibus *Hieronymi* Tom. III col. 477, 478. edit. Benedictinorum.

(*c*) Operum Tom. III col. 1716.

cum fuerat deſtituta. In hiſce, quae ſane trita ſunt et vulgaria, nunc immoratus non fuiſſem, niſi intelligerem, viros quosdam eruditos id omni niſu et contentione animi agere, ut, aut inter Iudaeorum et Chiliaſtarum veterum placita, aut ſaltem inter Cerinthi et reliquorum Millenariorum doctrinam, diſcrimen inſigne excogitent. Quod cum novis argumentum hoc noſtrum tenebris involvat, operam adhuc dabimus, ut luculenter oſtendamus, Iudaeos olim id ipſum tradidiſſe de temporibus Meſſiae venturis, quod Chiliaſtae veteres docuerunt de regno Chriſti Millenario, et ab horum Chiliaſtarum doctrina non differre eam, quae Cerintho attribui vulgo etiam ſolet.

§ 10. *Iudaei poſt mortem corporis tres diverſos ſtatus, ad quos pii perveniunt, animo concipiunt.*

Vt iam Iudaeorum, de regno Meſſiae Millenario, doctrinam tanto diſtinctius perſpiciamus, non inutile erit, in anteceſſum obſervaſſe, magiſtros ipſorum piis Dei cultoribus (*d*) tres diverſos, poſt mortem corporis, aſſignare ſtatus, ordine ſucceſſivo ſeſe excipientes. Primus igitur ſtatus, ad quem pios, poſt mortem corporis, transferri crediderunt Iudaei, eſt עולם הנשמות, *ſeculum animarum*, in eo enim vivunt ſpiritus tantum, corporis ſocietate liberati. Et quoniam piis hiſce ſpiritibus in Paradiſo coenaculum ac convivium apparatum eſſe tradunt magiſtri, ſeculum idem *Paradiſi* etiam et *coenaculi* dici ſolet.

Se-

(*d*) Vide *Rhenferdii* Diſſertationes *de Seculo Futuro*, et eiusdem *vindicias ſententiae ſuae*, in quibus multa adducuntur Iudaeorum loca de hac re.

Seculum hoc ſequitur alius ſtatus, piis deſtinatus temporibus Meſſiae, quae finem huius mundi antevertent. Vbi beata illa aderunt tempora, ſpiritus iuſtorum ex ſplendidis ac amoenis Paradiſi habitaculis redibunt in terram ſanctam, ibique corporibus ſuis ad vitam revocatis iuncti, cum Meſſia potenter et glorioſe cunctis terrae gentibus dominabuntur. Hoc eſt *ſeculum Meſſiae*, quod a beneficiis, quae adiuncta habet, *ſeculum* quoque *reſurrectionis*, et *ſervitutis gentium* vocari conſuevit, illiusque durationem intervallo fere mille annorum circumſcribere ſolent. Et hocce Meſſiae ſeculum excipiet reſurrectio impiorum, iudicium extremum, adeoque ſtatus iuſtorum perfectus et conſummatus in coelo, quod κατ' ἐξοχὴν *ſeculum futurum*, et *ſeculum mercedis*, in commentariis Iudaeorum audit. *Regnum* igitur *Millenarium*, ex mente Iudaeorum, conſtat intermedium eſſe inter *ſeculum animarum*, et *ſeculum futurum*. Praecedet tempus hocce reſurrectio iuſtorum, illudque ad finem perductum inſequetur reſurrectio impiorum.

§ 11. *De illo ſpeciatim ſtatu piorum, qui expectatur in regno Meſſiae, Iudaeorum ſententia exponitur.*

Sed paulo adhuc luculentius explicandum eſſe cenſeo, quidnam de tempore Meſſiae, et beato illius in terra regno, gens recutita ſibi promittat. Tempus igitur hoc Meſſiae adventurum ſperant (*e*) *in Millenario* poſt mundum conditum *ſexto*, *quemadmodum Adam quoque ſexto die eſt creatus*, *qui creatorem ſuum*

(*e*) *R. Moſes Nachmanides* in cap. *de retributione*, apud *Rhenferdium* in Operibus p. 61.

ſuum agnovit, et dominatus eſt omnibus. Quoniam Iudaei regnum hoc in terra longe feliciſſimum, ſub auſpiciis Meſſiae, paratum eſſe credunt piis Abrahamidis cunctis, qui umquam fuerunt, initia temporis tam exoptati collocant (*f*) in reſuſcitatione mortuorum, qui tunc corpora ſua priſtina recipient. Sed reſurrectionis hocce beneficium (*g*) nonniſi ad Iudaeos ſolos extendunt. Sunt etiam, qui ne Iudaeos quidem omnes ad vitam revocatum iri ſibi perſuadeant (*h*); ſed, excluſis impiis, ſolos tantum iuſtos Deique timentes. Quamvis neque deſint, qui de Gentibus terrae mitius iudicium ferant, et (*i*) honeſtos quosque ac pios ex his etiam reſurrectionis participes futuros eſſe ſperent. Si porro doctores Iudaeorum audimus, corpora ſemel in diebus Meſſiae ex pulvere in integrum reſtituta, vitam ſic receptam, quamvis terreſtrem, id eſt, in terra aliquamdiu ducendam (*k*), poſthaec non amplius amittent, adeoque finito Meſſiae regno, morte nulla denuo interveniente, in regnum Dei

(*f*) Vide *Rhenferdii* Opera p. 52, 53, 54, 55, 62, 63 et alibi paſſim. Quidam dicunt reſurrectionem locum habituram in initiis dierum Meſſiae, apud celeberr. *Millium* Praef. ad *Rhenferdii* Opera p. 8. Alii eam reiiciunt in annum regni Meſſiae 206, apud *Rhenferdium* p. 68. Alii latius eam tantum in diebus Meſſiae ſperant. Vide *Daſſovium* de reſurrectione cap. VI p. 164.

(*g*) *Rhenferdius* p. 53, 56. *Daſſovius* de reſurrectione p. 46.

(*h*) *Rhenferdius* in Operibus p. 909. *Daſſovius* lib. cit. p. 33, 34 etc.

(*i*) *Daſſovius* p. 47. quamvis dubitari poſſit, utrum ea, quae ibi ex Iudaeorum ſcriptis allata leguntur, ad tempora Meſſiae, an vero potius ad ſeculum Mercedis referri debeant.

(*k*) *Rhenferdius* p. 55, 57, 58, 68.

Dei coeleſte transferentur, quam etiam in rem corpora haec, iuſtorum ſpiritibus iungenda (*l*), erunt ſpiritualia, ad exemplum illius, quo in creatione Adamum donavit Deus. Sicuti tamen de plurimis doctrinae articulis, in Iudaeorum ſcholis, in utramque partem diſputari ſolet, ita dantur etiam (*m*), qui aeternam durationem corporum, temporibus Meſſiae reſuſcitatorum, in dubium vocant. Inprimis vero de illis ambigunt, quos adventus Meſſiae vivos deprehendet, ſintne vitam illam, nulla morte finiendam, aeternum victuri, an vero legem communem, ceteris hominibus omnibus praeſcriptam Pſ. 89: 49, et ipſi pariter ſubituri.

§ 12. *Beatitudo et duratio illius ſtatus ex mente Iudaeorum.*

Vitam, ad quam corpora iuſtorum reſuſcitabuntur, et quam deinceps cum Meſſia et ſub eius auſpiciis agent, Hebraeorum magiſtri nobis depingunt, ut omni ratione iucundam, beatam, ac bonorum omnium copia abundantem. Id credere nos iubent de ipſo illo corpore, quod in vitam redibit, cuiusque aliam futuram, atque nunc eſt, formam, qualitatem, ac indolem, iam modo monuimus. De ſpiritus integritate, ſanctitate, et perfectione, ne dubitare quidem licet, ſiquidem illum ex coetu iuſtorum et ex Paradiſo, domicilio beato ſanctorum Dei amicorum, deducunt in hanc terram, ut corpori tali iungatur, cum quo commu-

(*l*) *Eyſenmengerus* in Iudaismo detecto Tom. II p. 772, 773. Confer de corpore ſpirituali Adami, *Vitringae* Obſervationes Lib. III c. IX § 3.

(*m*) *Rhenferdius* p. 60, 61. *Daſſovius* p. 107, 108.

munionem, vitii et criminis expertem, colere poſſit. Ex quo conſequitur, fore, ut felices hi regni Meſſiae cives (*n*) continua mentis puritate, ſanctitate actuum omnium, pietate numquam, etura, et conſtantiſſimo obſequio, Deum et corpore et animo glorificent. Et ſic omnino (*o*) res in primaevum illum ſtatum, in quo erant ante lapſum, rediturae ſunt. Etſi autem Iudaeorum doctores piis ſuis in hac terra etiam corpora circumponant ſpiritualia, per ea tamen non videntur intelligere alia, quam quae ſint apta ſpiritus puri atque ſancti et domicilia et organa. Certe corporibus his nihil omnino eorum, quae corporibus noſtris grata ſunt ac iucunda, et quae corporis ſui cauſa mens noſtra deſiderat, in ſtatu illo deeſſe cenſent. Itaque (*p*) edent, bibent, uxores ducent, et ex iis ſobolem numeroſam ſuſcipient, erunt potentes et locupletes; quae omnia, in futuro ſeculo mercedis, locum non habitura eſſe, ultro fatentur Iudaei. Quae ſit autem felicitas, quam ſibi temporibus Meſſiae promittunt, aeſtimari poteſt ex hiſce, quae in *Gemara* כתובות fol. CXI. c. 2. leguntur, ex verſione celeberrimi (*q*) *Millii: Dixerunt* magiſtri noſtri: *non eſt huic ſeculo ſimile ſeculum futurum: in hoc enim ſeculo cum moleſtia uvae vindemiantur et calcantur: in ſeculo autem futuro adferet quivis unam uvam curru aut navi, et deponet in angulo domus, ex eaque tamquam*

(*n*) *Rhenferdius* p. 56, 58.

(*o*) Vide *Eyſenmengerum* Lib. cit. Tom. II p. 823, etc.

(*p*) Vide auctores citatos, *Rhenferdium*, *Daſſovium*, *Eyſenmengerum*, in libris indicatis, paſſim

(*q*) *Praefatione* in Opera *Rhenferdii* pag. IV. Plura reperiuntur apud *Eyſenmengerum* Tom. II p. 828, 829, etc.

quam ex ingenti vase depromet vinum, lignis autem eius ad coquendum utetur. Nec est futura uva, quae non 30 *amphoras vini contineat.* Regno autem huic Messiae tam beato et auspicato in scriptis magistrorum Iudaicorum anni tribui solent, ut plurimum, mille, ut itaque *regnum Millenarium* dici vere queat. *Regnum Messiae*, inquit (*r*) R. *Moses Nachmanides*, *erit in Millenario sexto, quemadmodum Adam quoque sexto die est creatus. At in fine illius millennii erit dies iudicii, quia eodem modo Adam sexto die est iudicatus.* Plura alia Iudaeorum ea de re testimonia diligenter conquisivit *Iosephus Medus* in Clavi Apocalyptica p. 286, 287, ex quibus constare satis poterit, in ea sententia, quam retuli, de Millenario regno Messiae, doctores gentis Iudaicae et praecipuos et plurimos acquiescere. Et quamvis omnino sint, qui durationem istius regni, limitibus modo arctioribus, modo etiam latioribus, circumscribant, ratio tamen ostendi posset non inidonea, qua omnes hae sententiae inter se conciliarentur, si id nobis nunc negotii datum esse crederemus.

§ 13. *Similis omnino fuit doctrina vetustorum Ecclesiae Patrum. Illi igitur, post mortem, triplicem quoque piis statum expectandum esse docuerunt.*

Si quis doctrinam Iudaeorum, de regno Messiae in terra, hactenus expositam, cum ea conferre velit, quam Cerintho haeretico a *Caio*, *Dionysio Alexandrino*, aliisque Ecclesiae Christianae scriptoribus, attribui supra vidimus, dubitare vix poterit, quin una ex

(*r*) Apud *Rhenferdium* pag. 63.

ex altera dimanaverit, tam aperta et luculenta est inter utramque consensio. Neque etiam id, quantum quidem meminisse possum, a viris eruditis in controversiam vocari solet. Verum negari tum non poterit, idem pariter omnino iudicium ferendum esse de piis illis et optimis Ecclesiae primitivae doctoribus, qui consimiliter regni a Christo in terris erigendi, et mille annos duraturi, spem nos concipere iusserunt certam ac firmam. Illi igitur, quod de Iudaeis supra § 10 iam monuimus, piis quoque fidei in Christum confessoribus triplicem successive, post mortem corporis, destinatum esse et statum et locum, summo consensu tradunt. Primo enim docuerunt, animam corpore solutam transferri in Paradisum, seu gremium Abrahae (s), locum a coelo supremo distinctum, in quo a malis miserae huius vitae recreata, et sensu gratiae Divinae exhilarata, consummationem beatitudinis sibi promissae expectet. Statum hunc, phrasi Iudaeis recepta, recte appellare possis *seculum animarum*. Illum tradunt iidem deinde subsequi alterum, quem non immerito dixeris, *seculum resurrectionis*, et *regnum Christi Domini*, ad quod pii e Paradiso descensuri sint, illic corporibus suis resuscitatis rursum iungendi, et cum Christo mille annos regnaturi, ex quo tandem transituri sint ad statum plenae et perfectae beatitudinis, quam Scriptura vocat *Vitam aeternam*.

§ 14.

(s) Doctrina haec veterum satis nota, et passim a viris doctis explicata est. Possunt tamen loca veterum in hunc sensum concepta videri apud *G. I. Vossium* in Thesibus Theologicis et Historicis Disp. VI, *Georgium Bullum* in Concionibus posthumis Tom. I p. 103, ac seqq., et *Spanhemium* in Historia Christiana secul. II col. 615.

§ 14. *Quae Eccleſiae Patres de indole regni Millenarii tradunt, prorſus ſimilia ſunt placitis Iudaeorum de regno Meſſiae.*

Quodſi iam ſigillatim ea, quae de regni Millenarii in terra indole et ratione veteres Chriſtiani diſputant, propius examinemus, fatendum profecto erit, ovum ovo ſimilius non eſſe, quam eſt traditio Chriſtianorum ea de re Iudaeorum placitis. Aliter quidem viſum eſt viris nonnullis eruditis, qui honori veteris Eccleſiae omnium optime hac ratione conſultum iri crediderunt, ſi oſtendere poſſent, doctrinam et (*t*) antiquorum Chiliaſtarum in genere omnium, et (*u*) *Iuſtini Martyris* ſpeciatim, a Iudaeorum traditionibus omnino diſtinctam et diverſam fuiſſe. In quo tamen etiam atque etiam vereor, ne operam oleumque perdiderint. Non ſane ignoro, Chiliaſtas Eccleſiae Chriſtianae ſententiam, quam illi de regno Chriſti Millenario acriter adſtruxerunt, deſumere potuiſſe ex Apocalypſi S. Iohannis, qui c. XX. v. 4, 5, 6. piis religionis cultoribus regnum Chriſti promittit, mille annos in terra duraturum, praevia reſurrectione mortuorum prima. Verum non tam quaeritur de mille annis Apocalypticis, et de reſurrectione prima in anteceſſum promiſſa, quam de modo, quo haec capienda et intel-

(*t*) Auctor libri, Pariſiis editi A. 1739, hoc titulo: *Examen du ſentiment des Saints Peres, et des anciens Iuifs, ſur la durée des ſiècles etc.* Conſule et *le Iournal des Scavans* mois de Iuillet 1741, p. 313.

(*u*) *Ioſephus Medus* in Clavi Apocalyptica p. 285, in notis, qui et alios Patres excuſat, et a Iudaismi ſuſpicione liberat. Vide praeterea Prolegomena novae editionis *Iuſtini Martyris*, quae Pariſiis prodiit 1742, et *le Iournal des Scavans* mois de Mars 1743, p. 405, 406.

telligenda ſint. Vbi dubium eſſe non poteſt, quin in explicanda illa Prophetia Chiliaſtae veteres in Theologiam ſuam traditiones Iudaeorum tranſtulerint. Neque etiam diffiteor, fuiſſe nonnullos ex Chiliaſtis Eccleſiae primitivae, qui bona regni illius, a Deo promiſſi, agnoſcerent utique ſpiritualia Ita certe *Tertullianus* loquitur Lib. III adv. *Marcionem* c. 24: *Hanc* civitatem Hieruſalem *dicimus, excipiendis reſurrectione ſanctis, et refovendis omnium bonorum utique ſpiritualium copia a Deo proſpectam.* Verum nec ipſos quidem Iudaeos, ex illa beatitudine mille annorum, excluſiſſe bona et gaudia ſpiritualia, intelligi ſatis ex iis potuit, quae § 12 monuimus. Vti vero bonis illis ſpiritualibus Iudaei adiiciebant magnam beneficiorum corporalium et terreſtrium, illo tempore quoque promiſſorum, copiam, ita Chriſtianos in hoc quoque veſtigia eorum legiſſe, vel ex ipſo illo *Tertulliani*, quem modo attulimus, loco, et ex quo plura deſcribere hic longum nimis eſſet, abunde perſpicitur. Sed neque id diſſimulandum, *Tertullianum*, ſi cum ceteris Eccleſiae illius antiquae Chiliaſtis componatur, prae illis, uno tantum *Iuſtino Martyre* excepto, de beatitudine illius temporis modeſte ſenſiſſe et ſcripſiſſe. Nota ſunt et multorum ſermonibus celebrata, quae Papias, primus ex catholicis doctoribus Chiliaſtis, de indole regni Chriſti in terra expectati docuit (*y*). *Venient dies*, inquit, *in quibus vineae naſcentur, ſingulae decem millia palmitum habentes, et in uno palmite dena millia brachiorum, et in uno vero* (*w*) *palmite dena millia flagellorum, et*

(*y*) Apud *Irenaeum* contra Haereſes Lib. V cap. XXXIII § 3, 4.

(*w*) *Grabius* coniicit legendum *brachio.*

et in unoquoque flagello dena millia botruum, et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unum quodque acinum expreſſum dabit viginti quinque metretas vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis ſanctorum botrum, alius clamabit: Botrus ego melior ſum, me ſume, per me Dominum benedic. Similiter et granum tritici decem millia ſpicarum generaturum, et unamquamque ſpicam habituram decem millia granorum, et unumquodque granum quinque bilibres ſimilae claræ mundae, et reliqua autem poma et ſemina, et herbam ſecundum congruentiam iis conſequentem: et omnia animalia iis cibis utentia, quae a terra accipiuntur, pacifica et conſentanea invicem fieri, ſubiecta hominibus cum omni ſubiectione. Quae quam gemina ſint traditionibus Thalmudicorum, vel pauca illa, quae protulimus § 12, claro indicio eſſe poſſunt. Et hanc tamen Papiae doctrinam ita adfert *Irenaeus*, ut eam calculo ſuo pleniſſime confirmet, ſuamque faciat. Non aliam vero fuiſſe doctrinam Chiliaſtarum ceterorum, qui, ſeculo II, III et IV, nomen aliquod in Eccleſia ſuo merito ſibi pepererunt, invicte probant, quae de eorum dogmatibus exquiſita diligentia et copioſe congeſſit vir in hiſce literis ſumma cum laude verſatus (*x*), *Seb. Nanus Tillemontius.* Quinimo plerosque ex Chiliaſtis, tempore *Auguſtini*, ita de voluptatibus regni Millenarii corporalibus et terreſtribus gloriatos fuiſſe, ut beneficia ſpiritualia in univerſum negligerent, aperte teſtatur illuſtris hicce Hipponenſis Praeſul, de Civit. Dei Lib. XX c. 7 ſcribens: *Quae opinio eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliquae deliciae ſpirituales in illo Sabbatho affuturae ſanctis per Dominum*

(*x*) *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire Eccleſiaſtique* Tom. II p. 301, ac ſqq. edit. Pariſ.

mini praesentiam crederentur, nam et nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cum eos, qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius credulitatis excedant, nullo modo possunt ista nisi a carnalibus credi.

§ 15. *Doctrina de regno Millenario, Cerintho attributa, eadem est cum doctrina veterum Ecclesiae Patrum.*

His omnibus rite perpensis, mihi quidem liquere videtur, doctrinam de regno Christi Millenario in terra, quae in rationibus Cerinthi Haeresiarchae ponitur, esse eamdem plane, quam olim in scholis suis tradiderunt Hebraeorum magistri, et quam ab his acceptam, primis Christianae Ecclesiae seculis, asseruerunt ex illustrioribus eius Doctoribus et Martyribus sane permulti. Toties id sua aetate monuit *Hieronymus*, et id res ipsa clarissime per se loquitur. Fuerunt quidem viri praestantissimi, et de Ecclesia optime meriti (*y*), *Gerhardus*, *Calixtus*, *Voetius*, *Sagittarius*, *Kortholtus*, et alii, qui inter Chiliasmum Cerinthi et Patrum merito distinguendum esse arbitrarentur, siquidem prior carnalis, posterior vero spiritualis fuerit, quibus aliquando calculum adiecit (*z*) *Tho. Ittigius*. Sed hic tamen, vir egregie doctus, postquam rem eamdem denuo sub examen vocavit, mu-

ta-

(*y*) Loca horum virorum eruditorum indicat *Tho. Ittigius* in selectis capitibus Historiae Ecclesiasticae seculi I p. 291.

(*z*) In Dissertat. de Haeresiarchis aevi Apostolici p. 55.

tata iam mente, iudicium hocce tulit (*a*): *His ergo aliisque huius modi argumentis evinci poteſt, inter Cerinthi et Patrum Chiliasmum talem differentiam non fuiſſe, ut unus ab altero tamquam carnalis a ſpirituali, tamquam terrenus a ſancto, diſtingui poſſit. Vnde et Bernhardus Luzenburgius non minus Papiam, quam Cerinthum ſuo haereticorum catalogo inſeruit.* Quo iudicio nihil verius eſſe poteſt, ſi Cerinthus re ipſa id docuit, quod docuiſſe vulgo exiſtimatur. Verum enim vero, poſtquam ſententia Cerinthi vera, de regno piorum cum Chriſto Millenario, e genuinis fontibus eruta et evidenter demonſtrata erit, diſcrepantia utique inſignis inter Chiliasmum Cerinthi et Patrum non poterit non obſervari, ſed longe alia. Fatendum namque tum erit, Chiliasmum, quem aſſeruerunt Patres, eſſe terreſtrem et carnalem, Chiliasmum vero Cerinthi coeleſtem et ſpiritualem Id vero in Diſſertationibus ſecuturis ad liquidum perducere annitemur.

(*a*) In ſelectis capitibus hiſtoriae Eccleſ. ſeculi I p. 293.

DIS-

DISSERTATIO SECVNDA

DE REGNO MILLENARIO CERINTHI, QVA ADVERSVS SENTENTIAM VVLGATAM RATIONES ADFERVNTVR.

§ 1. *Dissertationis huius summum argumentum.*

Dissertatione superiori, doctrinam de regno Christi in terra Millenario, quae Cerintho a veteribus tribui solet, quantum id instituti mei ratio exigere mihi visa est, exposui. Ostendi, quinam fuerint illi, qui Cerintho talem doctrinam, tamquam haeresin perniciosam, exprobrarunt. Doctrinam ipsam, uti a veteribus repraesentatur, etiam ipsorum verbis retuli. Monui, doctrinam illam ipsam, quam multi criminis loco habent, et Cerintho in acceptis referunt, doctoribus Ecclesiae primitivae fuisse perquam familiarem, et insuper fontes, unde hi doctrinam talem hauserint, indicavi. Ordo, quem in pertractando hoc argumento ipse mihi praescripsi, nunc postulat, ut rationes idoneas in medium proferam, quibus me commoveri pas-

ſus ſum, ut crederem, regnum tale Millenarium Chriſti in terra, quale voluit Caius, Cerinthum nec docuiſſe, nec docere omnino potuiſſe. Antequam vero ad id nunc me accingam, aequum eſſe cenſeo, ut ſcrupulum quemdam, non levem, qui negotium lectoribus quibusdam faceſſere poſſet, ex animis ipſorum evellam.

§ 2. *In anteceſſum dubio cuidam occurritur, quod nempe Cerinthus Iudaizaverit.*

Monui iam Diſſertatione priori, doctrinam de regno Meſſiae in terra Millenario, expolitam fuiſſe in ſcholis Iudaeorum, et ab his ad Chriſtianos dimanaſſe. Iam vero libens et ultro largitus ſum, Cerinthum, ſin minus gente, certe tamen profeſſione religioſa, Iudaeum extitiſſe, ac praeterea ex Aegypto reducem, frequentem et, ut videtur, diuturnam cum Ebionaeis, id eſt, cum Chriſtianis Iudaizantibus, coluiſſe amicitiam et communionem, ex quo ſuſpicari oppido proclive eſt, Cerinthum, hominem Iudaeum, aut ſaltem Iudaizantem, dogma Hebraeorum magiſtris adeo tritum et familiare retinuiſſe, et in ſchola ſua tradidiſſe. Id certe, neque enim inficias eo, teſtimonio Caii ſpeciem veri non exiguam conciliat. Neque tamen eſt, quod ex eo cauſae noſtrae metuamus. Damus ſane liberaliter, Cerinthum fuiſſe, etiam antequam in Aegyptum contenderet, Iudaeum; ſed non minus certum eſt, eum, cum propriam ſcholam erigeret, relicta communione Iudaeorum, pro cultore Ieſu Chriſti haberi voluiſſe. Itaque more fere Ebionaeorum, ex iis, quae in Iudaeorum ſcholis didicerat, nonnulla tantum ſervavit, alia vero, prout res ipſi exigere viſa eſt, repudiavit. Vnde *Epiphanius* de eo obſervavit,

προσ-

προσέχειν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ἀπὸ μέρους, quod in verſione vulgata non fideliter ſatis redditum, ita Latine eſferendum eſt, *eum ex parte* tantum *religionem Iudaicam probaſſe*, Haereſ. XXVIII num. 1. Video id etiam obſervaſſe doctiſſimum *Moshemium*, qui commode et haec ex *Philaſtrio* de Haereſ. c. 78 adfert: *in nullo diſcordans ab eo* (Carpocrate) *niſi quia ex parte ſolum legi conſentit*; et in univerſum (*a*) ita pronuntiat: *Illi qui Cerinthum univerſam legem, quam Moſes tulit, ſervatam voluiſſe cenſent, nec ſatis diligenter veteres ſcriptores inſpexiſſe, nec rationem diſciplinae eius accurate conſideraſſe videntur.* Quare audiendus non eſt *Agobardus* Lugdunenſis, et ſi qui eum ſequuntur, ubi nobis perſuadere vult, rationem errorum omnium, qui Cerintho adſcribuntur, ex Iudaeorum dogmatibus repetendam eſſe (*b*). *Ex erroribus Cerinthi cognoſcitur*, inquit, *quod omnia ſint Iudaica, quae adſtruebat.* Nihil itaque ex Iudaismo Cerinthi, pro adſtructo ab eodem regno Chriſti in terra Millenario, colligi poſſe, in propatulo eſt, quamvis vero diſſimile non ſit, propenſionem Cerinthi ad placita Iudaica Caio materiam ſuppeditaſſe, ut doctrinam eius, non Iudaicam, in ſenſum tamen Iudaicum interpretaretur. Non magis Caii de Cerintho teſtimonium iuvat ſumma huius cum Ebionaeis, ſive Chriſtianis Iudaizantibus, conſenſio. Nam uti non temere negandum putaverim, ex Ebionaeis aliquos traditionibus Iudaeorum, de regno Meſſiae in terra Millenario, conſtanter adhaeſiſſe, ſiquidem ab his Papias

(*a*) In Inſtitutionibus Hiſtoriae Chriſtianae maioribus p. 455.

(*b*) In libro *de Iudaicis ſuperſtitionibus*, in Bibliotheca Patrum magna Pariſina Tom. IX col. 1204.

pias ea videtur accepiſſe, quae Diſſert. I. § XIV ex eius aliquo libro adduxi, ita tamen probari non poſſe exiſtimo, Chiliasmum fuiſſe doctrinam in ſcholis Ebionaeorum generali conſenſu probatam ac receptam. Plurimi potius ex illo grege etiam hoc cum multis aliis placitis Synagogae Iudaicae videntur reieciſſe. Certe veteres, qui Chiliasmum Cerinthi refellunt, talem tamen doctrinam in rationibus Ebionaeorum nuspiam ponunt. Contrarium potius non ſine ratione colligi poſſe auguror, ex Pſeudo-*Clementis Recognitionibus* (*c*), in quibus tot Ebionismi indicia ſatis certa occurrunt, ut dubium eſſe non poſſit, quin auctor earum, quisquis eſt, Ebionaeorum placita ſecutus fuerit. Et is tamen Caipham, ſacerdotem Iudaeorum ſummum, introducit Chriſtianis haecce obiicientem: *Tum Caiphas doctrinam Ieſu culpare tentabat, dicens eum res vanas locutum: beatos enim pauperes dixit; et terrenas fore remunerationes promiſit, ac ſummam muneris in terrena hereditate conſtituit; cibisque ac potu eos, qui iuſtitiam ſervarint, promiſit eſſe ſaturandos; et his ſimilia multa docuiſſe deprehenditur*, Lib. I c. 61. Ecce, Chriſto Domino exprobratur, quod piis ſuis cultoribus regnum promiſerit huius mundi. Id enim ſibi volunt haec verba, *terrenas fore remunerationes promiſit, ac ſummam muneris* (i. e. remunerationis) *in terrena hereditate con-*

(*c*) *Ioh. Baptiſta Cotelerius*, qui, in Patribus Apoſtolicis, *Recognitiones* has, curate editas, erudltiſſimis obſervationibus illuſtravit, permulta paſſim Ebionismi indicia deprehendit, et lectoribus in notis indicavit. Quibus alia permulta, nec minus certa, addi etiamnum poſſunt. Vide etiam *H. Valeſii* annotationes in *Euſebii* H. E. Lib. III c. 38.

conſtituit, quibus reſpicitur ad illa Domini verba, Matth. v. 5, *Beati ſunt manſueti, quoniam hereditatem conſequentur terram*, ut nunc alia praetermittam, ad quae Caiphas ille fictus praeterea alludit. Tum ita pergit auctor Recognitionum: *Cui Thomas reſpondens, arguit eum fruſtra cauſantem; oſtendens, quia Prophetae magis, quibus etiam ipſe* (Caiphas) *credit, iſta docuerint, nec tamen quo modo erunt haec, aut quo modo percipientur, oſtenderint; Ieſus vero qualiter accipi haec debeant, demonſtraverit.* Docet igitur Ebionaeus hic, ſub perſona *Thomae* Apoſtoli, vaticinia Prophetarum de regno Meſſiae, et de reſtauratione Hieroſolymae, non literaliter, ſed ſpiritualiter eſſe intelligenda, et ſenſum hunc ſpiritualem Ieſum diſcipulos ſuos docuiſſe. Idem auctor, Lib. III c. 26, *Petrum* Apoſtolum in ſcenam producit, hunc in modum diſſerentem: *Ob hoc autem et prolixioribus indiguit mundus iſte temporibus, donec animarum, quae praedeſtinatae ſunt, numerus impleretur: et tunc iſtud quidem viſibile coelum revolveretur, ut liber; illud vero, quod eſt ſuperius, appareret: et animae beatorum, corporibus ſuis redditae, inducerentur in lucem; impiorum vero animae, pro immundis actibus ſuis, ſpiritu flammeo circumdatae, in profundum ignis inexſtinguibilis mergerentur, per ſeculum expenſurae ſupplicia.* Ecce unam tantum Ebionaeus hicce agnoſcit reſurrectionem, iuſtorum et iniuſtorum, illorum ad vitam aeternam et coeleſtem, horum ad aeternum cruciatum. Cum igitur Ebionaei ut plurimum a Chiliasmo Iudaeorum videantur abhorruiſſe, Cerinthum quoque, etſi illis doctrina et amicitia eſſet coniunctiſſimus, ab eadem doctrina alienum eſſe potuiſſe, ſatis liquere arbitror.

§ 3.

§ 3. *Oſtenditur, traditionem de regno Millenario Cerinthi niti auctoritate et teſtimonio unius Caii.*

Sed properemus nunc tamdem ad exponendum rationes, quibus confici poſſe opinor, Cerinthum tale regnum, quale ipſi exprobrare ſolent veteres, re ipſa numquam docuiſſe, neque docere omnino potuiſſe. Et primo quidem, ſi ad teſtes, quorum auctoritate traditio haec omnis unice nititur, animum paulo attentius advertimus, tales utique ſunt, quorum teſtimonium non immerito ſuſpectum nobis eſſe debet. Etenim primus citra controverſiam, qui Cerinthum Chiliasmi Iudaici accuſavit, eſt Caius, Presbyter Eccleſiae Romanae, qui centum circiter poſt Cerinthum annis floruit, et libris ſcriptis inclaruit. Certe non eſt ſcriptor ullus Caio vetuſtior, ex quo in cauſa hac adverſus Cerinthum teſtimonium aliquod allatum ſit, aut etiam adferri umquam poſſit. *Euſebius*, qui Patrum ſe antiquiorum ſcripta omnia avidiſſime undecumque conquiſivit, qui illa ſtudioſe perlegit, qui eorum teſtimonia libenter profert, *Caio* tamen non potuit reperire antiquiorem, qui Cerintho Chiliasmum imputaverit, etſi ſatis liqueat, eum hocce argumentum exquiſita diligentia inveſtigaſſe. Et poſt eum *Theodoretus*, quem inter meliores et doctiores ſcriptores totius Antiquitatis Chriſtianae numerandum eſſe, inter omnes conſtat, pariter, ut (*d*) alio loco iam monui, nominare non potuit quemquam, qui ante Caium de Chiliasmo Cerinthi vel verbum iniecerit. Neque vero, ſi unum et ſolum Caium ego verum auctorem totius illius de Chiliasmo Cerinthi traditionis eſſe af-

(*d*) Diſſertat. I § VI.

affirmavero, quidquam dixero, quod a vero abhorret. Nam *Dionyſium Alexandrinum*, qui de Cerintho eadem tradidit, quae Caius (*e*), ex hoc ipſo ſua depromſiſſe, indiciis multo luculentioribus conſtat, quam ut negari aut in dubium vocari poſſit. Et tamen *Euſebius* et *Theodoretus*, quorum prior centum circiter, poſterior ducentis, poſt Caium, annis floruit, praeter duos hos *Caium* et *Dionyſium*, alios nominatim deſignare non potuerunt, qui eamdem Cerintho haereſin imputaviſſent. Extant ſane *Irenaei*, Caio antiquioris, libri adverſus haereſes, in quibus etiam de Cerintho diſſerit. Sed de Chiliasmo eius altum plane illic ſilentium. Supereſt *Catalogus Haereticorum*, qui *Tertulliani* libro de *Praeſcriptione haereticorum*, tamquam Appendix adiungi ſolet, auctoris (*f*) *Tertulliano*, adeoque Caio etiam, coaevi, qui alias quidem Cerinthi haereſes recenſet, verum de regno eius Millenario ne verbulum quidem adiicit. Extabant ſeculo III alia ſcripta ſimilis argumenti, a viris celeberrimi nominis profecta, *Iuſtino Martyre*, *Hippolyto*, *Origene*, aliisque, quos *Hieronymus* (*g*) in Epiſtola ad Magnum commemorat, ſed quos

(*e*) Vide Diſſert. I § VI.

(*f*) Extant varia de auctore et aetate huius libri eruditorum iudicia. Ego libenter ſubſcribo ſententiae, quam profert *Ant. Pagius* in Critica Annalium *Baronii* ad A. C. 171. num IV, eamque hic ſecutus ſum. Sic etiam iudicat Abbas doctiſſimus *Ludovicus du Four de Longuerue* in Diſſertat. *de origine haereſium Valentini*, *Cerdonis et Marcionis*, inter alias eius poſthumas Diſſertationes edita a *Wincklero*, p. 273.

(*g*) Epiſt. LXXXIII Opp. Tom. IV Part. II col. 656, edit. Pariſ. Benedictinorum.

quos tamen de Cerinthi Chiliasmo nihil memoriae prodidiſſe, vel ex eo ſatis tuto colligitur, quod neque *Euſebius*, neque *Theodoretus*, neque veteres alii, teſtem ullum adverſus Chiliasmum Cerinthi producere potuerint, praeter *Caium* atque *Dionyſium*. Itaque horum duorum, aut potius unius *Caii* teſtimonio tantum nititur, quidquid poſt ſeculum IV et V ſcriptores antiquiores, et quidquid nunc recentiores ad unum omnes, de regno Millenario Cerinthi literis conſignarunt.

§ 4. *Inquiritur in auctoritatem, quam, hoc in loco, teſtimonium Caii habere poteſt.*

Sed ſit ſane ita, dicat quispiam, ſit unus tantum Caius in cauſa hac teſtis adverſus Cerinthum, cui reliqui omnes crediderunt, quid impedit, quo minus viro illuſtri, et magnae, tempore ſuo, in Eccleſia auctoritatis, fidem adhibeamus? Ad haec reſpondendum putem, eſſe cauſas iuſtas, ob quas in tali negotio aſſenſum meum cohibeam, et, ut, quod res eſt, libere dicam, affirmanti fidem penitus denegem. Etenim, unde, quaeſo, Caius, qui centum poſt Cerinthum annis ſcripſit, haec, quae de Chiliasmo eius tradidit, reſcire potuit, haec inquam, quae in tanto intervallo, ante ipſum, nemo alius ex iis, qui Cerinthi tempora propius attigerunt, dixiſſe ac teſtimonio ſuo confirmaſſe, deprehendi potuit? An forte haec deſumſit ex aliquo ipſius Cerinthi ſcripto? Verum in tota antiquitate nullum ſupereſt, ne vel leviſſimum quidem indicium, haereſiarcham hunc ipſum aliquid literis mandaſſe, et ſcriptum poſt ſe reliquiſſe, niſi eo referre velis, quae veteres nonnulli de aliqua

qua (*h*) eius *Apocalypſi*, per errorem, ut credere par eſt, hariolati ſunt. Aut an forte Caius traditionem talem mutuatus eſt ex aliquo antiquiori, qui ea de re, aut ex Cerintho ipſo, aut ex diſcipulis eius, edoceri potuit? Sed neque id dici poſſe, recte ex eo colligitur, quod traditionis huius auctorem quemquam, Caio antiquiorem, tota vetuſtas ſemper ignoraverit. Nihil igitur, niſi hoc unum ſupereſt, Caium dogmata quaedam Cerinthi, paſſim tum nota, longe aliter, ac vulgo fieri ſoleret, interpretatum eſſe, et ex illis per conſequentiam id elicuiſſe, quod deinceps pro placito ſcholae Cerinthianae haberi voluit: qualia praeter Cerinthum, etiam aliis, et haereticis, et catholicis, eveniſſe ſaepius, nemo ignorare poterit, niſi qui in hiſtoria Eccleſiaſtica hospes ſit. Itaque non credo, eruditos aegre laturos eſſe, ſi dixero, totam hanc de Chiliasmo Cerinthi traditionem non niti niſi coniectura unius Caii, eaque omni veri ſpecie deſtituta. Et profecto, quam audax et, auſim dicere, petulans in coniiciendo fuerit Caius ille, vir ingenioſus, ſed ſibi nimium tribuens, ex eo quivis intelligere poteſt, quod non modo effecerit, ut doctrina Chiliaſtarum, quam hucusque aſſeruerant celeberrimi et probatiſſimi in Eccleſia Praeſules, poſthaec tam quam haeretica damnaretur, quippe quae Cerinthum verum auctorem haberet; ſed etiam hac ipſa de cauſa Apocalypſin Apoſtoli Iohannis Cerintho attribueret, et inſuper (*i*) Epiſtolam ad Hebraeos, cum in ea quae-

(*h*) Vide Diſſert. I § V. Adde *Grabii* Spicilegium ſeculi I p. 311, 312 et 375.

(*i*) *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. VI c. 20. *Hieronymus* de viris illuſtribus c. 59. *Photius* in Bibliotheca Cod. 48, in fine.

quaedam legiſſet, ſibi minus probata, Paulo Apoſtolo ſine cunctatione abiudicaret.

§ 5. *Multi ex veteribus teſtimonium Caii de Cerintho contemſerunt, et ex recentioribus Ioſ. Medus.*

Video multos ex veteribus de Caii hoc teſtimonio aliter non iudicaſſe, atque ego. Ex omnibus ſeculi III ſcriptoribus, qui Caio poſteriores ſunt, illis etiam, qui in hiſtoria haereticorum tradenda ſtudium eximium poſuere, quales ſunt *Hippolytus*, *Origenes*, et alii, non poteſt oſtendi quisquam, praeter unum *Dionyſium Alexandrinum*, qui iudicio Caii in hac cauſa ſubſcribere illudque adeo ſequi voluerit. Auctor *Catalogi haereticorum*, qui *Tertulliani* libro de Praeſcriptione haereticorum ſubiici conſuevit, quique (*k*) non diu poſt Caium floruiſſe videtur, Cerinthi haereſin exponit, ſed, quod ſupra iam monui, ſpreto teſtimonio Caii, de haeretici illius Chiliasmo ſilere maluit. Poſtea a ſeculo IV et V, quoniam *Euſebius* et *Theodoretus*, hiſtorici inter Chriſtianos longe principes, iudicium Caii ſuffragio ſuo corroborarunt; ſententia hac de re ipſorum evaſit paulatim ſententia recepta ſcriptorum Eccleſiaſticorum paene omnium; ſed ita tamen, ut ſemper eſſent, qui auctoritatem Caii ſpernerent, adeoque Chiliasmum inter haereſes Cerinthi non numerarent. Ex his poſterioribus nominare poſſum *Philaſtrium* Brixienſem, qui in libro de haereſibus cap. 36 Cerinthi Chiliasmum tacitus praeterit, quamvis idem cap. 39., *Chiliaſtas*, vel uti ipſe eos vocat, *Chilionetitas*, haereticorum gregi adſcribe-

(*k*) Vide § 3 notam.

bere non vereatur, *Epiphanium* Haeresi XXVIII. Auctorem a *Sirmondo* editum, qui nomine *Praedestinati* eruditis notus est, Lib. I c. 8, *Iohannem Damascenum* (*l*) de haeresibus cap. 28, et si qui sunt adhuc pauci alii. Ceterum non sine magna voluptate intelligo, virum ingenii acutissimi et eruditione egregia perpolitum, *Ios. Medum*, in easdem fere mecum cogitationes, de testimonio Caii, incidisse. Etenim in *Clavi Apocalyptica*, p. 285. in notis, haec de re ita scribit: *si modo vera sunt, quae ex Gaio nescio quo de Cerintho afferuntur.* Et quibusdam interiectis: *Quod autem Cerinthum attinet, si quid huiusmodi erraverit, ex Iudaismo attulit (Iudaeus enim fuit) Christianis non imputandum. Mirum tamen est, de hac Cerinthi haeresi apud Irenaeum et Tertullianum ne γρὺ quidem reperiri; qui tamen ex professo de erroribus eius scripserunt. Totum hoc nititur fide cuiusdam Gaii, hominis obscuri, quem nescio an ex Alogorum haereticorum numero fuerit, quos testatur Epiphanius, tam Iohannis Euangelium, quam Apocalypsin Cerintho adscripsisse. Certe eodem tempore vixit, et Apocalypsin quod attinet, ab eorum sententia non abhorruisse, quicumque verba eius apud Eusebium haud oscitanter legerit, fatebitur.* Non omnia probo, quae vir doctus de Caio, tamquam homine obscuro, et Alogorum forte gregali, effudit. Sed de eo tamen mihi gratulor, quod testimonium Caii, de Cerinthi Chiliasmo, eodem, quo ego, loco habuerit.

§ 6.

(*l*) In *Cotelerii* Monumentis Ecclesiae Graecae Tom. I p. 287.

§ 6. *Teſtimonium ipſum de Cerintho nunc examinatur, ibique ſupponitur, Cerinthum fuiſſe Gnoſticum, eadem cum Carpocrate ſentientem.*

Diximus de teſte, qui adverſus Cerinthum producitur, eumque iure merito a nobis recuſari, docuimus. Sed nunc teſtimonio ipſi preſſius inhaerebimus, idque oſtendemus eſſe tale, ut recipi a nobis nulla ratione queat. Et hic iam in anteceſſum lector eruditus monendus eſt, me id rationibus omnibus, quibus nunc adverſus teſtimonium Caii utar, fundamentum ſubſternere, quod Cerinthus nomen ſuum inter illos profeſſus fuerit, qui notiſſimo *Gnoſticorum* nomine in hiſtoria Eccleſiaſtica inſigniri ſolent, quodque principiis huius ſectae pertinaciter ſemperque adhaeſerit. Hoc veteres fatentur, hoc recentiores noſtri libenter admittunt, hoc ſchola illa Alexandrina (*m*), in qua doctrina omni, tum Philoſophica, tum Theologica, diu ſatis imbutus fuit, non leviter confirmat, id denique praecipua, quae a veteribus ipſi adſcribuntur placita, invicte probant. Id vero obſervatu cumprimis dignum cenſeo, quod veteres Cerinthum cum Carpocrate, famoſo illo ſcholae Gnoſticorum magiſtro, tantum non ſemper coniungere ſoleant, tamquam duo hi, arctiori quodam unius eiusdemque doctrinae vinculo, inter ſe ſociati eſſent. Ita antiquiſſimus, ex iis, qui aetatem tulerunt, hiſtoriae haereticorum ſcriptor, *Irenaeus*, Lib. 1 c. XXV, *Carpocratis*, et mox capite ſecuto XXVI, *Cerinthi* haereſin exponit. Ad eum plane modum duos hos ſibi invicem ſubiungit auctor *ca-*

(*m*) Vide Diſſert. 1 § 3.

catalogi haereticorum, qui *Tertulliani* libro de *Praeſcriptione haereticorum* addi ſolet, cap. 48, *Epiphanius* porro Haereſi 27 et 28, *Philaſtrius* de Haereſibus c. 35, 36, et, ne citra rationem prolixior in his ſim, haereſiologi ad unum omnes. Idque, praeter hos, aliis quoque ſcriptoribus Eccleſiaſticis uſitatum valde et familiare eſt. Et ne cui in mentem venire poſſit, hoc temere tantum et caſu quopiam fortuito accidiſſe, dum ordinem, quem in hiſtoria haereticorum ſervat unus aut alter, ceteri omnes ſecuti et imitati ſunt, audimus hos ipſos, qui Carpocratem et Cerinthum copiungunt, nonnumquam de ſumma utriusque in doctrina conſenſione verbis conceptis teſtari. Ita enim auctor *catalogi haereticorum*, editi cum *Tertulliani* libro de *Praeſcriptione haereticorum*, cap. 48: *Poſt* Carpocratem Cerinthus *haereticus erupit, ſimilia docens.* Sed operae pretium cumprimis eſſe puto, iſta adſcribere *Epiphanii* verba, ex Haereſi XXVIII § 1: *Cerinthus nihil propemodum aliud, quam a nobis ſupra commemoratus ille Carpocrates, aſſeruit, eademque cum eo lethalia in mundum venena propagavit.* Mox iam recenſet dogmata quaedam utrique communia, quibus et alia addere potuiſſet. Et tamdem haec ſubiicit: neque ulla in re diſcrepantem ab illo doctrinam invexit, *niſi quod Iudaicos etiam ritus adſcivit.* Quid opus eſt, poſt hos, teſtes alios, qui profecto non deſunt, excitare? praeſertim ubi rei ipſius teſtimonia luculentiſſima adſunt. Conferat quis haereſin Carpocratis et haereſin Cerinthi ſecum invicem, et fatebitur, utramque illam ex uno eodemque fonte eſſe derivatam.

§ 7. *Hinc veroſimile non eſt, Cerinthum docuiſſe Chiliasmum, a quo Gnoſtici alieni fuiſſe deprehenduntur.*

Extra omnem dubitationis aleam igitur poſitum eſt, Cerinthum fuiſſe de grege Gnoſticorum, et inter hos Carpocrati prae reliquis doctrina coniunctiſſimum. Itaque ſemper, etiam Chriſtianus iam factus, inhaeſerit χορίαις δόξαις Gnoſticorum, id eſt, principiis primariis ſcholae illius, quae ab omnibus agnoſcebantur, omnibusque communia erant. Ea in ſchola Alexandrina didicerat, eademque poſtea tenaciter ſervavit. Ex eo vero per ſe omnino conſequi videtur, doctrinam de regno Chriſti in terra Millenario, Cerintho tribui nec poſſe, nec debere. Quis enim umquam, aut generatim Gnoſticis, aut Carpocrati ſpeciatim, talem doctrinam imputavit? Extabant olim, erantque in manibus omnium, libri Gnoſticorum plurimi, ex quibus ampliſſima fragmenta deſcribunt *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Epiphanius*, et alii, unde facile fieri etiam potuit, ut dogmata huius ſectae, etſi plerumque non recte perſpecta, prolixe tamen, ab *Irenaeo* et *Epiphanio* nobis enarrata fuerint. Sed nemo eſt ex veteribus, qui Gnoſticos umquam nomine Chiliasmi reprehenderit. Ego vero producere poſſum Gnoſticum, qui talem doctrinam in Catholicis fugillavit. Eſt is *Marcion* haereſiarcha, qui ſeculo II ſcholam peculiarem fundavit, inclytam valde, quae, per Aſiam et Syriam longe lateque propagata, usque ad tempora ſeculi VI perſeveravit. Quamvis vero is dogmata quaedam haberet ſibi propria, ab iis tamen, quae toti gregi Gnoſticorum communia fuerunt, numquam ne vel hilum quidem receſſit, uti cuilibet, excutienti haereſin eius, non poteſt non illico liquere.

Ex

Ex his igitur principiis *Marcion* ſic adoritur Catholicos (*n*): *Spero* (a Chriſto meo) *regnum Dei aeternae et coeleſtis poſſeſſionis. Ceterum veſter Chriſtus priſtinum ſtatum Iudaeis pollicetur, ex reſtitutione terrae, et, poſt decurſum vitae apud inferos, in ſinu Abrahae refrigerium.* En! Marcionem, eadem obiicientem Catholicis, quae apud auctorem Ebionaeum Iudaeus in genere Chriſtianis obiicienda putavit, de quibus nos § 2 diximus. Et quae illic apoſtolus Chriſtianus Iudaeo, haec *Tertullianus Marcioni* reſpondet, niſi quod tamen aliquod regnum terrenum fateatur. *De reſtitutione Iudaeae*, inquit, *quam et ipſi Iudaei, ita, ut deſcribitur, ſperant, locorum et regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Chriſtum et in Eccleſiam, et habitum et fructum eius ſpiritualiter competat, longum eſt perſequi; nam et confitemur in terra nobis regnum repromiſſum, ſed ante coelum, ſed alio ſtatu, utpote poſt reſurrectionem in mille annos.* Dubium mihi non eſt, quin Gnoſtici omnes, et cum his Cerinthus, eadem plane ſenſerint, quae a *Marcione* Chiliaſtis obiecta eſſe vidimus.

§ 8. *Et doctrina de Millenario vulgaris e diametro etiam Gnoſticorum placitis adverſatur.*

Oſtendimus, *Marcionem*, ac in univerſum Gnoſticos, quippe quorum placitis ille totus imbutus erat, a tali regno Chriſti Millenario, quale ſperabant Chriſtianorum permulti, et quale tribuitur Cerintho, abhor-

(*n*) Apud *Tertullianum* Lib. III adv. *Marcionem* cap. 24, pag. 499. edit. *Rigaltii*.

horruiſſe, idque in Catholicis ferre non potuiſſe. Et vero difficile non eſt, rationem rei huius reddere perſpicuam et evidentem. Etenim conceptus regni talis Millenarii, quale dixi, ſi ab omni parte verſetur, et ſollicite examinetur, deprehendetur confeſtim, principiis illis Gnoſticorum, quae poſſis appellare fundamentalia et radicalia, et quae eam ob rem omnibus in univerſum fuere communia, e diametro repugnare. Id nunc per partes diſtinctius explicandum, et idoneis veterum teſtimoniis communiendum eſſe puto.

§ 9. 1. *Quia regnum Millenarium beatum collocatur in terra.*

Primo igitur, *locus*, quem Cerinthus regno illi ſuo Millenario aſſignaſſe creditur, eſt hicce noſter mundus, quem incolimus, et in eo ſigillatim Iudaea, ac Iudaeae caput, Hieroſolyma. Ita enim Caius in loco iam (*o*) allato de Cerintho teſtatur: *Affirmat poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum, ac rurſus homines Hieroſolymis victuros.* Et *Dionyſius Alexandrinus*, apud *Euſebium* Lib III c. 28, et Lib. VII c. 25, pariter aſſeverat, Cerinthum docuiſſe, *regnum* illud *Chriſti futurum eſſe terreſtre.* Non verebor affirmare, ſententiam talem, neque Cerintho, neque Gnoſticorum cuiquam, aut in mentem venire, aut probari potuiſſe. Etenim unanimis haec fuit Gnoſticorum omnium doctrina, mundum materialem ſublunarem, in quo nunc vitam agimus, per ſe, quippe ex materia conditum, eſſe imperfectum et malum, infelix quoddam miſerorum hominum ergaſtulum, in quo neque perfectae iuſtitiae et ſanctitati, neque ſolidae ac ve-

(*o*) Differt. I § 4.

verae beatitudini locus esse possit, in quo potius homines multiplici miseriarum cumulo continuo subsint, ac ad peccandum etiam iugiter sollicitentur. Apud *Origenem*, seu quisquis alius auctor est dialogi contra *Marcionitas*, *Origene* utique iunioris, p. 156, sic loquitur *Marcus Marcionita*, interlocutor: *nos ex Apostolo et Euangelio edocti sumus, tum Creatorem* Mundi, *tum creaturas ipsius esse malas.* Regerit quidem Adamantius Catholicus: *Quae Christus bona confitetur, tune dicis mala?* sed respondet Marcionita: *Mundum hunc non dicit bonum, neque creaturas eius.* Dicit *enim*; „ si essetis de hoc mundo; mundus quod „ suum est, amaret". Ex eodem principio, *Heracleon*, non ignobilis scholae Gnosticorum magister, ubi verba haec Christi Domini, apud Iohannem cap. IV vs. 21, *veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem*, interpretatur, ac more scholae illius ineptis allegoriis indulget, ita commentatur (*p*): *Per montem intelligitur diabolus, vel mundus eius, quandoquidem pars una est diabolus totius materiae, mundus vero universus malitiae mons, et deserta habitatio ferarum.* Ex sententia igitur Gnosticorum, mundus materialis totus eiusdem est essentiae et naturae, cuius est Diabolus. Est et eiusdem *Heracleonis* haec mirifica interpretatio in Iohann. II. 12 (*q*): *Capharnaum significat haec extrema totius universi, et mundi materialis, in quae descendit* (Iesus). *Et quia locus hic parum conveniens ipsi est, ideo non dicitur in eo quicquam aut operatus, aut locutus fuisse.* Nempe mundum talem esse

(*p*) Apud *Origenem* tom. XII Commentar. in Iohann. p. 210.

(*q*) Apud *Origenem* tom. X in Iohannem p. 158.

LIBRARY OF THE BOMBAY

esse arbitrabantur Gnostici, in quo Servatorem deceret quidem humilitatis voluntariae ac profundae specimina edere, verum non gloriam perfectionis infinitae et operum divinorum palam omnibus explicare. De hominibus vero, terrae huius incolis, ita sentiebat *Simon Magus*, qui placitis iisdem imbutus erat, quae postea Gnostici reliqui cum doctrina Christi et Apostolorum sociare annisi sunt (*r*): *Animae nostrae a bono Deo sunt; sed captivae deductae sunt in hunc mundum.* Haec omnino ratio est, ob quam hi ipsi Gnostici, mundi, natura sua adeo miseri et infelicis, creationem Supremo et Optimo Numini neutiquam tribui posse censerent (*s*); sed genio, aut indole sua malo, aut saltem imperfecto, qui meliorem mundum condere non valuerit. Et hanc quidem Gnosticorum doctrinam Carpocrati et Cerintho sigillatim probatam fuisse vehementer, si (*t*) veterum testimonio credimus, certissimum est. Quid igitur mirum est, hos sapientiae insanientis consultos mundum materialem odio habuisse, et solidae felicitatis, qua frui potest anima sancta, hoc initium constituisse, ut liberata et a societate corporis, et ab omni qualicumque terrae huius communione, superato ad haec mundo materia-

li

(*r*) Ita Simonem loquentem in scenam producit Pseudo-*Clemens* Recognitionum Lib. II c. 57.

(*s*) De argumento hoc prolixe et docte disserit B. *Beausobrius*, in historia Manichaea Tom. II p. 10 et seqq.

(*t*) Testantur hoc *Irenaeus* Lib. I c. 25, 26. edit. *Massuet*, *Tertullianus*, seu quisquis auctor est appendicis ad librum de Praescriptione haereticorum, c. 48, *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXIII p. 414, *Epiphanius* Haeresi XXVII et XXVIII, *Theodoretus* de Fabulis Haereticorum Lib. I c. 5, Lib. II c. 3, Lib. V c. 4, et multo plures alii.

li in universum, in mundum spiritualem transferatur. Non ineleganter hanc Gnosticorum sententiam expressit, suamque, ut multa alia ipsorum deliria, fecit *Synesius* Cyrenaeus, Hymno 1 v. 108:

Μάκαρ ὅσις βορὸν ὕλας
Προφυγὼν ὕλαγμα, καὶ γᾶς
Ἀναδὺς, ἅλματι κούφῳ
Ἴχνος ἐς Θεὸν τιταίνει,
Μάκαρ ὅσις μετὰ μοίρας,
Μετὰ μόχθους, μετὰ πικρὰς
Χθονογηθεῖς μελεδῶνας,
Ἐπιβὰς νόου κελεύθων
Βυθὸν εἶδεν θεολαμπῆ.

Beatus, qui voracem materiae
Evadens latratum, et e terra
Emergens, saltu levi
Vestigia ad Deum dirigit:
Beatus, qui post fata,
Post labores, post acerbas
Terrenas curas,
Ingressus mentis vias,
Altitudinem vidit divina refulgentem luce.

§ 10. 2. *Et quia ad regnum illud e Coelo descensuri dicuntur spiritus beati.*

Accedit ad rationem, quam modo exposui, et ista haec secunda, quod Cerinthus beatitudinem illam terrestrem, in mundano Christi regno, dicatur promisisse spiritibus piorum, qui iam omnibus malis vitae huius soluti, in beata requie apud Christum recreati fuerant. His igitur spiritibus plene sanctificatis, post

fruitionem diuturnam tantae tamque purae beatitudinis, in mundum materialem ſublunarem fuiſſet redeundum, quod ſane Gnoſticorum omnium, et cum his Cerinthi pariter, dogmatibus in univerſum adverſatur. His enim perſuaſum erat, ſpiritus hominum, poſt exceſſum e corporibus ſuis, in regiones coeleſtes transferri, et ex his in mundum noſtrum ſublunarem non redire, niſi pro delictis anterioris vitae puniendos adhuc et perpurgandos. *Baſilides* igitur, magnum inter Gnoſticos nomen, et diſcipuli (*u*) eius, verba haec Decalogi, *Deus retribuit peccata in tertiam et quartam generationem*, interpretabantur de transmigratione animarum in alia corpora, id eſt, ex illo Scripturae teſtimonio probare ſatagebant, Deum ſpiritus, poſt mortem corporis, de novo in carcerem mundi huius deturbare, et aliis ſemper corporibus illigare, donec poenam ſibi definitam luiſſent, et a vitiis emundati eſſent. Libenter iam omitto, quae hanc in rem de Baſilide et aliis Gnoſticorum doctoribus adferri poſſent plura. Sed non poſſum, quin haec *Epiphanii* de haereſi *Carpocratis* verba apponam: *Si quis omnia in hac una praeſenti vita perfecerit, eius anima non amplius in alia corpora transfunditur, ut in hanc lucem denuo procreetur, ſed libera atque immunis abſcedet, cum nullius amplius in hoc mundo debito actionis obligetur*, Haereſi XXVII § 4. Sequuntur poſtea alia huc ſpectantia quamplurima, ex quibus iam iſta tantum, ex § 5, tranſcribam (*v*): *Dicunt porro eſſe*

(*u*) Apud *Clementem Alexandrinum*, in Excerptis ex doctrina Orientali *Theodoti* § 28, in *Fabricii* Bibl. Graec. Vol. V p. 152.

(*v*) Similia his invenies quoque apud *Irenaeum* Lib. I c. 25, et *Tertullianum* de anima cap. 35.

esse adversarium illum, a Domino commemoratum in Euangelio Matth. v. 25, *unum ex mundi conditoribus Angelis, nomine* (*w*) *Abolum. Nam et custodiam corpus esse interpretantur, et novissimum quadrantem, migrationem Animarum. Oportet enim, pervagatam omnia singulisque perfunctam animam ac solutam, mundi creatoribus ac praecipuo eius auctore superatis, ad supremum illum ignotumque, in altissimum coelum penetrare. Addunt insuper, vel in prima migratione omnia conficienda et peragenda esse. ut sic anima, in libertatem vindicata, sursum abire possit, vel nisi unico illo adventu universa perfecerit, tum repetitis transmigrationibus, et reditibus in mundum, paulatim omnia esse consummanda, ut se in libertatem asserere possit.* Eamdem vero fuisse quoque Cerinthi sententiam, in dubium non facile vocabit, quisquis ea, quae de haeretici huius cum Carpocrate consensione observavimus § VI, in memoriam revocare voluerit. Et in universum de anima ex mundo in coelum evecta Gnostici non aliter senserunt, atque *Synesius*, qui placita ipsorum versibus hisce nobis interpretatur Hymno III vs. 599

Θρόνισόν με πάτερ	*Colloca me pater*
Φωτὸς ἐν ἀλκῇ	*Lucis in vi*
Ζωηφορίου,	*Salutaris,*

Ἵνα

(*w*) In Graeco est Ἄβολον, quod videtur esse corruptum ex Διάβολον. Sed corruptio haec est valde antiqua, et probabiliter Arabibus debetur, qui Principem malorum Spirituum *Eblis* dicunt. Vocem hanc ex Graeco detortam fuisse, docet etiam *Th. Hydius* de religione Veterum Persarum cap. IX p. 172. Et certe inter traditiones Arabum veterum et Gnosticorum magna intercedit affinitas.

Ἵνα χεῖρα φύσις	*Quo manum* (*x*) *natura*
Οὐκ ἐπιβάλλει,	*Non iniicit.*
Ὅθεν οὐκέτι γᾶ,	*Vnde me non amplius terra,*
Οὐ μοιραίας	*Non parcarum*
Κλῶσις ἀνάγκας	*Fila neceſſitatis*
Παλίνορσον ἄγει.	*Revocare poſſunt,*
Ἐμέθεν δὲ πάτερ	*Inter me pater*
Χθονίου τε κλόνου	*Terrenamque turbulentiam*
Πῦρ μέσον εἴη.	*Ignis intercedat.*

Quibus iungenda ſunt haec ex eodem Hymno, verſus finem, petita,

Νεῦσον δὲ πάτερ	*Annue pater*
Φωτὶ μιγεῖσαν	*Vt luci mixta* mens mea
Μηκέτι δῦναι	*Non amplius demergatur*
Ἐς χθονὸς ἄταν.	*In terrae ſordes.*

Vno verbo, in ſchola Gnoſticorum receptum etiam erat illud Pythagoraeorum et Platonicorum dogma (*y*), *mori animam, cum ad corporis inferna demergitur; vivere autem, cum ad ſupera poſt corpus* mortuum *evadit.*

§ 11. 3. *Quia etiam regnum illud praeſupponit reſurrectionem corporis.*

Obſervari nunc velim *tertio*, regnum illud Millenarium,

(*x*) Gnoſtici per *naturam* intelligunt ordinem et harmoniam Mundi Materialis, pendentem ex Aſtris.

(*y*) *Macrobius* in Somn. Scipionis Lib. 1 c. x fin. Vide et eumdem omnino prolixe hac de re disputantem eodem Libro cap. XI.

rium, quod Cerintho tribuitur, praecedere reſuſcitationem corporum demortuorum. Caii verba de Cerintho, ſupra citata, ita ſonant: *Affirmat poſt reſurrectionem, regnum Chriſti in terris futurum.* Et ſic alii ſimiliter. Si veteres audimus, docuit Cerinthus, imminente regni Millenarii tempore, reſurrecturum eſſe primo Chriſtum ipſum, et deinde cum ipſo pios. Primo inquam Cerinthus, ſi fides eſt veteribus, docuit, Chriſtum ipſum ſub tempus regni Millenarii reſurrecturum eſſe. Teſtem habeo *Epiphanium* in Haereſi XXVIII § 6: *Cerinthus dicere nihil eſt veritus, paſſum quidem, ac crucifixum eſſe Chriſtum, nondum tamen a mortuis excitatum, ac tum demum, cum mortui reſurgent omnes, excitandum.* Ibidem, quod obſervaſſe non piget, doctrinae huic Cerinthi inhaeret, eamque prolixe convellit. Vnde patet, apud eumdem § 1 haec non recte ita legi: *Docuit Cerinthus, Ieſum obiiſſe mortem, et ad vitam excitatum eſſe.* Conjicio igitur, pro eo, quod hodie in Graeco legitur, πεπονθότα δὲ τὸν Ἰησοῦν, καὶ πάλιν ἐγηγερμένον, *Epiphanium* ſcripſiſſe, μὴ πάλιν ἐγηγερμένον, *Ieſum obiiſſe mortem, poſtea ad vitam non exitatum.* Eodem modo Cerinthi haereſin, ex ſcriptoribus Graecis, repraeſentat *Timotheus* Presbyter CPlitanus, in libro de receptione haereticorum (z): *Cerinthus ait, Chriſtum quidem cruci affixum fuiſſe, ſed nondum reſurrexiſſe, reſurrecturum vero tempore reſurrectionis univerſalis.* Ex Latinis ſcriptoribus haec de Cerintho memoriae prodidit *Philaſtrius Brixienſis* de haereſibus cap. 36: *Docet autem, Chriſtum nondum reſurrexiſſe a mortuis, ſed ſurrecturum annuntiat.* Cum quo con-

(z) In *Cotelerii* Monumentis Eccleſiae Graecae Tom. III p. 388.

conſentit *Auguſtinus* de Cerinthianis in Haereſi VIII ita ſcribens: *Ieſum hominem tantummodo fuiſſe, nec reſurrexiſſe, ſed reſurrecturum aſſeverant.* Cui iungere poſſumus auctorem *Praedeſtinati*, a *Sirmondo* editum, cuius totidem fere ea de re verba leguntur Lib. I de haereſibus c. 8. En! integram teſtium nubem, de Cerintho id affirmantium. His tamen omnibus viri doctrina excellentes opponunt teſtimonium iſtud *Irenaei*, ex Lib. I c. XXV § 1. edit. *Maſſueti* petitum: *In fine autem revolaſſe iterum Chriſtum ac Ieſu, et Ieſum paſſum eſſe et reſurrexiſſe.* Ex eo conficere volunt, Cerinthum de reſurrectione Chriſti ex mortuis nihil aliud tradidiſſe, quam quod Eccleſia catholica ſemper docuit. Quodſi autem ego teſtimonia reliquorum ſcriptorum, quibus nunc uſus ſum, meditate expendo, non poſſum non vehementer probare (*a*) eorum coniecturam, qui apud *Irenaeum* reponere malunt: *Ieſum paſſum eſſe, nec reſurrexiſſe*, quemadmodum apud *Auguſtinum* et auctorem *Praedeſtinati* etiam legimus. Accedit, ad teſtimonia modo prolata, eorum auctoritas, qui *Carpocrati* ſententiam ſimilem attribuunt. Quos inter *Philaſtrius* eſt, qui c. 36 de *Carpocrate* haec ſcribit: *Ieſu animam in coelum ſuſceptam praedicat: carnem vero in terra* (*b*) *dimiſſam aeſtimat.* Non dicitur *Carpocrates* docuiſſe, carnem Chriſti aliquando reſurrecturam eſſe, ſed negat tantum eam hactenus reſurrexiſſe. Ideo Cerinthum cum Carpocrate eadem ſenſiſſe, perſuaſus utique ſum. Et id ipſum de Cerintho teſtatur *Irenaeus.*

Sed

(*a*) *Colbergius* de origine et progreſſu haereſium cap. I § 9, p. 23.

(*b*) *Dimiſſam*, inquit B. *Fabricius* in notis ad illum locum, *id eſt, immiſſam ſepulchro ibique relictam.*

Sed poſtquam Cerintho imputatus fuit Chiliasmus, ſententia eius de Ieſu talis neceſſario concipi debuit, Ieſu corpus nondum reſurrexiſſe, ſed aliquando tamen appropinquante regno Millenario reſurrecturum eſſe. In gratiam eiusdem Chiliasmi, Cerintho adſcripti, doctrina ipſi talis quoque tribui neceſſario debuit, cum Chriſto reſurrecturos eſſe etiam pios: id enim exigit ratio regni Millenarii. *Affirmavit* igitur, uti quidem Caius aſſeverat, poſt reſurrectionem, *regnum Chriſti in terris futurum.*

§ 12. *E Gnoſticis nemo credidit reſurrectionem corporis, neque Chriſti, neque piorum, ſive factam, ſive aliquando futuram.*

Haec igitur nos de doctrina Cerinthi credere iubent veteres, ſecuti Caium; verum tamen, quod pace ipſorum dixerim, hanc rem non mihi perſuadent. Etenim illa evertit placita radicalia Gnoſticorum, ab omnibus recepta. Equidem libens fateor, de reſurrectione corporis Chriſti Gnoſticis non omnibus eamdem ſtetiſſe ſententiam (*c*): neque enim de natura corporis huius conſentanea ſibi invicem docebant. Longe plurimis indignum prorſus videbatur, unigenitum Dei Filium compagibus corporis talis, quale eſt noſtrum, includere. Ea de cauſa, Verbum Dei umbra quadam et larva tantum corporis noſtri fallente, amictum fuiſſe cenſebant, in qua viſus tantum fuerit naſci, pati, mori, ac reſuſcitari, cum nihil eorum re ipſa ac vere contigiſſet. Hos igitur reſurrectionem corpo-

(*c*) Operae pretium eſt, conſulere ſuper hoc argumento, *Hiſtoire de Manichée* de Mr. *de Beauſobre* Tom. II p. 105, et inprimis p. 137.

poris Ieſu Chriſti veram negaſſe ac reieciſſe, in promptulo eſt. Erant alii, qui, teſtimoniis Scripturae diſertiſſimis de Ieſu vera nativitate vel incarnatione pleniorem fidem adhibentes, corpus ipſi tribuerent verum quidem, ſed ſubtile, aethereum, ex materia coeleſti deſumtum, et in hanc terram delatum. Verum ne hi quidem corporis huiusmodi (*d*) incorruptibilis mortem et reſurrectionem agnoſcere poterant veram; ſed apparentem tantum. Ab horum omnium opinionibus diſcedebant, ſalvis tamen primis et generalibus Gnoſticorum principiis, Carpocrates et Cerinthus: aſſeverabant enim (*e*), Ieſum, more reliquorum omnium hominum, ex connubio Ioſephi cum Maria prognatum, aliud non accepiſſe corpus, quam vulgare humanum, noſtro per omnia conſimile. Nullam igitur aliam eſſe corporis huius ſortem, ſibi perſuadere poterant, quam quae eſt, ex ſententia Gnoſticorum omnium, ſors corporum noſtrorum, quae a ſpiritu ſuo ſemel ſeparata, et in pulverem redacta, poſthaec in aeternum ad vitam non revocari, ſine cunctatione affirmabant. Haec igitur Cerinthus docuit, cum toto Gnoſticorum grege, de reſurrectione corporis Chriſti. Eadem quoque non potuit non docere de reſurrectione cunctorum hominum, tum piorum, tum impiorum. Idque *Philaſtrius*, uti de aliis Gnoſticis ſaepius, ita ſpe-

(*d*) Tale corpus Chriſti concipiebat *Valentinus*, cuius verba exhibent *Clemens Alexandrinus* Stromat. Lib. III p. 451, et *Bardeſanes*, cuius doctrina explicatur in dialogo adverſus Marcionitas, qui ſub nomine *Origenis* editus eſt, Sect. IV p. 105, 108, 109 ſqq. Conſuli etiam poteſt Mr. *de Beauſobre* lib. cit. p. 137.

(*e*) Id de Carpocrate et Cerintho teſtantur omnes, qui haereſes ipſorum explicant.

ſpeciatim de *Carpocrate* obſervare non neglexit cap. 35: *Animi ſalutem ſolum, carnis autem non fieri* (*f*) *ſalutem opinatur.* Idem profecto de Cerintho pariter teſtarentur veteres quidam, niſi dogma a Caio ipſi tributum, *poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum*, ſcrupulum ipſis iniecisſet. Verum, quod de Cerintho ipſo affirmare ideo veriti ſunt, id ſaltem, quoniam res in univerſum negari non poterat, de Cerinthianis quibusdam memoriae prodiderunt. Auctor enim eſt *Epiphanius* Haereſ XXVIII § 6 pag. 114: *Alii* ex Cerinthianis *mortuos ſurrecturos umquam, funditus negant.*

§ 13. *De reſurrectione quidem loquuntur Gnoſtici; ſed tum non intelligunt reſurrectionem corporis aut carnis.*

Non gravate tamen largiar, in ſcholis et Cerinthi et Cerinthianorum, auditum ſubinde fuiſſe de reſurrectione aliqua, cum ipſius Chriſti Domini, tum piorum quoque cum ipſo, et utramque ab iis etiam adſtructam fuiſſe. Gnoſticos certe, quorum pars fuerunt Cerinthiani, utramque hanc reſurrectionem crepaſſe, et ſermonibus crebris uſurpaſſe, tum ex ipſorum horum hominum fragmentis, quae ſuperſunt, tum ex libris eorum, qui adverſus ipſos diſputarunt, non obſcure intelligitur. De Cerinthianis ſigillatim *Epiphanius* ſcriptum reliquit Haereſi XXVIII § 6. quod pro mortuis baptismum vicarium inſtituerint, *ne illi, in reſurrectione cum aliis excitati, poenam neglecti ba-*

(*f*) Per *ſalutem* corporis deſignari eius *reſurrectionem*, rectiſſime in notis ad eum locum obſervavit *Fabricius.*

baptismi luant, et sub potestate Creatoris maneant. Verum ipse hic *Epiphanii* locus indicio mihi esse potuit, quomodo Cerinthus, et resurrectionem mortuorum, et insecutum mox regnum Millenarium, intellectum cupiat. Certe hic sermonem non esse de resurrectione corporis, sed de resurrectione animae, a mente spirituali, iuxta hos homines, distinctae, eamque resurrectionem, secundum eorumdem placita, fieri non in terra, sed in regione aliqua coelesti, suo loco, ex disciplina Gnosticorum tam luculenter docebo, totque idoneis testimoniis demonstrabo, ut dubitationi locus nullus superfuturus sit. Aliquid subodoratus hic est auctor libri, Theologis nostris minus probati, qui inscribitur (*g*) *Platonismus retectus.* Recte is doctrinam Cerinthi de resurrectione allegorice interpretandam esse censet. Verum dum is resurrectionem hanc unice explicat (*h*) de *regeneratione Euangelica* aut de *statu mentis contemplativo*, doctrinam Gnosticorum de resurrectione nondum satis est assecutus. Nos eam, in Dissertationibus secuturis, propriis Gnosticorum verbis explicatam dabimus.

§ 14. 4. *Quia in regno Millenario connubia cum foeminis promittuntur.*

Supereſt unum in regno Cerinthi Millenario, quale id

(*g*) *Le Platonisme devoilé* (cuius auctor fuit quidam *Souverainius* Ecclesiae quondam Ref. Theologus; sed propter peculiares sibi sententias exauctoratus) Part. 1 cap. XX p. 260.

(*h*) Per *resurrectionem*, Gnosticos in genere intellexisse regenerationem, renovationem, et illuminationem mentis, notum est. Eo respexit Paulus 2 Tim. 11. 18.

id nobis *Caius* repraesentat, quod intactum praetermittere nolim, nam et ex eo argumentum capere licebit, tale regnum a Cerintho cogitari et adstrui non potuisse. Si Caium, et alios, qui hunc sequuntur, audimus, Cerinthus in regno Millenario suis etiam promisit (*i*) connubia, amores mulierum, et voluptatum carnalium, cum his explendarum, satietatem. Quod, quomodo cum placitis Gnosticorum primariis, quae etiam Cerintho in deliciis fuerunt, amice conciliari queat, viderint, qui talem nobis haeretici huius doctrinam fingunt. Gnostici omnes copulam carnalem viri cum muliere, quippe per quam corpora, tristia illa animarum ergastula, multiplicarentur et propagarentur, tamquam ingens malum et sapienti sollicite vitandum, abhorrebant. *Saturninus* ideo matrimonium non verebatur dicere *opus diaboli*. *Marcion* non admittebat ad communionem coetus sui, nisi virginem, aut coniuge orbatum, et posthaec operibus matrimonii renuntiantem. *Tatianus* coniugium pariter damnabat. *Manes* connubia diffuadebat omnibus; electis vero suis usu eorum etiam interdicebat. *Docetas*, sectam Gnosticorum non ignobilem, matrimonium pariter contemtui ac odio habuisse alio (*k*) loco pluribus iam a me monitum fuit. Qui reliquis hac de re modestius sentiebant et differebant, matrimonium habebant pro malo, necessario quidem, sed tamen malo. Hi quidem, memores praecepti Apostolici, *satius esse nubere, quam uri* (*l*), illis, qui con-

(*i*) Videri possunt testimonia, in Diss. I § 4, 5, 6. allata.

(*k*) In Dissertatione *de Iezabele Pseudo-Prophetissa Thyatirenorum* § VII et XII.

(*l*) Ita *Isidorus*, vir magnae apud Gnosticos auctoritatis,

concupiſcentiae flammis ſe incendi ſcirent, matrimonium caſtum ac ſanctum ſuadebant. Tale exemplum ipſi quidam celebriores coetus huius doctores aliis praebuerunt, *Carpocrates*, cuius filius *Epiphanes* non incelebris exſtitit, *Baſilides*, qui filium ſuſcepit *Iſidorum*, cuius non exigua fuit inter Gnoſticos exiſtimatio, et alii. Cum praeterea, ſine matrimonii uſu, Eccleſia nec ex hominibus colligi, nec inter homines diu conſervari poſſet, ita iudicabant (*m*), *generationem* per connubium *non eſſe vituperandam, eſſe potius neceſſariam ad ſalutem credentium; oportere itaque, ut generatio haec continuetur, donec ſemen praedeſtinatum congregatum fuerit.* Sed, quod iam monui, matrimonia tamen numerabant inter mala triſtia huius mundi, a quibus liberari diſcupiebant. Doctrina haec ſatis clare tradita erat, in *Euangelio* Apocrypho, *ſecundum Aegyptios*, quod Gnoſtici magna cum veneratione recipiebant. In eo igitur (*n*) haec legebantur: *Dixit Servator, Veni ad diſſolvendum opera foeminae. Foemina eſt cupiditas, opera vero eius generatio et interitus.* In eodem *Servator dixit Salomae, eousque fore mortem, quousque mulieres parerent,* quia

cuius, ex *Moralium* Libris, locus legitur apud *Clementem Alexandrinum* Stromatum Lib. III p. 427. Sed locum hunc, negligentia librariorum inquinatum, et in verſione vulgata male habitum, egregie explicat *I. E. Grabius* in *Spicilegio* ſeculi II p. 66, 67. Editionem praeſtantiſſimam Oxonienſem, dum haec ſcribo, evolvere non licet. [In ea tantum *Grabii* animadverſio repetitur t. I p. 509, 510.]

(*m*) Vide *Clementis Alexandrini* excerpta ex *Theodoti* Valentiniani doctrina Orientali, § 67, [t. II p. 985] in *Fabricii* Bibliotheca Graeca. Vol. V p. 170.

(*n*) Fragmenta huius Euangelii diligenter collegerunt *I. E. Grabius* in *Spicilegio* ſec. I et *Fabricius* in Codice Apocrypho N. Teſtamenti.

quia, ſecundum doctrinam Gnoſticorum, corpora omnia, partu mulierum in lucem edita, neceſſario intereunt. Legebantur et haec in Euangelio illo: *Interrogatus a quodam Dominus, quando venturum eſſet regnum eius, dixit: Cum duo erunt unum, et exterior pars hominis* (corpus) *ſimilis facta fuerit interiori* (ſpiritui) *et maſculum cum foemina, neque mas neque foemina* (*o*). Gnoſtici cum Cerintho loquebantur quidem de regno Domini futuro, et de nuptiis tum celebrandis; ſed quae omnia, uti vel ex hoc loco ſcripturae ipſorum liquet, modo ſpirituali et coeleſti, interpretabantur, quod etiam nos in diſſertationibus ſequentibus ad liquidum deducemus.

§ 15. *Obiectio adverſus hactenus dicta removetur.*

Non ſum neſcius, *Carpocratianis*, quorum doctrinam tenuit etiam Cerinthus, libidines nefandas, voluptates obſcoenas, et doctrinam de rebus his, vel in Ethnico execrandam, imputari. Verum neque hic diſſimulabo, quod alia occaſione (*p*) iam monui, omnes has antiquorum, de Gnoſticorum impietatibus, relationes, mihi magnopere, et iure quidem ſuſpectas videri. Nemo mihi facile perſuadebit, *Carpo-*

(*o*) Nimium feſtinans verba iſta non recte interpretatus ſum, quorum hic eſt ſenſus: *Regnum Domini aderit, quando anima, quae complectitur ſpiritum, eiusque eſt veluti veſtimentum, naturam ſpiritualem induerit, vel ſpiritus factum fuerit.* Corpori in regno Domini nullus plane eſt locus.

(*p*) In Diſſert. de *Iezabele* § 10.

pocratem et *Baſilidem* dogmata illa impia vere tradidiſſe, quae ipſis ſcriptores quidam antiqui, aut ex male intellectis ipſorum verbis, aut ex rumuſculis parum certis affingunt, et quibus propria ipſorum doctrina, uti etiam a veteribus refertur, invicte repugnat. Sed pluribus haec nunc perſequi, neque licet, neque etiam opus eſt, cum in eodem argumento, magna cum laude verſatus iam ſit (*q*) Vir quidam doctiſſimus, in cuius iudicio acquieſco.

§ 16. *Ob cauſas allatas, etiam alii de Chiliasmo Cerinthi benignius ſenſerunt.*

Hiſce igitur de cauſis, viri in hiſtoria Eccleſiaſtica non mediocriter exercitati, in easdem cogitationes quoque inciderunt, Chiliasmum Cerinthi talem non eſſe, qualis vulgo fingi credique ſolet. *Iohannem* certe *Fechtium*, celebrem quondam Theologum Roſtochienſem, et *Chriſt. Kochium*, Paſtorem Eccleſiae Magdeburgicae, mitius ſenſiſſe de regno Millenario Cerinthi, ceu quod in ſenſum magis ſpiritualem interpretari poſſis ac debeas, diſco ex Commentario, quem de vita ſua edidit *Ioh. Wilh. Peterſenius* p. 353, 373 cum quo tamen conferenda erunt *Th. Ittigii* ſelecta capita Hiſt. Eccleſ. ſeculi I p. 293 ac ſqq., neque ab hac ſententia abludere celeberr. *Moshemium*, ex Inſtitutionibus maioribus Hiſt. Chriſt. ſeculi I p. 458 non ſine voluptate intellexi (*r*). Meum nunc erit di-

(*q*) Mr. *de Beauſobre Diſſertation ſur les Adamites* part. II, et dans *l'hiſtoire de Manichée* Tom. II p. 41 ſqq. etc. et p. 731 ſqq.

(*r*) Addendus his *Petrus Baelius* in Dictionario Hiſtor. Critico, artic. Cerinthe, not. B.

distinctius veram Cerinthi de regno illo doctrinam eruere, et in apricum proferre, quod B. C. D. in sequentibus dissertationibus [*] exequar.

---

[*] Duae hae dissertationes, de regno Millenario ex mente *Cerinthi*, editae sunt a. 1744. Decem post annis monuit *Jablonskius*, tom. I Inst. Hist. Christ. p. 38., „regnum illud Millenarium, quod *Cerinthus* cum aliis Gnosticis adstruxit, non esse in hac nostra terra, sed in regione aliqua coelesti quaerendum", addiditque „reliquas dissertationes, sententiam meam uberius declaraturas, Deo volente, *brevi* addam". Promissas istas dissertationes in lucem exiisse, vix credibile videtur, cum non ita diu post, quam haec scripsisset, *Jablonskius* fato functus sit.

INDICES.

Loci Codicis Sacri, quibus lux affertur.

Geneſis.

X. 2 . . . pag. 138.
23 . . . . . 137.
XLIV. 2 ſqq. . . . 136.

Pſalmi.

XLV. 3 . . . 386, 387.

Ieſaias.

XXXIII. 18 . 258, 259.
LI. 17 . . . . . 136.
LIII. 2 . . 385—387.

Ieremias.

XXVII et XXVIII. } 129.
L. 17, 18 }

Ezechiel.

XXIII. 23 } pag. 129.
XXXII. 15—17 }

Daniel.

I. 4 . . . . . 129.

Micha.

V. 5 . . . . . 129.

Euang. Iohannis.

X. 16 . . . . . 161.

Acta Apoſtol.

II. 8, 9 . . pag. 23.
XIV. 11 . . . . 5 ſqq.

Epiſt. ad Romanos.

IX. totum . 143—153.
XI. fere totum . 165—177.
25 . . . 164—168.
26 . . . 154—184.

Ep. I *ad Corinth.*

I. 20 . . . . 258, 259.

Ep. II *ad Corinth.*

V. 16 . . . 185—201.

Ep. ad Epheſ. . 215, 216.

Ep. ad Coloſſ.

II. 18 . . . 223, 224.
IV. 16 . . . 202—224.

Ep. I *ad Timoth.* 295—298, 311—313.

Ep. II *ad Timoth.*

II. 18 . . . . . 498.

Ep. ad Hebraeos.

A quo, quando, unde et ad quos ſcripta . 295—300.
X. 34 . . . . . 296.
XIII. 18, 19 . 297, 300.

Apoc. Iohannis.

II. 20 . . . 225—260 261—286.

I Maccab. XII. 7, 21 . . 261—286.

Scriptores veteres Graeci ac Latini, qui illuſtrantur, emendantur, vindicantur, caſtigantur.

Acta Martyrum, ed. Ruinarto . . . pag. 122.
Aelianus . 61, 62, 108.
Antonini Itin. . . . 9.
Apollonii Rhodii Scholiaſtes . . . . . 43.
Ariſtophanes et eius Scholiaſtes . pag. 264—272, ac Partis huius Praef.
Arnobius . . . . 333.
Arrianus . . . . 140.
Athenaeus . . . 96—98.

Calendarium Romanum pag. 348, 349.
Cenſorinus . . . 279.
Chryſoſtomus (Ioh.) . 6, 7, 335.
Cicero . . . . . 62.
Claudianus . . . . 38.
Clemens Rom. . . 301.
Clemens Alexandr. . 67, 68, 320—327, 331, 332, 500, 501.
Conſtantinus Porphyrog. 137, 138.
Dares . . . . 61, 62.
Epiphanius . 366—369, 491, 493.
Etymologicum M. . 13, 14, 59.
Euſebius . 135, 417, 418.
Euſtathius . 12, 13, 138.
Eutropius . . . . 417.
Flaccus. V. Valerius.
Freculphus . . . 135.
Frontinus . . 415, 416.
Gemmae antiquae 255-260, 360, 402—404.
Gennadius . . 456, 457.
Georgius. v. Syncellus.
Herodotus . 28, 29, 39, 83, 95, 101, 128.
Heſiodi Scholiaſtes . 81.
Heſychius . 12, 13, 42, 64, 65, 69, 70, 71, 80, 81, 82, 84, 88, 89, 90, 91, 93, 104, 105, 107, 108, 113, 114, 115.
Himerius . . pag. 27.
Homerus . . . 11, 94.
Hyginus . . . . 278.
Inſcriptiones antiquae . 73, 74, 232, 233, 349—351, 414, 419, 420, 435—438.
Irenaeus . . . . 494.
Iſidorus . . . . 138.
Iſocrates . . . . 29.
Iuſtinus . . . . 41.
Lactantius . . . . 279.
Lampridius . . . 401.
Lucianus . . . 19, 82.
Mela (Pomp.) . . 96.
Menander . . . . 19.
Oroſius . . . . 417.
Philoſtratus . . . 126.
Pindari Schol. . . . 16.
Plautus . . . 8, 9, 24.
Plinius . . . 118, 131.
Plutarchus . 18, 40, 81, 363 — 369, 415.
Pollux . . . . . 114.
Servius . 47, 48, 52, 53.
Sophocles . . . . 25.
Stephanus Byz. . 8, 14, 96, 106, 128, 274—278, 281.
Strabo . . 11, 14, 15, 18, 48, 61, 64, 71, 88, 91, 94, 96, 99, 101, 109, 134, 135.
Suidas . . 67, 105, 279, 280.

Syncellus (Georgius) pag. 278, 279.
Tertullianus . . . 32, 33, 477.
Theocritus . . . 139.
Theodoretus . 453, 454.
Theopompus . . . 19.
Tzetzes . . . . . pag. 85.
Valerius Flaccus . 53.
Varro . . . . 52, 53.
Velleius Paterculus . 29.
Vitruvius . . . 90, 94.
Xenophon . . . 97, 116.

Voces origine Graecae, aut peregrinae, quae apud Graecos Scriptores inveniuntur.

Ἀβακλῆς . pag. 79.
ἀβελίη . . . . 107.
ἀβωβάς . . 107, 108.
ἄγδεξις . . . 64.
ἀγνεών . . . 79, 80.
ἀγριόφωνος . . 11, 94.
ἀδάμνα, ἀδαμνεῖν . 64.
ἀδραμῶν . . . . 80.
ἀδωνιμαοιδός . . . 113.
ἀζήν . . . . .
ἄθυμβρος . . . . 95.
αἰμώνια . . . . 80.
αἰχμαλωτίζεσθαι . 33.
ἀκόνιτον . . 113, 114.
ἀκρισίας . . . . 76.
ἄκρισις . . . 64, 65.
ἄκυλον . . . . 80.
ἄλας . . . . . 95.
ἄμαστλης . . . . 80.
ἀνδρῶνες . . pag. 72.
ἀποθράζειν } 270, 271,
ἀποθράττειν } Praef.
ἀποθριάζειν . 267, 271.
ἀποκαθίζημι . . 299.
ἀποκεφαλίζειν . . 33.
ἀποκολοκαύτωσις . 116.
ἀπονέμανα . . . 133.
ἀποτάσσεσθαί τινι . 33.
ἀρχιόταται . . . 133.
ἄρακος . . . . 81.
ἀργυῖτας . . . . 65.
ἄριμα . . . . . 81.
ἁρμάν . . . . . 76.
ἁρμάτειον . . . . 65.
ἄρτεμις . . . . 66.
ἀρφύταινον . . . 81.
ἁψαλία . . . . 81.
ἀττάλη . . . . 66.

Βαγαῖος . . . . 66.
βαθυμῆδαι . . . 82.
βαθυῤῥηγάλη . . 84.
βάκκαρις . . . 82.
βαλὴν, βαλλήν . 66.
βάμβαλον . . . 66.
βάνδα } . . . 96.
βάνδος }
βαρβαρίζειν } . 27.
βαρβαρισμὸς }
βάρβαρος et βαρβαρόφωνος differunt . 9—13.
βαρβαροσομία . 10, 11.
βασιλέα . . . 82.
βάσκε πικρολέα . 93.
βάσσαρις . . 82, 83.
βαζιζακρόλεα . . 93.
βέδὺ, βέδυ . 67, 68.
βεκὸς, βεκκός . . 68.
βενδιαῖος . . . 112.
βοηδρομεῖν . . . 96.
βρικίσματα . . . 69.
βώριμος, βώρμος . 114.
Γάγγρα . . . . 116.
γἄλλαρος . . . 69.
γάλλος 113
γάνος . . 69, 112.
γέλαρος . . . . 76.
γέλας . . . . 96.
γίγγραν . . . 96, 97.
γλουρός . . . . 69.
Δακίη . . 134, 135.
δάος . . . . . 57.
δέλβεια . . . . 8.
διάλεκτος v. φωνή.
διτιζήλη . . . 69.
δροῦγγος . . . 76.
δυσὶ, δυοῖν . . . 33.
δωρόφορος . . . 114.
Ἕκτωρ . . . 56, 69.
ἐλαύνειν . . . . 33.
ἐλευθέρα . . . . 103.
ἐνωτίζειν . . . . 33.
ἔπαυλις . . . 8, 9.
ἐπιφάνεια . . . 359.
ἔποικος . . . . 19.
ἐσχάτως ἔχειν . . 33.
εὐκαιρεῖν . . . 33.
Ζακυνθίδες . . . 93.
ζάρβα . . . . 125.
ζείλα, ζίλαι . . 43.
ζέλκια . . . . 70.
ζέμελεν . . . . 76.
ζευματήν . . . 76.
Ἡμιβάρβαρος . . 36.
Ἴβρι . . . . . 84.
ἰδάρνας . . . . 102.
ἴμβραμος . . . 102.
ἰμβροὺς, ἰμβοὺς . 84.
ἰόνδας . . . . 116.
ἴωπι . . . . . 93.
Καβάρνος . . . 79.
καδρέμα . . . 104.
καλαβρισμὸς, κολαβρισμὸς, καλαβρίζειν, κολαβρίζειν . . . 97, 98.
κάνδαυλος . . . 86.
κάπυς . . . . 86.

κρά-

κάρδα . . . . 136.
καρῖται . . . . 98.
καρύκη . . . . 87.
καύνακες } . . 140.
καυνάκαι }
κίκλη . . . . 70.
κίμερος . . . . 70.
κοαλδδεῖν . . . 87.
κόνδυ . . . . 136.
κύβδα . . . . 102.
κυβήκη . . . . 70.
κῶς . . . . . 98.
Λάβρυς . . . . 87.
λαγινίτη . . . 98, 99.
λαίλας . . . . 88.
λᾶψα . . . . 107.
λεβητωνάριον . . 112.
λέξις. v. Φωνή.
ληκύθιον . . . 102.
λιτυέρσας . . . 76.
Μᾶ . . . . . 70.
μάγαδιν . . 88, 89.
μάνικα . . . . 71.
μάρκα, μάρρα . . 117.
μάσαρις. . . . 99.
μαυλισήριον . . 93.
μεγίσσα . . . 100.
μέθυσος . . . 42.
μερμνάδες . . . 89.
μηδεὺς, μηδινεύς . 89.
μηκαλεύς . . . 100.
μητρόπολις . . . 137.
μιγάδες . . . 35.
μιξέλλην . . . 36.
μιξοβάρβαρος . . 36.
μυσή . . . . . 89.
μύσης . . . . 90.
μώλαξ . . . . 90.
μῶμαρ . . . . 119.
μωύς . . . . 91.
Νάβλα . . . . 139.
νηεξίς . . 139, 140.
νηνίατος } . . . 71.
νηνήατος }
νώρικος . . . 71, 74.
Ξενῶνες . . . . 72.
Ὄκνος . . . . 113.
ὄρου . . . . . 76.
οὐανοῦν . . . . 72.
οὔριος . . . 72, 73.
Πάλμυς . . 91, 92.
παραμήνη . . . 93.
πάταρα . . . . 104.
πειρατής . . . . 98.
πετήλια . . . . 104.
πετρηέσσαι . . . 16.
πίναρα . . . . 104.
πλύνειν . . . . 32.
προσφάγιον . . 33.
P literae usus frequentior apud Eleos . 12.
Σαβάζιος . . . 74.
σάγαρις . . . . 115.
σανάπη . . . 42, 43.
σάρπους . . . 113.
σισόη . . 104, 105.
σκύλον . . . . 85.
σμίνθος . . . . 75.
σοῦαν . . . . 100.
σαῦσα . . . . 76.

στάρτοι pag. 277 — 280.
στρυμόνιοι . . . . 112.
σύγχος . . . . . 75.
Τάργανον . . . . 92.
τάσκος . . . . . 76.
τεγοῦν . . . . . 93.
τιάρα . . . . . 75.
τουσσύλος . . . 100.
τύμπανα . . . . . 105.
τυμπανιστός . . . . 100.
Ὕδωρ . . . . . 50.
Φιλέταιρις . . . . 92.
φωνὴ, διάλεκτος, λέξις, differunt . 10.
Ὠσσαννά . . 100, 101.

Vocabula Latina, aut peregrina in libris ſcriptorum Latinorum occurrentia.

Aconitum . . pag. 114.
agdus . . . . . 76.
ambroſia . . . . 134.
amphibalum . . . 439.
armala . . . . . 133.
attagus . . . . . 76.

Conventus . . 180.
curnim . . . . 104.

Eporediçae, eporeditae . . . . . 118.

Foruix . . . pag. 79.

Heluacea . . . . 84.

Moly . . . . . 139.

Phengites . . . . 140.
piſa . . . . . 92.

Riſcus . . . . . 74.

Sminthus . . . . 75.

Tiara . . . . . 75.

Index rerum praecipuarum.

Adagous, numen Phrygium . . . pag. 64.
Adonis . pag. 207, 208.
Agdeſtis, mater deorum . 64.

Amandra, nomen antiquum Iconii . pag. 9, 14.
Amazonum historia et lingua . . . 41—43.
Amphibalus, sanctus confictus . . . 439.
Apollo ἐρεθύμιος et ἐρεθόβιος . . . 103, 104.
Argaeus mons . . . 133.
Assyriaca lingua vetusta . . . 127—132.
Assyrii distincti a Chaldaeis et Babyloniis . 129.
Athenienses, quo sensu Saïtarum ἔποικοι . 19.
Atianus, sanctus confictus . . . 437, 438.
Bacchus, Μάσαρις . 99.
Baraterii (L. P.) laus . 271.
Barbari quinam dicti a Graecis . . 23 et seqq.
Barbarismorum varia genera . . . 9 et seqq.
Basilidiani . . 328—332.
Batabaces, nomen proprium, sed varie scriptum . . . 66, 67.
Bentleii (R.) sententia de lingua Lycaonica . 5, 7.
Bithyni dicti ἀλιζῶνες, et σρυμόνιοι . 111, 112.
Bithynia appellata Phrygia Maior et Mariandyna . . . . 109.
Bithynorum lingua . 109—113.
——— reges . 110—112.
Boerneri (C. F.) laus . 141, 142.
Briazus . . . pag. 112.
Briges iidem qui Phryges . . . . . 49.
Byzis . . . . . 112.
Caii testimonium de opinione Cerinthi, quantum ad regnum Christi Millenarium . 448—452, 476—481.
Calendarium Romanum 348, 349.
Candaules . . . . 85.
Cappadocum lingua . 126 sqq.
——— menses . 133, 134, 137, 140, 141.
Cares dicti βαρβαρόφωνοι 11.
Carum lingua . . 34, 94—102.
Carpocrates . 482, 483, 501, 502.
Cerinthi nomen, aetas, religio, ratio studiorum et vitae . . 443—447.
——— vera opinio de regno Christi Millenario . . . . 448—503.
Chaldaeorum et Babyloniorum nomen promiscue usurpatum . 139, 131.
Christi imaginum origo in Ecclesia Christiana . . . 377—406.
——— natale festum . 317—376.
——— notitia, quae est nobis necessaria, quae non item . . 185 sqq.

Chriſti Regnum Millenarium . . 448—503.
Circumciſio apud varias gentes in uſu . 265, 266.
Claudius Iulius . . 275.
Colchi . . . . . 38.
Comana dea . . . 136.
Curator viarum . 435, 436.
Curioſitas quaedam in rebus ſacris illicita . . . 198—200.
Cyprii Barbaris annumerati . . . . . 27.
Dardanus . . 52, 53.
Deſanaus, Hercules . 135.
Diana ἐλεύθερα . . . 193.
—— Peraſia . . . 140.
Dianae nomen Ἄρτεμις Phrygium . . . 66.
Dionyſii Alex. teſtimonium de Cerinthi opinione, quantum ad regnum Chriſti Millenarium . . . 452, 453.
Ebion et Ebionaei . 446, 447, 472—474.
Eleorum βαρβαροφωνία . 12.
Equorum uſus in bello . 118.
Feſtum in memoriam BaptismiChriſti . 328—334.
Feſtum Nativitatis Chriſti, in Eccleſia Chriſtiana celebrari coeptum, ſed non ſemper uno eodemque die, inprimis tamen d. VI Ian. et XXV Dec. . 317—376.
Feſtum Oſiridis . 361—371.
Feſtum novi Solis pag. 352—358.
Galatarum lingua . 117—119.
Gnoſtici . 222—224, 235—251, 325, 326, 360, 394—400, 486, 495—498, 501.
Graeci ſermonis uſus communis . 121, 122.
Grotii ſententia de lingua Lycaonica . . . 7.
Halys fluvius . . 14, 15.
Hebraei, ad quos Paulus ſcripſit Epiſtolam, qui intelligendi . 298—300.
Hecate . . 98, 99.
Hercules Thaſius . 35.
Iconium, ante dictaAmandra, unde ſic nominata . . . 9, 13, 14.
Idathyrſi ſ. Indathyrſi expeditio in Aſiam . 40, 41.
Iezabel, Apoc. II. 20, non ſignificat falſos doctores quoscumque, nec mulierem idololatricam e Graecis, ſed mulierem Chriſtianam ex ſecta Gnoſticorum 229 et ſeqq.
Imagines Chriſti fuere ignotae Chriſtianis veteribus . . 381 ſeqq.
—— —— —— vulgo dictae Archetypae 390.
—— —— —— —— debent originem Gnoſticis . . . 394—400.

Ima-

Imagines Chriſti ab his acceperunt Gentiles pag. 400, 401.
Imaginum uſus in Eccleſia Chriſtiana nullus 378—381.
Imaginum Platonis et aliorum Philoſophorum ſummus honor . 326, 327.
Irruptiones Aegyptiorum, Scytharum et Perſarum in Aſiam . 37 ſqq.
Iuba, rex Mauritaniae . 52.
Iudaea. falſa nominis origo . . . 281—284.
Iudaeorum converſio generalis ultimo N. T. tempore . . 154 ſqq.
Iudaeorum et Lacedaemoniorum cognatio conficta . . . . 262 ſqq.
Iudaeorum opinio de triplici piorum ſtatu poſt mortem . . 459—464.
Iupiter Asbamaeus . 134.
——— Aſcraeus . . 81.
——— Βαγαῖος . . 66.
——— Carius . . 101.
——— Hecatombaeus . 97.
——— Labradenſis ſ. Labrandenſis . 87, 88, 100, 101.
——— Μαζεύς . . 70.
——— Μηκαλεύς . . 100.
——— Οὔριος . . 72, 73.
——— Πάπας, Πατρῷος, Paternus . . . 73, 74.
——— Στράτιος . . 101.
——— Ταραντχῖος . . 113.
Leucoſyri, Aſſyrii . 127.
Lightfootus (I.) laudatur et refellitur . 9 ſqq.
Lycaonia, unde dicta 20—22.
Lycaonica lingua non fuit dialectus Graeca, ſed eadem, quae Cappadocica . . 7 ſqq. 119—126.
Lycaonia (in) Chriſtianismus probatus . 122.
Lycica lingua . 102—106.
Lycii origine Cretenſes 103.
Lydorum lingua non fuit Graeca . 77—96.
Macedones adſcripti Barbaris . . . . . 36.
Macedonica lingua ſ. dialectus . . . 30—33.
Macedonicorum regum origo Argiva . 28, 29.
Maeander, cur ἀναβαλλων . . . . . 5.
Manes et Mania, nomina propria . . 58, 59.
Mar . . . . 118, 119.
Marcion . 456, 482, 483.
Mariandyni . . . 113.
Marii Imp. arcus triumphalis . . 415—411.
Marlus, Martha } non martyres Chriſtiani, ſed homines Gentiles . 413—415.
Martyres conficti . 409—414, 423—425.
Martyrologium Romanum caſtigatum . 409 ſqq., 422—425, 429.

Maza, Mazaca, Mazacha . . . . 71, 137.
Melitta urbs . . . 138.
Mercurius Ἰμβραμος . 102.
Midias et Midia, nomina propria . . . . 59.
Morinus (Steph.) refellitur . . . . 263 ſqq.
Mulieribus data a Gnoſticis provincia publice docendi . 238—243.
Mygdon . . . . . 71.
Mylitta Venus . 138, 139.
Neoptolemi Gloſſae . 76.
Niſibis urbs, cuius nomen varie ſcribitur . 18.
Odomanti, gens Thracica, non fuere origine Iudaei, neque circumciſi . . 264—271.
Pamphylia lingua . . 103, 106—108.
Pamphyliorum origo . 106.
Paphlagonica lingua . 115, 116.
Patara . . . . . 104.
Paulus Apoſt. non eſt profectus in Hiſpaniam 300—302.
—— conceſſit in Macedoniam . . 310, 311.
—— inde rediit Epheſum . . . 313—316.
—— non ſcripſit ex urbe Laodicena epiſtolam, quae neque Apoſtolica fuit, neque Canonica, ſed tantum Eccleſiaſtica ſcriptaque a paſtoribus Laodicenis . 205 ſqq.
Paulus. Eius res geſtae a Luca non narratae pag. 289—316.
—— e vinculis Romanis liberatus . 292—295.
—— iſtis vinculis ſolutus ſcripſit epiſtolas ad Hebraeos et priorem ad Timotheum . 295—298, 311—313.
——. Eius epiſtola ad Epheſios non ſcripta eſt ad Laodicenſes. 215, 216.
—— Ipſius acta Cretica, in Palaeſtina, Syria, Aſia minori, alibi . . . 303—310.
Perſage . . . . 108.
Perſicae linguae veſtigia in aliis . . . 43, 44.
Phaſelitae . . . . 105.
Phryges non origine Graeci, ſed Thraces, dicti etiam Briges . 47, 49 ſq.
Phrygia maior et minor 54, 55.
Phrygum lingua non fuit dialectus Graeca . 45 et ſeqq.
Pinara . . . . . 104.
Piorum hominum conditio poſt mortem corporis, e ſententia Iudaeorum, Patrum Eccleſiaſticorum, atque Cerinthi . . 459—469 ſqq.
Piſidarum lingua . 108, 109.
Providentia Dei valde con-

conſpicua in conſervatione populi Iudaici pag. 177, 178.
Pytho unde dicta Petroſa . . . . 15, 16.
Reſurrectio Chriſti et piorum hominum negata a Gnoſticis 495 — 498.
Rhamſes non idem qui Rhampſinitus, ſed Seſoſtris . . . . 39.
Ryckii (Th.) ſententia de lingua Phrygia refellitur . . . 45 ſqq.
Sabazius Bacchus . 74.
Sacloe, Thecla . . 257, 260.
Sagarius fluvius . . 75.
Sancti incogniti et conficti . . . 407 — 440.
Scaligeri (I. I.) error 12.
Seſoſtris nomen varie ſcriptum, eiusque expeditio . . . 37, 38.
Sol appellatur Invictus 349 — 352.
Spartanorum teſtimonium de cognatione Iudaeorum cum Lacedaemoniis . . 262 ſqq.
Sparti, quales . . 277 — 280.
Superſtitio, dudum apud Chriſtianos nata, ſubinde crevit . 194 — 196.
Teutobochus . 417 — 420.
Thecla . . 251 — 259.
Thracum lingua . . 51.
Thyatira . . 228, 229.
Tmolus, Timolus . 90, 91.
Troiani origine diverſi a Phrygibus . . . 54.
——— non Graeci, ſed Barbari . . . 60, 61.
Vdaeus . . 281 — 284.
Vrbium ac regionum earumdem nomina varia 17, 18.
Valentinus . . . 466.
Viarius, Sanctus ex ignorantia natus . 435, 436.
Voſſii (G. I.) error . 12.
Witſii (H.) laus . 156, 157, 188.
Xanthi Lydiaca . . 80.
Zacharias, pater Iohannis Baptiſtae, non fuit Pontifex M. . 340 — 342.
Zipoetes . . 110, 111.

BOMBAY BRANCH

Addenda et corrigenda.

Pag.	65. *l.* 16.	Schoia	*lege*	Scholiasten
	80. *l.* 25.	[*] De *Xantho* Lydio, eiusque *Lydiacis* et horum *Fragmentis*, quae supersunt, diligenter inprimis dixit *Frid. Creuzer*, Vir Clar., ad Historicorum Graecorum antiquissimorum Fragmenta, p. 135—222, cuius animadversiones de Lydiis, Mysis eorumque vicinis, comparari velim cum *Iablonskianis*.		
Pag.	104. l. 15.	Huic	*lege*	Hinc
	136. *l.* 6.	λέμικὸν	—	λεμικὸν
	181. in not.	exspectisnem	—	exspectationem
	312. *l.* 2.	in eo	—	ineo

Reliqua, aut a me non animadversa, aut minoris forte momenti, pro sua quisque lector benivolentia emendet. Recte monuere librorum novorum Censores Batavi, tom. 11 horum Opusc. p. 122 § 7. legi nomen *Plinii*, cum agatur de *Strabone*; p. 172 ordinem notarum perturbatum esse, sed facile corrigendum; p. 206 l. ult. not. pro 304 legi oportere 204.

00048643



Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 January, 2016